Anima quid est.
Dico ego.

Donec occuramus omnes
unanimes in fide et a:
gnitionis filij dei: in
virum perfectum et
in mensuram ætatis ple
nitudinis christi
Ad Eph: 4.

Fit felicior pauperis
abstinentia reficientis
Leo S.

Profecto si comminantis [illegible]
[illegible] confluit [illegible] non
possunt cogitatione complecti
ingentem honorem immensam
dignitatem [illegible] et plenam
quibus [illegible] [illegible]
eminet.

Drzyjmy [illegible] 5. wiek [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] Hom [illegible]

Nihil potentius est muliere bona
ad instruendum et informandum
virum quemcunque voluerit. Neque
tam leniter amicos neque magistros
neque principes patienter ferunt
[illegible] admonentem atque consulentem
Habet enim adjunctam quandam
[illegible] [illegible] cum plurimum
a [illegible]

x

Inrom Domin

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Habes hîc candide Lector Aurelij August. Confeßionum libros: quibus vltra omnes editiones hoc accesit, quòd à plurimis mendis, quæ erant in impressis codicibus, diligentißimè & exactißimè sint repurgati, ex aliquot vetustis manuscriptis exemplaribus: opera & labore R.P. Henrici Sommalij Societatis IESV Sacerdotis. Vale candide & beneuole Lector.

Anno 1619.

PP. Eremi Camaldul. in Insula Vigrensi

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

EX LIB. RETRACTATIONVM D. Augustini 2. cap. 6.

COnfeßionum mearum libri tredecim, & de malis, & de bonis meis, Deum laudant iustum & bonum, atque in eum excitant humanum intellectũ & affectum Interim quod ad me attinet, hoc in me egerunt, cùm scriberentur, & agunt, cùm leguntur. Quid de illis alij sentiant, ipsi viderint: multis tamen fratribus eos multum placuisse & placere scio. A primo vsque ad decimum de me scripti sunt In tribus cæteris
Cap. 6. de scripturis sanctis, ab eo quod scriptum est: In principio fecit Deus cælum & terram, vsque ad sabbati requiem. In 4. libro cùm de amici morte animi mei miseriam confiterer, dicens, quòd anima mea vna quodam-
Cap. 32. modo facta fuerat ex duabus, & ideo inquã forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaverã: Quæ mihi quasi declamatio leuis, quàm grauis confeßio videtur, quamuis vtcumque temperata sit hæc ineptia, in eo, quod additum est, fortè. Et illud in lib. 13. quod dixi: Firmamentum factũ inter spiritales aquas superiores & corporales inferiores, non satis considerate dictum est. Res autem in abdito est valdè Hoc opus sic incipit: Magnus es Domine & laudabilis valdè.

DIVI AVRELII Augustini Confessionum Liber primus.

CAPVT I.

Admiratur diuinam maiestatem, accensus cupiditate illam laudibus prosequendi.

MAGNVS es Domine & laudabilis valde: magna virt⁹ tua, & sapiētię tuę nō est numerus. Et laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ; & homo circumferens mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui, & testimonium, quia superbis Deus resistis; & tamen laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ. Tu excitas, vt laudare te delectet, quia fecisti nos ad te; & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Da mihi Domine scire & intelligere, vtrum sit prius, inuocare te, an laudare te: & si scire te prius sit, an inuocare te.

Psal. 144. *Psal. 46.* *Iac. 4.*

2. Sed quis te inuocat, nesciēs te; aliud .n. pro alio potest inuocare, nesciens te. An poti⁹ inuocaris, vt sciaris? Quomodo au- *Rom. 10.*

autem inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent sine prædicante: & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Quærentes enim inuenient eum, & inuenientes laudabunt eum. Quæram te Domine, inuocans te; & inuocẽ te, credẽs in te; prædicatus es .n. nobis. inuocat te Domine fides mea, quam dedisti mihi; quã inspirasti mihi, per humanitatem filij tui, per ministerium prædicatoris tui.

Psal. 21. *Matth 7.*

CAPVT II.

A Deo habet homo vt sit; & quòd Deus in eo, & ipse in Deo sit.

1 ET quomodo inuocabo Deum meũ, Deum & Dominum meum? Quoniam vtique in meipsum eum vocabo, cùm inuocabo eum. Et quis locus est in me, quò veniat in me Deus meus? quò Deus veniat in me, Deus qui fecit cœlum & terram: Itane Domine Deus meus est quicquam in me, quod capiat te? An verò cœlum & terra, quæ fecisti, & in quibus me fecisti, capiunt te?

2. An quia sine te non esset, quicquid est; fit, vt quicquid est, capiat te? Quoniã itaq; & ego sũ, qui peto, vt venias in me, qui non essem, nisi esses in me? Nõ .n. ego iã in inferis, & tamẽ etiam ibi es. Nã, etsi

etsi descendero in infernum, ades. Non
ergo essem Deus meus, non omnino es- *Psal.* 138.
sem, nisi esses in me. An potius non es-
sem, nisi essem in te; ex quo omnia, per
quem omnia, in quo omnia? Etiā sic Do-
mine, etiā sic. Quò te inuoco, cùm in te *Rom.* 11.
sim? Aut vnde venias in me? Quò .n. rece-
dā extra cœlū & terrā, vt inde in me ve- *Hier.* 23.
niat Deus meus, qui dixit: Cœlum &
terram ego impleo?

CAPVT III.

Deus vbique totus, & non per partes à creatura capitur.

1 CApiunt ergòne te cœlum & terra,
quoniam tu imples ea? An imples, &
restat, quoniam non te capiunt? Et quò
refundis, quicquid impleto cœlo & ter-
ra restat ex te? An non opus habes, vt à
quoquam continearis, qui contines om-
nia; quoniam quæ imples, continendo
imples? Non enim vasa, quæ te plena
sunt, stabilem te faciunt: quia etsi fran-
gantur, nō effunderis. Et cùm effunderis
super nos, nō tu iaces, sed erigis nos: nec
tu dissiparis, sed colligis nos. Sed qui im-
ples omnia, te toto imples omnia?

2. An quia non possunt te totum ca-
pere omnia, partē tui capiunt, & eandē
partem simul omnia capiūt? An singulas

ſingula, & maiores maiora, minores minora capiunt? Ergo eſt aliqua pars tua maior, aliqua minor? An vbiq; totus es, & res nulla te totum capit?

CAPVT IV.

Deus omnibus donat, nihil amittens.

Pſal.17. 1. QVid es ergo, Deus meus? Quid ergo, niſi Dominus Deus? Quis enim Deus, præter Dominum? aut quis Deus, præter Deum noſtrum? Summe, optime, potentiſſime omnipotentiſſime, miſericordiſſime, & iuſtiſſime, ſecretiſſime, & præſentiſſime, pulcherrime & fortiſſime: ſtabilis, & incõprehenſibilis; immutabilis, mutans omnia; Nũquam nouus, numquam vetus, innouans omnia, & in vetuſtatẽ perducens ſuperbos, & neſciũt. Semper agens, ſemper quietus; colligens, & non egens, portans, & implens, & protegens, creans, & nutriens, & perficiens: quærens, cùm nihil deſit tibi.

2. Amas, nec æſtuas; zelas, & ſecurus es, pœnitet te, & non doles, iraſceris, & tranquillus es; Opera mutas, nec mutas conſilium, recipis quod inuenis, & numquam amittis. Nunquam inops, & gaudes lucris: Numquam auarus, & vſuras exigis. Supererogatur tibi, vt debeas, & quis habet quicquam non

tuum?

tuum? Reddis debita, nulli debens; donas debita, nihil perdens. Et quid dicimus, Deus meus, vita mea, dulcedo mea sancta? Aut quid dicit aliquis, cùm de te dicit? Et væ tacentibus de te, quoniam loquaces, muti sunt.

CAPVT V.

Orat veniam admissorum, & charitatem Dei.

QVis mihi dabit, acquiescere in te? Quis mihi dabit, vt venias in cor meum, & inebries illud; vt obliuiscar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te? Quid mihi es? Miserere, vt loquar. Quid tibi sum ipse, vt amari te iubeas à me; & nisi faciã, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Paruane ipsa est, si non amem te? Hei mihi: Dic mihi per miserationes tuas, Domine *Psal. 34.* Deus meus, quid sis mihi. Dic animæ meæ: Salus tua ego sum. Sic dic, vt audiã. Ecce aures cordis mei ante te Domine, aperi eas, & dic animæ meæ: Salus tua ego sum. *Psal. 34.* Curram post vocem hanc, & apprehendam te. Noli abscondere à me faciem tuam: Moriar, ne moriar, vt eam videam.

2. Angusta est domus animæ meæ,

quò venias ad eam, dilatetur abs te. Ruinosa est, refice eam. Habet, quæ offendant oculos tuos, fateor, & scio. Sed quis mundabit eam? Aut cui alteri, præter te, clamabo? *a* Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. *b* Credo, propter quod & loquor, Domine tu scis. *c* Nonne tibi prolocutus sum aduersū me delicta mea, De⁹ me⁹; & tu dimisisti impietatē cordis mei? *d* Nō iudicio contendo tecum, qui veritas es: & ego nolo fallere meipsum, *e* ne mentiatur iniquitas mea sibi. Non ergo iudicio cōtendo tecum: *f* quia si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

a Psal. 18. c Psa. 115. b Psal. 31. d Hier. 2. e Psal. 26. f Ps. 129

CAPVT VI.

Quòd omnia beneficia receperit à Deo, & in ipso conseruetur ab ipso.

1 SEd tamen sine me loqui apud misericordiam tuam, me terram & cinerem: Sine me tamen loqui, quoniam ecce misericordia tua est; non homo irrisor meus, cui loquor. Et tu fortasse irrides me, sed conuersus misereberis mei. Quid enim est, quod volo dicere, Domine Deus meus; nisi quia nescio, vnde venerim huc, in istam (dicā) mortalē vitā,

an mortem vitalem, nescio; Et susceperunt me consolationes miserationum tuarum, sicut audiui à parentibus carnis meæ, ex quo, & in qua formasti me in tempore: non enim ego memini. Exceperunt ergo me consolationes lactis humani. Nec mater mea, vel nutrices meæ, sibi vbera implebant; sed tu Dominè mihi dabas per eas alimentum infantiæ, secundùm institutionem tuam, & diuitias vsque ad fundum rerum dispositas. Tu etiam mihi dabas nolle ampliùs, quàm dabas; & nutrientibus me, velle mihi dare, quod eis dabas. Dare enim mihi per ordinatum affectum volebant, quo ex te abundabant. Nam bonum erat eis, bonum meum ex eis: quod non ex eis, sed per eas erat. Ex te quippe bona omnia Deus; & ex Deo meo salus mihi vniuersa. Quod animaduerti postmodum, clamante te mihi per hæc ipsa, quæ tribuis intus & foris. Nam tunc sugere noram, & acquiescere delectationibus. Flere autem offensiones carnis meæ nihil amplius. Post & ridere cœpi, dormiens primò; deinde vigilans. Hoc enim de me mihi indicatum est, & credidi, quoniam sic videmus & alios infantes.

Infantia Augustini.

Nam iſta mea non memini.

2. Et ecce paulatim ſentiebam, vbi eſſem; & voluntates meas volebam oſtendere eis, per quos implerentur, & non poteram, quia illæ intus erant, foris autem illi, nec vllo ſuo ſenſu, valebant introire in animam meam. Itaque iactabam mẽbra & voces, ſigna ſimilia voluntatibus meis, pauca quę poteram, qualia poterã, non .n. erãt veriſimilia. Et cùm mihi nõ obtẽperabatur, vel non intellecto, vel ne obeſſet; indignabar non ſubditis maioribus, & liberis non ſeruientibus, & me de illis flendo vindicabam. Tales eſſe infantes didici, quos diſcere potui, & me talem fuiſſe magis mihi ipſi indicauerunt neſcientes, quàm ſcientes nutritores mei. Et ecce, infantia mea olim mortua eſt, & ego viuo. Tu autem Domine, qui & ſemper viuis, & nihil moritur in te; quoniam ante primordia ſeculorũ, & ante omne, quod vel ante dici poteſt, tu es, & Deus es, Dominuſq; omnium, quæ creaſti: Et apud te rerum omnium inſtabilium ſtant cauſæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines: & omnium irrationabilium & temporalium ſempiternæ viuunt rationes; Dic mihi ſup-

plici

plici tuo Deus, & misericors misero tuo, dic mihi, vtrum alicui iam ætati meæ mortuæ successerit infantia mea, an illa est, quam egi intra viscera matris meæ? Nam & de illa mihi nonnihil indicatum est, & prægnantes ipse vidi fœminas.

3. Quid ante hanc etiam, dulcedo mea, Deus meus? Fui ne alicubi, aut aliquis? Nam quis mihi dicat ista, nō habeo: nec pater, nec mater potuerunt, nec aliorum experimentum, nec memoria mea. An irrides me ista quærentem te, qui de hoc, quod noui, laudari te à me iubes, & confiteri me tibi? Confiteor tibi Domine cœli & terræ, laudē dicēs tibi de primordijs, & infantia mea, quæ nō memini, & dedisti ea homini, ex alijs de se cōijcere; & auctoritatibus etiam mulierculārum, multa de se credere. Eram enim, & viuebam etiā tunc, & signa, quib. sensa mea nota alijs facerem, iam in fine infantiæ quærebā. Vnde hoc tale animal, nisi abs te Domine? An quisquā se faciendi erit artifex? Aut vlla vena trahitur aliunde, qua esse & viuere currat in nos, præterquā quòd tu facis nos Domine, cui esse & viuere, nō aliud atq; aliud est, quia sūmè esse, atque summè viuere, idipsū es?

Summus enim es, & non mutaris; neque peragitur in te hodiernus dies, & tamen in te peragitur, quia in te sunt & ista om-
Psal. 101. nia. Non enim haberent vias transeundi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies, Et quàm multi iam dies nostri & patrū nostrorum, per hodiernum tuum transierunt; & ex illo acceperūt modos, & vt-
Psal. 101. cunque extiterunt, & transibunt adhuc alij, & accipient, & vtcunque existēt. Tu autem idē ipse es; & omnia crastina atq; vltra, omniaque hesterna & retro, hodie facies, hodie fecisti. Quid ad me? Si quis non intelligit, gaudeat & ipse dicens: Quid est hoc? Gaudeat etiam sic; & amet non inueniendo inuenire potiùs, quàm inueniendo non inuenire te.

CAPVT VII.

Infantiam quoque peccatis esse obnoxiam.

1 EXaudi Deus. Væ peccatis hominum. Et homo dicit hæc, & misereris eius: quoniam tu fecisti eum, & peccatum non fecisti in eo. Quis mihi commemorat peccatum infantiæ meæ? Quoniam
Iob 25. nemo mundus à peccato coram te, nec infans, cuius est vnius diei vita super ter-

terrani. Quis mihi commemorat? An quilibet tantillus nunc paruulus, in quo video, quod nō memini de me? Quid ergo tunc peccabam? An quia vberibus inhiabam plorans? Nam si nunc faciam, non quidem vberibus, sed escæ congruēti annis meis ita inhians, deridebor atque reprehendar iustiſsimè. Tunc ergo reprehendenda faciebam: Sed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me, nec ratio sinebat. Nam & extirpamus & eijcimus ista crescentes. Nec vidi quemquam ſcientem, cū aliquid purgat, bona proijcere. An pro tempore etiam illa bona erant, flendo petere, etiam quod noxiè daretur; indignari acriter non subiectis hominibus, liberis, & maioribus, hisque, à quibus genitus est; multisque prætereà prudentioribus, non ad nutum voluntatis obtemperantibus, feriendo nocere niti, quantū potest; quia non obeditur imperijs, quib⁹ perniciosè obediretur? Ita imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus infantium. Vidi ego, & expertus sum zelantem paruulum; nondū loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum.

2. Quis hoc ignorat? Expiare se dicunt

ista

ista matres atque nutrices, nescio quibus remedijs. Nisi verò & ista innocentia est, in fonte lactis vbertim manante atque abundante opulentissimum, opis egentissimum, & illo adhuc vno alimento vitam ducentem, consortem non pati. Sed blandè tolerantur hæc, non quia nulla vel parua, sed quia ætatis accessu peritura sunt. Quod licèt probes, tamen ferri æquo animo eadem ipsa non possunt, quando in aliquo annosiore deprehenduntur. Tu itaque Domine Deus meus, qui dedisti vitam infanti, & corpus, quod ita vt videmus instruxisti sensibus, compegisti membris, figura decorasti, proque eius vniuersitate atque incolu-
Psal. 91. mitate, omnes conatus animantis insinuasti: iubes me laudare te in istis, & cõfiteri tibi, & psallere nomini tuo altissime. Quia Deus es omnipotens & bonus, etiam si sola ista fecisses, quæ nemo alius potest facere, nisi tu vne, à quo est omnis modus, formosissime, qui formas omnia, & lege tua ordinas omnia.

3. Hanc ergo ætatem Domine, qua me vixisse non memini; de qua alijs credidi, & quam me egisse ex alijs infantibus conieci: quanquam ista multùm fida cõiectura sit, piget me annumerare huic

vitæ meæ, qua viuo in hoc seculo. Quã-
tum .n. attinet ad obliuionis meæ tene-
bras, par illi est, qua vixi in matris vtero. Psal. 50.
Quòd si & in iniquitate conceptus sum,
& in peccatis mater mea in vtero me a-
luit; vbi oro te De⁹ me⁹, vbi Domine ego
seruus tuus, vbi aut quando innocẽs fui?
Sed ecce omitto illud tẽp⁹. Et quid mihi
iã cũ eo est, cuius nulla vestigia recolo?

CAPVT VIII.

Descriptio pueritiæ.

1 NOnne ab infantia huc pergens, ve-
ni in pueritiam, vel potius ipsa in
me venit, & successit infantiæ? Nec dis-
cessit illa, quò enim abijt? & tamen iam
non erat. Non .n. eram infans, qui non
farer, sed iam puer loquens eram. Et, me-
mini hoc, & vnde loqui didicerim, pòst
aduerti. Non .n. docebant me maiores
homines, præbentes mihi verba certo a-
liquo ordine doctrinæ, sicut paulò pòst
literas: sed ego ipse mente, quam dedisti
mihi Deus meus, cùm gemitibus & vo-
cibus varijs, & varijs mẽbrorum motib.
edere vellem sensa cordis mei, vt volun-
tati pareretur, nec valerẽ, quæ volebã o-
mnia, nec quibus volebam, omnia *præ-
stabam memoria, cùm ipsi appellabãt rẽ al. prensabam.
aliquam, & cùm secundum eam vo-
cem.

cem corpus ad aliquid mouebant, videbam, & tenebam hoc ab eis vocari rem illam, quod ſonabant, cùm eam vellent oſtendere.

2. Hoc autem eos velle, ex motu corporis aperiebatur; tanquam verbis naturalibus omnium gentium, quæ fiunt vultu & nutu oculorum, cæterorumque membrorum actu, & ſonitu vocis indicãte affectionem animi in petendis, habendis, reijciendis, faciendiſue rebus. Ita verba in varijs ſententijs locis ſuis poſita, & crebrò audita, quarũ rerum ſigna eſſent, paulatim colligebam, meaſque iam voluntates edomito in eis ſignis ore; per hæc enunciabam. Si cum his, inter quos erã, voluntatũ enũciandarũ ſigna cõmunicaui; & vitæ humanæ procelloſam ſocietatẽ altiꝰ ingreſſus ſum, pẽdens ex parẽtũ autoritate, nutuq; maiorũ hominũ.

CAPVT IX.

Odium literarum, & amor luſus in pueris.

1 DEus Deꝰ meus, quas ibi miſerias expertus ſum, & ludificationes, quandoquidem rectè viuere mihi puero id proponebatur, obtemperare monentibus; vt in hoc ſeculo florerem, & excellerem linguoſis artibus ad hono-

rem

rem hominum, & falſas diuitias famulantibus. Inde ad ſcholam datus ſum, vt diſcerem literas, in quibus, quid vtilitatis eſſet, ignorabam miſer, & tamen, ſi ſegnis in dicendo eſſem, vapulabam. Laudabatur enim hoc à maioribus. Et multi ante nos vitam iſtam agentes, præſtruxerant ærumnoſas vias, per quas trãſire cogebamur, multiplicato labore, & dolore filijs Adam.

2. Inuenimus autem Domine homines rogantes te; & didicimus ab eis, ſentientes te (vt poteramus) eſſe magnum aliquem; qui poſſes etiam, non apparens ſenſibus noſtris, exaudire nos, & ſubuenire nobis. Nam puer cœpi rogare te, auxilium & refugium meum; & in tuã inuocationem rumpebam nodos linguæ meæ: & rogabam te paruus non paruo affectu, ne in ſchola vapularem. Et cùm me non exaudiebas, quod nõ erat ad inſipientiam mihi, ridebantur à maioribus hominibus, vſque ab ipſis parentibus, qui mihi accidere mali nihil volebant, plagæ meæ, magnum tunc & graue malum meum. Eſtne quiſquam Domine tã magnus animus, pręgrãdi affectu tibi cohærens: eſtne inquam quiſquã (Facit enim hoc quædam etiam ſtoliditas:) *Pſal. 21.*

Eſt

Est ergo, qui tibi piè cohærendo, ita sit affectus granditer, vt eculeos, & vngulas atque huiuscemodi varia tormenta, pro quibus effugiēdis, tibi per vniuersas terras cum timore magno supplicatur, ita parui æstimet irridens eos, qui hæc acerbissimè formidant, quemadmodum parentes nostri ridebant tormenta, quibus pueri à magistris affligebamur? Non enim aut minùs ea metuebamus, aut minùs de te his euadendis deprecabamur, & peccabamus tamen minus scribendo, aut legendo, aut cogitando de literis, quàm exigebatur à nobis.

3. Non enim deerat Domine memoria vel ingenium, quæ nos habere voluisti pro illa ætate; sed delectabat nos satis ludere, & vindicabatur in nos ab eis, qui talia vtique agebāt. Sed maiorum nugæ, negotia vocantur. Puerorum aūt talia cùm sint, puniuntur à maioribus, & nemo miseratur pueros, vel illos, vel vtrosque. Nisi verò approbet quisquam bonus rerum arbiter vapulasse me, quia ludebam pila puer, & eo ludo impediebar, quò minùs celeriter discerem literas, quibus maior deformiùs luderem: Aut aliud faciebat idem ipse, à quo vapulabam. Qui si in aliqua quæstiuncula

à con

à condoctore suo victus esset, magis bile atque inuidia torquebatur, quàm ego, cùm in certamine pilæ à collusore meo superabar.

CAPVT X.

Ob pilæ lusum neglexit iussa parentum.

ET tamen peccabam Domine Deus, ordinator & creator omnium rerum naturalium, peccatorum autem tantùm non ordinator. Domine Deus meus, peccabam faciendo contra præcepta parentum, & magistrorum illorum. Poteram enim postea bene vti literis, quas volebant, vt discerem, quocumque animo illi mei. Non enim meliora eligens eram inobediens, sed amore ludendi, amans in certaminibus superbas victorias, & * scalpi aures meas falsis fabellis, quo prurirent ardentius, eadem curiositate magis magisque per oculos periculosa micante in spectacula ludosque maiorum, quos tamen qui edunt, ea dignitate præditi excellunt, vt hoc penè omnes optent paruulis suis, quos tamen cædi libenter patiuntur, si spectaculis talibus impediantur à studio, quo eos ad talia ædenda cupiunt peruenire. Vide ista Domine misericorditer, & libera nos iam

* al scalpsi.

iam inuocantes te, libera etiam eos, qui nondum te inuocant, vt inuocent te, & liberes eos.

CAPVT XI.

Puer morbo corripitur, reualeſcens baptiſmum differt.

1 AVdieram enim ego adhuc puer de vita æterna nobis promiſſa, per humilitatem filij tui Domini Dei noſtri, deſcendētis ad ſuperbiam noſtram; & ſignabar iam ſigno crucis eius, & condiebar eius ſale, iam inde ab vtero matris meæ, quæ multum ſperauit in te. Vidiſti Domine, cùm adhuc puer eſſem, & quodam die preſſus ſtomacho, repentè æſtuarem penè moriturus: Vidiſti Deus meus, quoniam cuſtos meus iam eras, quo motu animi, & qua fide baptiſmũ Chriſti tui Dei & Domini mei flagitaui, à pietate matris meæ, & matris omnium noſtrum Eccleſiæ tuæ. Et conturbata mater carnis meæ, quoniam & ſempiternam ſalutem meam chariùs parturiebat corde caſto in fide tua; iam curaret feſtinabunda, vt ſacramentis ſalutaribus initiarer & abluerer, te Domine Ieſu confitens in remiſſionem peccatorum, niſi ſtatim recreatus eſſem.

Dilata est itaque mundatio mea, quasi necesse esset, vt adhuc sordidarer, si viuerem; quia videlicet post lauacrum illud, maior & periculosior in sordibus delictorum reatus foret.

2 Ita iam credebam, & illa, & omnis domus, nisi pater solus; qui tamen non euicit in me ius maternæ pietatis, quò minùs in Christum crederem, sicut ille nondum crediderat. Nam illa satagebat, vt tu mihi pater esses Deus meus, potiùs quàm ille: & in hoc adiuuabas eam, vt superaret virum, cui melior seruiebat; quia & in hoc tibi, vtiq; id iubenti, seruiebat. Rogo te Deus meus, vellem scire, si tu etiã velles, quo consilio dilatus sum, ne tunc baptizarer: vtrum bono meo mihi quasi laxata sint lora peccandi, an nõ laxata sint? Vnde ergo etiam nunc de alijs atque alijs sonat vndique in auribus nostris, sine illum, faciat quod vult, nondũ .n. baptizatus est: & tamen in salutẽ corporis non dicimus, sine, vulneretur ampliùs, nondum .n. sanatus est. Quanto ergo melius, vt cito sanarer, & id ageretur mecum, meorum meaque diligentia; vt recepta salus animæ meæ, tuta esset tutela tua, qui dedisses eam? Melius verò. Sed quot, & quanti fluctus impendere

tenta-

tentationum poſt pueritiam videbantur, nouerat eos iam illa mater; & terram magis per eos, vnde poſteà formarer, quàm ipſam iam effigiem, committere volebat.

CAPVT XII.

Ad literas cogebatur, quo tamen Deus vtebatur bene.

1 IN ipſa tamen pueritia (de qua mihi minùs, quàm de adoleſcentia metuebatur) non amabam literas, & me in eas vrgeri oderam: & vrgebar tamen, & bene mihi fiebat, nec faciebam ego bene: non enim diſcerem, niſi cogerer. Nemo enim inuitus bene facit, etiam ſi bonum eſt, quod facit. Nec qui me vrgebant, bene faciebant: ſed bene mihi fiebat abs te Deus meus. Illi enim non intuebantur, quò referrem, qui me diſcere cogebant; præterquam ad ſatiandas inſatiabiles cupiditates copioſæ inopiæ, & ignominioſæ gloriæ.

2. Tu verò, cui numerati ſũt capilli capitis noſtri, errore omniũ, qui mihi inſtabant, vt diſcerẽ, vtebaris ad vtilitatẽ meã: meo autẽ, qui diſcere nolebã, vtebaris ad pœnã meam, qua plecti non eram indignus tantillus puer, & tantus peccator. Ita de non benefacientibus tu bene
Mat. 10.

facic-

faciebas mihi: & de peccante meipso, iustè retribuebas mihi. Iussisti enim, & sic est, vt pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.

CAPVT XIII.

Quibus studijs sit potissimùm delectatus.

1 QVid autem erat caussæ, cur græcas literas oderam, quib⁹ puerulus imbuebar; ne nunc quidem mihi satis exploratum est. Adamaueram enim latinas, non quas primi magistri, sed quas docent, qui grammatici vocantur. Nam illas primas, vbi legere, & scribere, & numerare discitur, non minùs onerosas pœnalesque habebam, quàm omnes græcas. Vnde tamē & hoc, nisi de peccato, & vanitate vitæ? quia caro eram, & spiritus ambulans & non reuertens. Nam *Psal. 77.* vtique meliores, quia certiores erant primæ illæ literæ, (quibus fiebat in me, & factum est, & habeo illud, vt & legam, si quid scriptum inuenio; & scribam ipse, si quid volo) quàm illæ, quibus tenere cogebar AEneæ nescio cuius errores, oblitus errorum meorum; & plorare Didonem mortuam, quia se occidit ob amorem, cùm interea meipsum in his à te morientem, Deus vita

mea, ſiccis oculis ferrem miſerrimus. Quid enim miſerius miſero, non miſerante ſeipſum; & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando AEneam; non flente autem mortem ſuam, quæ fiebat non amando te?

2. Deus lumen cordis mei, & panis oris intus animæ meæ, & virtus maritans mentem meam, & ſinum cogitationis meæ, nõ te amabam; & fornicabar abs te, & fornicanti ſonabat vndique, euge euge. Amicitia enim huius mundi fornicatio eſt abs te. Et, euge euge dicitur, vt pudeat, ſi non ita homo ſit. Et hæc non flebam, ſed flebam Didonem extinctam, ferroque extrema ſecutam; ſequens ipſe extrema condita tua relicto te, & terra iens in terram; & ſi prohiberer ea legere, dolerem, quia non legerem, quod dolerem. Talis dementia, honeſtiores & vberiores literæ putabantur, quàm illæ, quibus legere & ſcribere didici.

Pſal.34. *Iac.4.*

3. Sed nũc in anima mea Deus meus clamet, & veritas tua dicat mihi: Non eſt ita, nõ eſt ita, melior eſt prorſus doctrina illa prior. Nã ecce paratior sũ obliuiſci errores AEneæ, atque omnia eiuſmodi, quàm ſcribere & legere. At .n. vela pendẽt liminib. grammaticarũ ſcholarũ; ſed

non

non illa magis honorem ſecreti, quàm tegumentum erroris ſignificant. Non clament aduerſum me, quos iam non timeo, dum confiteor tibi, quæ vult anima mea Deus meus; & acquieſco in reprehẽſione malarum viarum mearum, vt diligam bonas vias tuas. Non clamẽt aduerſum me venditores grammaticæ, vel emptores, quia ſi proponam eis interrogans, vtrum verum ſit, quòd AEneam aliquando Carthaginem veniſſe Poeta dicit: indoctiores ſe neſcire reſpõdebunt, doctiores autem etiam negabunt verum eſſe.

4. At ſi quæram, quibus literis ſcribatur AEneæ nomen, omnes mihi, qui hæc didicerunt, verum reſpondent: ſecundũ id pactum & placitum, quo inter ſe homines iſta ſigna firmarunt. Itẽ, ſi quærã, quid horum maiore vitæ huius incommodo quiſq; obliuiſcatur, legere & ſcribere, an poetica illa figmenta: quis non videat, quid reſponſurus ſit, qui non eſt penitus oblitus ſui. Peccabam ergo puer, cùm illa inania iſtis vtilioribus amore præponebam; vel potiùs iſta oderã, illa amabam. Iam verò vnum & vnum duo, duo & duo quatuor, odioſa cãtio mihi erat & dulciſſimum ſpectaculũ vanitatis,

equus ligneus plenus armatis; & Troiæ incendium, atque ipsius vmbra Creusæ.

CAPVT XIV.

De literis Græcis, & Latinis.

1 CVr ergo græcam etiam grammaticam oderam talia cātantem? Nam & Homerus peritus texuit tales fabellas, & dulcissimè vanus est; mihi tamen amarus erat puero. Credo etiam græcis pueris Virgilius ita sit, cùm eum sic discere coguntur, vt ego illum, videlicet difficulter. Difficultas omnino ediscendæ peregrinæ linguæ, quasi felle aspergebat omnes suauitates græcas fabulosarum narrationum. Nulla enim verba illa noueram, & sæuis terroribus ac pœnis, vt nossem, instabatur mihi vehementer. Nam & Latina aliquādo (infans vtique) nulla noueram, & tamen aduertendo, didici sine vllo metu atque cruciatu, inter etiam blandimenta nutricū, & ioca arridentium, & lætitias alludentium.

2. Didici verò illa sine pœnali onere vrgentium, cùm me vrgeret cor meū ad parienda concepta sua: & quia non esset, nisi aliqua verba didicissem, non à docētibus, sed à loquentibus; in quorū & ego auri-

auribus parturiebam, quicquid sentiebam. Hinc satis elucet, maiorem habere vim ad discenda ista liberam curiositatē, quàm meticulosam necessitatem. Sed illius fluxum hæc restringit legibus tuis Deus legibus tuis à magistrorum ferulis vsque ad tentationes martyrum, valentibus legibus tuis miscere salubres amaritudines, reuocantes nos ad te à iocunditate pestifera, qua recessimus à te.

CAPVT XV.

Precatio ad Deum.

1 EXaudi Domine deprecationem meā, ne deficiat anima mea sub disciplina tua; neque deficiam in confitendo tibi miserationes tuas, quibus eruisti me ab omnibus vijs meis pessimis: vt dulcescas mihi super omnes seductiones, quas sequebar; & amē te validissimè, & amplexer manum tuam totis præcordijs meis, vt eruas me ab omni tentatione vsque in finem.

2. Ecce enim tu Domine Rex meus, tibi seruiat, quicquid vtile puer didici; tibi seruiat, quod loquor, & scribo, & lego, & numero. Quoniam, cùm vana discerem, tu disciplinam dabas mihi: & in eis vanis, peccata delectationū mearū

dimisisti mihi. Didici enim in eis multa verba vtilia, sed & in rebus non vanis disci possunt; & ea via tuta est, in qua pueri ambularent.

CAPVT XVI.

In lasciuas fabulas.

1 SEd væ tibi flumen moris humani: Quis resistet tibi? Quamdiu non siccaberis? Quousque volues Euæ filios in mare magnū & formidolosū, quod vix transeunt, qui lignum conscenderint? Nonne ego in te legi, & tonantē Iouē, & adulterantem? Et vtiq; non posset hæc duo; sed actum est, vt haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falso tonitruo. Quis autem penulatorum magistrorum audit aure sobria, ex eodem puluere hominem clamantem & dicentem: Fingebat hæc Homerus: & humana ad eos transferebat, diuina mallē ad nos. Sed verius dicitur, quòd fingebat hæc quidem ille: sed hominibus flagitiosis diuina tribuendo, ne flagitia putarentur, & vt quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cœlestes Deos videretur imitatus.

Penulati magistri grammatici propter pallium vile.

2. Et tamen ô flumen tartareum, iactantur in te filij hominum cum mercedibus, vt hæc discant, & magna

gna res agitur, cùm hoc agitur publicè in foro, in conspectu legum* super mercedem salaria decernentium; & saxa tua percutis & sonas, dicens: Hinc verba discuntur; hinc acquiritur eloquentia, rebus persuadendis sententijsque explicandis maximè necessaria. Ita verò nō cognosceremus verba hæc; imbrem aureum, & gremium, & fucum, & templa cœli, & alia verba, quæ in eo loco scripta sunt; nisi Terentius induceret nequam adolescentem, proponentem sibi Iouem ad exemplum stupri; dum spectat tabulam quandam pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc: Iouem quo pacto Danaæ misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri. Et vide quemadmodum se concitat ad libidinem, quasi cœlesti magisterio.

al. suprà

In Eunucho.

3. At, quem Deum, inquit? Qui templa cœli summo sonitu cōcutit. Ego homuncio id non facerem? Ego verò illud feci, ac libens. Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodiùs discuntur, sed per hæc verba turpitudo ista confidentiùs perpetratur. Non accuso verba, quasi vasa electa atque preciosa: sed vinum erroris, quod in eis nobis propinatur ab ebrijs doctoribus:

& nisi biberemus, cædebamur, nec appellare ad aliquem iudicem sobrium licebat. Et tamen ego Deus meus, in cuius cõspectu iam secura est recordatio mea, libenter hæc didici, & delectabar miser, & ob hoc bonæ spei puer appellabar.

CAPVT XVII.

Modus exercendæ iuuentutis, in recitandis & mutandis versibus.

1 SIne me Deus meus dicere aliquid, & de ingenio meo munere tuo, in quibus à me deliramentis atterebatur, proponebatur enim mihi negotium animæ meæ satis inquietum, præmio laudis & dedecoris, vel plagarum metu; vt dicerẽ verba Iunonis irascentis & dolentis, quòd non posset Italia Teucrorum auertere regem, quæ nunquam Iunonem dixisse audieram: sed figmentorum poeticorũ vestigia errantes sequi cogebamur; & tale aliquid dicere solutis verbis, quale poeta dixisset versibus. Et ille dicebat laudabilius, in quo pro dignitate adumbratæ personæ, iræ ac doloris, similior affectus eminebat, verbis sententias cõgruentes vestientibus.

Virgil. lib. 1 AEneid.

2. Vt quid mihi illud, ô vera vita mea,

Deus

Deus meus? quid mihi recitāti acclamabatur præ multis coætaneis & conlectoribus meis? Nonne ecce illa omnia fumus & ventus? Itane aliud non erat, vbi exerceretur ingenium & lingua mea? Laudes tuæ Domine, laudes tuæ per scripturas tuas suspenderent palmitem cordis mei: & non raperetur per inania nugarum turpis præda volatilibus. Non enim vno modo sacrificatur transgressoribus Angelis.

CAPVT XVIII.

Quòd homines curant seruare leges grammaticorũ & non diuinorum præceptorum.

1 QVid autem mirum, quòd in vanitates ita ferebar, & à te Deus meus ibam foras; quando mihi imitandi proponebantur homines, qui aliqua facta sua non mala, si cum barbarismo aut solœcismo enunciarent, reprehensi confundebantur? si autem libidines suas, integris & ritè consequentibus verbis, copiosè ornateque narrarent, laudari gloriabantur? Vides hæc Domine, & taces longanimis, & multum misericors, & verax. Nunquid semper tacebis? Et nunc eruis de hoc immanissimo pro- Psal. 10.

fundo quærentem te animam, & sitientem delectationes tuas, & cuius cor dicit tibi: Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Nam longè à vultu tuo ieram, in affectu tenebroso.

Psal. 20.

Luc. 15.

2. Non enim pedibus & spacijs locorū itur abs te, aut reditur ad te. Aut verò filius ille tuus minor equos aut currus vel naues quæsiuit, aut auolauit penna visibili, aut moto poplite iter egit; vt in longinqua regione viuens, prodigè dissiparet, quod dederas proficiscenti? Dulcis pater, quia dederas, & egeno redeunti dulcior. In affectu ergo libidinoso, id enim est tenebroso, atque id est longè à vultu tuo. Vide Domine Deus, & patienter, vt vides, vide, quomodo diligenter obseruent filij hominum pacta literarum & syllabarum, accepta à prioribus locutorib⁹, & à te accepta æterna pacta perpetuæ salutis negligant; vt qui illa sonorum vetera placita teneat aut doceat, si contra disciplinam grammaticam, sine aspiratione primæ syllabæ ominem dixerit, magis displiceat hominibus, quàm si contra tua præcepta hominē oderit, cū sit homo. Quasi verò quemblibet inimicū hominem perni-

Aspiratio exprimē-da.

perniciosius sentiat, quàm ipsum odiũ, quo in eum irritatur, aut vastet quisquã persequendo alium grauius, quàm cor suum vastat inimicando.

3. Et certè non est interior literarum scientia, quàm scripta, conscientia, id se alteri & facere, quod nolit pati. Quàm tu secretus es, habitans in excelsis in silentio, Deus solus magnus, lege infatigabili spargens pœnales cœcitates super illicitas cupiditates. Cùm homo eloquentiæ famam quærit, astans ante hominem iudicem, circumstante hominum multitudine, inimicum suũ odio immanissimo insectans, vigilantissimè cauet, ne per linguæ errorem, dicat inter*hominibus: & ne per mentis furorem, hominem auferat ex hominibus, non cauet.

Tob. 4. Matt. 7.

Id est, solœcismũ dicat.

CAPVT XIX.

Quòd plus curauit vitare barbarismum, quàm vitia morum.

1 HOrum ego puer morum in limine iacebam miser, & huius arenæ palæstra erat illa, vbi magis timebam barbarismum facere, quàm cauebam, si facerem, non facientibus hæc inuidere. Dico hæc, & confiteor tibi

Deus meus, in quibus laudabar ab eis; quibus placere, tunc mihi erat honestè viuere. Non enim videbam voraginem turpitudinis, in quam proiectus eram ab oculis tuis. Nam in illis iam quid me fœdius fuit; vbi etiam talibus displicebam, fallendo innumerabilibus mendacijs & pædagogum, & magistros, & parentes amore ludendi, studio spectandi nugatoria, & imitandi ludrica inquietudine?

2 Furta etiam faciebã de cellario parentũ, & de mẽsa: vel gula imperitante: vel vt haberẽ, quod darẽ pueris, ludũ suũ mihi, quo pariter vtique delectabantur, tamen vendentibus. In quo etiam ludo fraudulẽtas victorias, ipse vana excellentiæ cupiditate victus; sæpe aucupabar. Quid autem tam nolebã pati, atq; atrociter, si deprehenderẽ, arguebam, quàm id, quod alijs faciebã; & si deprehẽsus arguerer, sæuire magis, quã cedere libebat.

3. Istane est innocentia puerilis? Non est Domine, Domine non est, oro te Deus meus. Nã hæc ipsa sunt, quæ à Pædagogis & magistris, à nucibus & pilulis & passeribus, ad præfectos & reges, aurum prædia, mãcipia: Hæc ipsa omnino succedẽtibus maioribus ætatibus transeunt,

sicuti

ſicuti ferulis maiora ſupplicia ſuccedũt. Humilitatis ergo ſignum in ſtatura pue- *Mar. 10.*
ritiæ rex noſter probaſti, cùm aiſti: Talium eſt regnum cœlorum.

CAPVT XX.

Pro bonis operibus ſibi collatis Deo gratias agit.

1 SEd tamen Domine, tibi excellentiſſimo atq; optimo conditori & rectori vniuerſitatis, Deo noſtro gratias, etiãſi me puerum tantùm eſſe voluiſſes. Eram enim, & iam tunc viuebam atque ſentiebam, meamque incolumitatem, veſtigium ſecretiſſimæ vnitatis, ex qua eram, curæ habebam; cuſtodiebam interiore ſenſu integritatem ſenſuum meorum; inque ipſis paruis, paruarumque rerum cogitationibus, veritate delectabar. Falli nolebam, memoria vigebam, locutione inſtruebar, amicitia mulcebar, fugiebam dolorem, abiectionem, ignorantiam. Quid in tali animante non mirabile atque laudabile?

2. At iſta omnia Dei mei dona ſunt, non mihi ego dedi hæc, & bona ſunt, & hæc omnia ego. Bonus ergo eſt, qui fecit me, & ipſe eſt bonũ meũ, & illi exulto bonis omnib. quibus etiam puer erã.

Hoc enim peccabam, quòd non in ipso, sed in creaturis eius, me atque cæteras voluptates, sublimitates, veritates quærebam, atque ita irruebam in dolores, confusiones, errores. Gratias tibi dulcedo mea, & honor meus, & fiducia mea, Deus meus. Gratias tibi de donis tuis, sed tu mihi ea serua. Ita enim seruabis me, & augebuntur, & perficientur, quæ dedisti mihi, & ero ipse tecum: quia & vt sim, tu dedisti mihi.

DIVI AVRELII Augustini Confessionum Liber secundus.

CAPVT I.

Adolescentiæ ætatem & vitia ingreditur.

1 RECordari volo trāsactas fœditates meas, & carnales corruptiones animæ meæ, nō quòd eas a- al. quo. mem, sed vt amem te, Deus meus. Amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas, in amaritudine recogitationis meæ, vt tu dulcescas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix & secura, & colligens me à disper-

dispersione, in qua frustatim discissus sum, dum ab vno te auersus, in multa euanui.

2. Exarsi enim aliquando satiari in inferis, in adolescentia, & siluescere ausus sum, varijs & vmbrosis amoribus, & cōtabuit species mea, & computrui coram oculis tuis, placens mihi, & placere cupiens oculis hominum.

CAPVT II.

Accusat adolescentiam in ardore libidinoso consumptam.

1 ET quid erat, quod me delectabat, nisi amare & amari? Sed non tenebatur modus ab animo vsque ad animum, quatenus est limosus limes amicitiæ. Sed exhalabantur nebulæ de limosa cōcupiscentia carnis, & scatebra pubertatis, & obnubilabant atq; obfuscabant cor meum, vt non discerneretur serenitas dilectionis à caligine libidinis. Vtrumque in confuso æstuabat, & rapiebat imbecillem ætatem per abrupta cupiditatum, atque mersabat gurgite flagitiorum. Inualuerat super me ira tua, & nesciebam. Obsordueram stridore catenæ mortalitatis meæ, pœna superbiæ animæ meæ: & ibam longiùs à te, & sinebâs, & iactabar, & effundebar, & diffluc-

Obsordeo, compositū à sordeo.

diffluebam, & ebulliebam per fornicationes meas, & tacebas. O tardum gradū meum. Ta cebas tunc, & ego ibam porrò longè à te, in * plurima & plura sterilia semina dolorum, superba deiectione & inquieta lassitudine.

al. plura.

2. Quis mihi moderaretur ærumnam meam, & nouissimarum rerum fugaces pulchritudines in vsum verteret, earumque suauitatibus metas præfigeret; vt vsque ad coniugale littus exæstuarent fluctus ætatis meæ; si tranquillitas in eis nō poterat esse, fine procreandorum liberorum contenta, sicut præscribit lex tua Domine: qui formas etiam propaginem mortalitatis nostræ, potens imponere lenem manum, ad temperamētum spinarum, à paradiso tuo seclusarum? Non enim longè est à nobis omnipotentia tua, etiam cùm longè sumus à te: aut certè sonitum nubium tuarum vigilantius aduerterem. Tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Et, bonum est homini mulierem non tangere. Et, Qui sine vxore est, cogitat ea, quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo. Qui autem matrimonio iunctus est, cogitat ea, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori.

1. Cor. 7.
Ibidem.
Ibidem.

3. Has ergo voces exaudirem vigilantior, & abſciſſus propter regnum cœlorum, felicior expectarẽ amplexus tuos. Sed efferbui miſer, ſequens impetum fluxus mei relicto te; & exceſſi omnia legitima tua, nec euaſi flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam tu ſemper aderas miſericorditer ſæuiens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas iocunditates meas, vt ita quærerem ſine offenſione iocundari. Et vbi hoc poſſem, non inuenirem quicquam, præter te Domine: præter te, qui fingis dolorem in præcepto; & percutis, vt ſanes, & occidis nos, ne moriamur abs te. Vbi eram, & quàm longè exulabam à delicijs domus tuæ, anno illo ſexto decimo ætatis carnis meæ; cùm accepit in me ſceptrum, & totas manus ei dedi, veſaniȩ libidinis, licentioſæ per dedecus humanum, illicitæ autem per leges tuas? Non fuit cura meorum, ruentem excipere me matrimonio: ſed cura fuit tantùm, vt diſcerem ſermonem facere quàm optimũ, & perſuadere dictione.

Pſal. 93.
Deut. 32.

CAPVT III.

De peregrinatione ſtudiorum cauſa, & parentum propoſito.

Et

1 ET anno quidem illo intermissa erãt studia mea, dum mihi reducto à Madauris, in qua vicina vrbe iam cœperam literaturæ atque oratoriæ percipiendæ gratia peregrinari, longinquioris apud Carthaginem peregrinationis sumptus præparabantur, animositate magis, quàm opibus patris, municipis Thagastensis admodum tenuis. Cui narro hæc? Neque enim tibi Deus meus, sed apud te narro hæc generi meo, generi humano, quantulacunque ex particula incidere potest in istas meas literas. Et, vt quid hoc? Vt videlicet ego, & quisquis hæc legit, cogitemus de quàm profundo clamandum sit ad te. Et quid proprius auribus tuis, si cor confitens & vita ex fide est? Quis enim hominum non extollebat laudibus tunc patrem meum, quod vltra vires rei familiaris suæ impenderet filio, quicquid etiam longè peregrinãti studiorum causa opus esset? Multorum enim ciuium longè opulentiorum nullũ tale negotium pro liberis erat. Cũ interea non satageret idẽ pater, qualis crescerẽ tibi, aut quã castus essem, dũ modò essẽ disertus, vel desertus potiꝰ à cultura tua Deus, qui es vnꝰ, verꝰ, & bo-

nus Dominus agri tui cordis mei.

2. Sed vbi ſexto illo decimo anno, interpoſito otio ex neceſſitate domeſtica feriatus ab omni ſchola, cum parentibus eſſe cœpi, exceſſerunt caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus. Quinimò, vbi me ille pater in balneis vidit pubeſcentē, & inquieta indutū adoleſcentia, quaſi iā ex hoc in nepotes geſtiret, gaudens matri indicauit; gaudēs vinolentia, in qua te iſte mundus oblitus eſt creatorem ſuum, & creaturā tuā pro te amauit, de vino inuiſibili peruerſæ atque inclinatæ in ima* voluntatis ſuę. Sed matris in pectore iam inchoaueras templum tuū, & exordium ſanctæ habitationis tuæ. Nam ille adhuc catechumenus, & hoc recens erat. Itaque illa exiliuit pia trepidatione ac tremore: & quāuis mihi nondum fideli, timuit tamen vias diſtortas; in quibus ambulant, qui ponunt ad te tergum & non faciem.

* al. voluptatis.

3. Hei mihi, & audeo dicere tacuiſſe te Deus meus, cùm irem abs te longiùs. Itáne, tu tacebás tunc mihi? Et cuius erant, niſi tua verba illa per matrem meam fidelem tuam, quæ cantaſti in aures meas? Nec inde quicquam deſcendit in cor meū, vt facerē illud. Vole-

bat

bat enim illa, & secreto memini, vt monuerit cum solicitudine ingenti, ne fornicarer, maximeque ne adulterarem cuiusquam vxorem. Qui mihi monitus muliebres videbantur, quibus obtemperare erubescerem. Illi autem tui erant, & nesciebam; & te tacere putabam, atque illam loqui, per quam mihi tu non tacebas, & in illa contemnebaris à me, à me filio eius, filio ancillæ tuæ seruo tuo. Sed nesciebam; & præceps ibam tanta cæcitate, vt inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos iactantes flagitia sua; & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent: & libebat facere non solùm libidine facti, verùm etiam laudis.

4. Quid dignum est vituperatione, nisi vitium? Ego ne vituperarer, vitiosior fiebam: & vbi non suberat, quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse; quod non feceram: ne viderer abiectior, quò eram innocentior; & ne vilior haberer, quo erã castior. Ecce cũ quibus comitib⁹ iter agebam platearũ Babyloniæ; & volutabar in cœno eius, tamquam in cinamomis & vnguentis preciosis: Et in vmbilico eius, quò tenacius hærerẽ. Calcabat me inimicus inuisibilis, & seduce-

ducebat me, quia ego seductilis eram. Non enim & illa, quæ iam de medio Babylonis fugerat, sed ibat in cæteris eius tardior mater carnis meæ, sicut monuit me pudicitiam, ita curauit, quod de me à viro suo audierat. Iamque pestilẽtiosum, & in posterum periculosum sentiebat, coërcere termino coniugalis affectus, si resecari ad viuum non poterat. Non curauit hoc, quia metus erat: ne impediretur spes mea compede vxoria. Non spes illa, quam in te futuri seculi habebat mater, sed spes litterarum, quas vt nossem, nimis volebat parens vterq;. Ille, quia de te propè nihil cogitabat, de me autem inania; Illa autem, quia non solùm nullo detrimento, sed etiam nonnullo adiumento ad te adipiscendum profutura æstimabat vsitata illa studia doctrinæ. Ita enim conijcio recolens, vt possum, mores parentum meorum. Relaxabantur etiam mihi ad ludendum habenæ, vltra temperamentum seueritatis, in dissolutionem affectionum variarũ, & in omnibus erat caligo, intercludens mihi (Deus meus) serenitatem veritatis tuæ; & prodibat, tanquam ex adipe, iniquitas mea.

Ad viuũ resecare, id est, omnino tollere.

Psal. 72.

CA-

CAPVT IV.

Furtum Augustini.

1 FVrtum certè punit lex tua Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? Nec copiosus, ad actum inopia: Et ego furtum facere volui, & feci, nulla compulsus egestate, nec penuria, sed fastidio iustitiæ, & sagina iniquitatis. Nā id furatus sum, quod mihi abundabat, & multò melius. Nec ea re volebam frui, quam furto appetebam, sed ipso furto, & peccato. Arbor erat pirus in vicinia vineæ nostræ pomis onusta, nec forma, nec sapore illecebrosis. Ad hanc excutiendam atque asportandam, nequissimi adolescentuli perreximus nocte intempesta, quousq; ludum de pestilentię more in areis produxeramus, & abstulimus inde onera ingētia, nō ad nostras epulas, sed vel proijcienda porcis, etiā si aliquid inde comedimus; dum tamen fieret à nobis, quod eo liberet, non quod liceret.

2. Ecce cor meū Deus meus, ecce cor meum, quod miseratus es in imo abyssi. Dicat tibi nunc ecce cor meum, quid ibi quærebat, vt essē gratis malus, & malitiæ meę causa nulla esset, nisi malitia fœda.

Et amaui eam, amaui perire, amaui defectum meum, non illud, ad quod deficiebam, sed defectum ipsum meum amaui. Turpis animæ, & dissiliens à firmamento tuo in exterminium; non de decore aliquid, sed dedecus appetens.

CAPVT V.

Neminem peccare sine causa.

1 ETenim species est pulchris corporibus, & auro, & argento, & omnibus, & in contactu carnis congruentia valet plurimum, cæterisque sensibus est sua cuique accommodata modificatio corporum. Habet etiam honor temporalis, & imperitandi, atque superandi potentia suum decus, vnde etiam vindictæ auiditas oritur: & tamen in cuncta hæc adipiscenda non est egrediendum abs te Domine, neque deuiandum à lege tua. Et vita, qua hic viuimus, habet illecebrã suam propter quendam modum decoris sui, & conuenientiam cum his omnibus infimis pulchris.

2. Amicitia quoque hominum caro nodo dulcis est, propter vnitatem de multis animis. Propter vniuersa hęc atque huiusmodi, peccatum admittitur: dum immoderata in ista inclinatione

cùm

cùm extrema bona sint, meliora & summa deseruntur, tu Domine Deus noster, & veritas tua, & lex tua. Habent enim & hæc ima delectationes, sed non sicut Deus meus, qui fecit omnia; quia in ipso delectatur iustus, & ipse est delitiæ rectorum corde. Cùm itaque de facinore quæritur, qua causa factum sit, credi non solet, nisi cùm appetitus adipiscendi alicuius illorum bonorum, quæ infima diximus, esse potuisse apparuerit, aut metus amittendi. Pulchra sunt enim & decora: quamquam præ bonis superioribus & opibus beatificis, abiecta & iacentia.

3. Homicidium fecit. Cur fecit? Adamauit eius coniugem, aut prædium; aut voluit deprædari, vnde viueret, aut timuit ab illo tale aliquid amittere: aut læsus vlcisci se exarsit. Num homicidiũ sine causa faceret, ipso homicidio delectatus? Quis crediderit? Nam & de quo dictũ est vecordi, & nimis crudeli homine, quòd gratuitò potiùs malus atque crudelis erat, prædicta est tamen causa, ne per ocium (inquit) torpesceret manus aut animus. Quare id quoque? Cur ita? Vt scilicet illa exercitatione scelerum, capta vrbe, honores, imperia, diuitias assequeretur; & careret metu legum,

&

& difficultate rerum, propter inopiam rei familiaris, & conſcientiam ſcelerum. Nec ipſe igitur Catilina amauit facinora ſua, ſed vtique aliud, cuius cauſa illa faciebat.

CAPVT VI.

Omnia, quæ boni ſpecie nos ad vitia inuitant, in ſolo Deo eſſe vera & perfecta.

1 QVid ego miſer in te amaui, ô furtũ meum, ô facinus illud meum nocturnum ſextidecimi anni ætatis meæ? Non enim pulchrum eras, cùm furtum eſſes, aut verò aliquid es, vt loquar ad te? Pulchra erant poma illa, quæ furati ſumus: quoniam creatura tua erant, pulcherrime omnium, creator omniũ, De⁹ bone, Deus ſummum bonũ, & bonũ verũ meũ. Pulchra erant illa poma, ſed non ipſa concupiuit anima mea miſerabilis. Erat enim mihi meliorum copia: illa aũt decerpſi, tantùm vt furarer. Nam decerpta proieci, epulatus: inde ſola iniquitate, qua lætabar, fruens. Nam & ſi quid illorum pomorum intrauit in os meum, condimentum ibi facinus erat.

2. Et nunc Domine Deus meus quæro, quid me in furto delectauerit, & ec-

ce species nulla est. Non dico sicut in æquitate, atque prudentia, sed neque sicut in mente hominis atq; memoria & sensibus & vegetãte vita. Neq; sicut speciosa sunt sydera & decora locis suis, & terra & mare plena fœtibus, qui succedũt nascẽdo decedentibus. Non saltẽ, vt est quędam defectiũa species & vmbratica vitijs fallentibus. Nam & superbia celsitudinẽ imitatur, cùm tu sis vnus super omnia Deus excelsus. Et ambitio quid nisi honores quærit & gloriam, cùm tu sis præ cunctis honorandus vnus & gloriosus in æternum? Et sæuitia potestatum timeri vult. Quis autem timendus, nisi vnus Deus? Cuius potestati eripi aut subtrahi quid, quando, aut vbi, aut quò, vel à quo potest? Et blanditiæ lasciuientium amari volunt, sed neque blandius est aliquid tua charitate; nec amatur quicquam salubrius, quàm illa præ cunctis formosa & luminosa veritas tua. Et curiositas affectare videtur studiũ scientiæ, cùm tu omnia summè noueris.

3. Ignorantia quoque ipsa atque stultitia simplicitatis & innocentiæ nomine tegitur, quia te simplicius quicquam non reperitur. Quid autem te innocentius, quandoquidem opera tua

malis

malis inimica sunt? Et ignauia, quasi quietem appetit: quæ verò quies certa, præter Dominum? Luxuria satietatem, atque abundantiam se cupit vocari, tu tamen es plenitudo, & indeficiens copia incorruptibilis suauitatis. Effusio liberalitatis obtendit vmbram, sed bonorum omnium largitor affluentissimus tu es. Auaritia multa possidere vult, & tu possides omnia. Inuidentia de excellentia litigat, quid te excellentius? Ira vindictã quærit: te iustius quis vindicat? Timor insolita & repentina exhorrescit, rebus quæ amantur auersantia, dum præcauet securitati. Tibi enim quid insolitũ, quid repentinum? Aut quis à te separat, quod diligis? Aut vbi, nisi apud te, firma securitas?

Tristitia rebus amissis cõtabescit, quibus se oblectabat cupiditas; quia ita sibi nollet, sicut tibi auferri nihil potest. Ita fornicatur anima, cũ auertitur abs te, & quærit extra te ea, quę pura & liquida nõ inuenit, nisi cũ redit ad te. Peruersè te imitantur oẽs, qui longè se à te faciũt, & extollũt se aduersũ te. Sed etiã sic te imitãdo, indicant creatorẽ te esse omnis naturę, ideò nõ esse, quò à te omnino recedatur. Quid ergo in illo furto ego dilexi:

& in quo Dominum meum vel vitiosè atque peruersè imitatus sum? An libuit facere contra legem, saltem fallacia, quia potentatu non poteram, vt mancā libertatem captiuus imitarer, faciendo impunè, quod non liceret tenebrosa omnipotentiæ similitudine.

CAPVT VII.

Gratias agit Deo pro remissione peccatorum, quodq́; à multis seruatus sit.

1 ECce si est ille seruus fugiens dominum suum, & consecutus vmbram. O putredo, ô monstrum vitæ, & mortis profunditas! Potuitne libere, quod non licebat? non ob aliud, nisi quia non licebat? Quid retribuam Domino, quod recolit hæc memoria mea, & anima mea non metuit* inde? diligam te Domine, & gratias agam, & cōfitear nomini tuo; quoniam tanta dimisisti mihi mala, & nefaria opera mea. Gratiæ tuæ depuro & misericordiæ tuæ, quòd peccata mea tamquam glaciem soluisti. Gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amaui? Et omnia mihi dimissa esse fateor: & quæ mea sponte feci mala; & quæ te duce non feci.

al. Inde diligam.

2. Quis

2. Quis est hominum, qui suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem atq; innocentiam suã: vt minùs amet te, quasi minus ei necessaria fuerit misericordia tua, qua donas peccata conuersis ad te? Qui enim vocatus à te, secutus est vocẽ tuam: & vitauit ea, quæ me de meipso recordantẽ & fatẽtem legit: non me derideat ab eo medico ægrum sanari; à quo sibi præstitum est, vt non ægrotaret, vel potiùs vt minùs ægrotaret. Et ideò te tantumdem, imò verò ampliùs diligat; quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.

CAPVT VIII.

Quid amauerit in furto.

1 QVem fructum habui miser aliquando in ijs, quæ nunc recolens erubesco; maximè in illo furto, in quo ipsum furtum amaui, nihil aliud; cùm & ipsum esset nihil, & eo ipso ego miserior? Et tamen solus id non fecissem, sic recordor animum tunc meum, solus omnimodo id non fecissem. Ergo ibi amaui etiam consortium eorum, cũ

quibus id feci. Non ergo nihil aliud, quàm furtum amaui, imo verò nihil aliud, quia & illud nihil eſt.

2. Quid eſt reuerà? Quis eſt, qui doceat me, niſi qui illuminat cor meum, & diſcernit vmbras eius? Quid eſt, quod mihi venit in mentem quærere, & diſcutere, & conſiderare? Quia ſi tunc amarem poma illa, quæ furatus ſum, & eis frui cuperem, poſſem etiam ſolus, ſi ſatis eſſet, committere illā iniquitatem, qua peruenirem ad voluptatem meam: nec* confricatione conſciorum animorum accenderem* pruritum cupiditatis meæ. Sed quoniam in illis pomis voluptas mihi non erat, ea erat in ipſo facinore, quam faciebat conſortium ſimul peccantium.

al. cōfricationē. al. pruriam.

CAPVT IX.

Contagioſa res ſodales mali.

1 QVid erat ille affectus animi? Certè enim planè turpis erat nimis: & væ mihi erat, qui habebam illum. Sed tamen quid erat? Delicta quis intelligit? Riſus erat quaſi titillato corde, quod fallebamus eos, qui hæc à nobis fieri non putabant, & vehementer nolebant. Cur ergo eo me delectabar, quo id non faciebam ſolus? An quia etiam nemo

Pſal. 18.

mo facilè ſolus ridet: Nemo quidem facilè, ſed tamen etiam ſolos & ſingulos homines, cùm alius nemo præſens eſt; vincit riſus aliquando, ſi aliquid nimis ridiculum, vel ſenſibus occurrerit, vel animo. At ego illud ſolus non facerem, non facerem omnino ſolus.

2. Ecce eſt coram te Deus meus, viua recordatio animæ meæ. Solus non facerem furtum illud, in quo me non libebat id, quod furabar, ſed quia furabar, quod me ſolum facere prorſus non liberet, nec facerem. O nimis inimica amicitia, ſeductio mẽtis, inueſtigabilis ex ludo & ioco nocendi auiditas, & alieni damni appetitus: nulla lucri mei, nullá vlciſcendi libidine: ſed cùm dicitur: Eamus, faciamus, & pudet non eſſe impudentem.

CAPVT X.

In Deo omne bonum.

1 QVis exaperit tortuoſiſſimam iſtam & implicatiſſimam nodoſitatem? Fœda eſt, nolo in eam intendere, nolo eam videre. Te volo iuſtitia & innocentia, pulchra & decora honeſtis luminibus, & inſatiabili ſatietate. Quies eſt apud te valde, & vita imperturbabilis. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini ſui: & non timebit, & habebit *Matt. 25.*

se optimè in optimo. Defluxi abs te ego, & erraui Deus meus, nimis deuius à stabilitate tua in adolescentia, & factus
Luc. 15. sum mihi regio egestatis.

DIVI AVRELII Augustini Confessionum Liber tertius.

CAPVT I.

Amore, quem venabatur, capitur.

VEni Carthaginem, & circumstrepebat me vndique sartago flagitiosorum amorum. Nondū amabam, & amari amabam; & secretiore indigentia oderam me minùs indigentem. Quærebam, quod amarem, amans amari, & oderam securitatem, & viam sine muscipulis. Quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo, teipso Deus meus, & ea fame non esuriebam; sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium, non quia plenus eis eram, sed quo inanior, eo fastidiosior. Et ideo non bene valebat anima mea; & vlcerosa proijciebat se foras miserabiliter, scalpi auida contactu sensibilium.

Sed

Sed si non haberēt animam, non vtiq; amarētur. Amare & amari dulce mihi erat magis, si etiam amantis corpore fruerer.

2. Venam igitur amicitiæ coinquinabam sordibus concupiscentiæ, candoremque eius obnubilabam de tartaro libidinis; & tamen fœdus atque inhonestus, elegās & vrbanus esse gestiebam abundāti vanitate. Rui etiam in amorem, quo cupiebam capi. Deus meus, misericordia mea, quanto felle mihi suauitatē illam, & quàm bonus aspersisti, quia & amatus sum, & perueni occultè ad vinculum fruendi, & colligabar lætus ærūnosis nexibus, vt cæderer virgis ferreis ardentibus, zeli, & suspicionum, & timorum, & irarum, atque rixarum. Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum, & fomitibus ignis mei.

CAPVT II.

Spectacula tragica.

1 QVid est, quòd homo ibi vult dolere, cùm spectat luctuosa atque tragica, quæ tamen pati ipse nollet? Et tamen pati vult ex eis dolorem spectator, & dolor ipse est voluptas eius. Quid est, nisi miserabilis insania? Nam eò magis eis mouetur quisque, quò mi-

nùs à talibus affectibus ſanus eſt, quanquam cùm ipſe patitur, miſeria: cùm alijs cōpatitur, miſericordia dici ſolet. Sed qualis tandem miſericordia in rebus fictis & ſcænicis? Non enim ad ſubueniēdum prouocatur auditor, ſed tantùm ad dolendum inuitatur; &* acturi earum imaginum amplius fauet, cùm amplius dolet. Et ſi calamitates illæ hominum vel antiquæ vel falſæ ſic agantur, vt qui ſpectat non doleat, abſcedit inde faſtidiens & reprehendens. Si autem doleat, manet intentus, & gaudens lachrymatur. Lachrymæ ergo amātur, & dolores? Certè omnis homo gaudere vult. An, cū miſerum neminem eſſe libeat, libet tamen eſſe miſericordem? Quod quia non ſine dolore eſt, hac vna cauſa amantur dolores. Et hoc de illa vena amicitiæ eſt.

al. actori,

2. Sed quò vadit? quò fluit? Vt quid decurrit in torrentem picis bullientis, æſtus immanes tetrarum libidinum, in quos ipſa mutatur & vertitur per nutum proprium, de cœleſti ſerenitate detorta, atque deiecta? Repudietur ergo miſericordia? Nequaquam. Ergo amentur dolores aliquando. Sed caue immunditiam anima mea, ſub tutore Deo meo, Deo patrum noſtrorum,

Deut. 3.

rum,

rum, & laudabili, & superexaltato in omnia secula, caue immunditiam: neque enim nunc non misereor. Sed tunc in theatris congaudebam amantibus, cùm sese fruebantur per flagitia, quamuis hæc imaginariè gererentur in ludo spectaculi. Cùm autem sese amittebant, quasi misericors contristabar, & vtrumque me delectabat tamen. Nunc verò magis misereor gaudentem in flagitio, quàm velut dura perpessum detrimento perniciosæ voluptatis, & amissione miseræ felicitatis.

3. Hæc certè verior misericordia, sed non in ea* delectatur cor. Nam & si approbatur officio charitatis, qui dolet miserũ, mallet tamẽ vtiq; nõ esse, quod doleret, qui germanitùs misericors est. Si enim est maleuola beneuolẽtia, quod fieri non potest; potest & ille, qui veraciter sinceriterq; miseretur, cupere esse miseros, vt misereatur. Nonnullus itaq; dolor approbandus, nullus amãdus est. Hoc enim tu Domine De⁹, qui animas amas longè† lateq; purius quàm nos, & incorruptibilibus misereris, quòd nullo dolore sauciaris. Et ad hęc quis idoneus? At ego tunc miser dolere amabam, & quærebã, vt esset, quod dolerem, quando

* al. delectatur dolor.

† al. altéque

mihi in ærumna aliena & falsa & saltatoria, ea magis placebat actio histrionis; meque alliciebat vehementiùs, qua mihi lachrymæ excutiebantur. Quid autem mirum, cùm infelix pecus aberrans à grege tuo, & impatiens custodiæ tuæ, turpi scabie fœdarer: Et inde erant dolorum amores, non quibus altiùs penetrarer. Non enim amabam talia perpeti, qualia spectare: sed quibus auditis & fictis, tamquam in superficie raderer: quos tamen quasi vngues scalpentium, feruidus tumor & tabes & sanies horrida consequebatur. Talis vita mea; Nunquid vita erat, Deus meus.

CAPVT III.

In foro versatur inter causidicos.

1 ET circumuolabat super me fidelis à longè misericordia tua. In quantas iniquitates distabui, & sacrilegam curiositatem secutus sum, vt deserentem te, deduceret me ad ima infida, & circumuentoria obsequia dæmoniorum, quibus immolabam facta mea mala, & in omnibus flagellabas me. Ausus sum etiam in celebritate solemnitatum tuarum, intra parietes Ecclesiæ tuæ concupiscere, & agere negotium procu-

randi fructus mortis: vnde me verberasti grauibus pœnis. Sed nihil ad culpam meam, ô tu prægrãdis misericordia mea, Deus meus, refugium meum à terribilibus nocentibus; in quibus vagatus sum præfidenti collo, à longè recedendo à te, amans vias meas, & non tuas, amans fugitiuam libertatem.

2. Habebant & illa studia, quæ honesta vocabantur, ductum suum intuentem fora litigiosa, vt & celerem in eis, eò laudabilior, quò fraudulentior. Tanta est cæcitas hominum, de cæcitate etiam gloriantium. Et maior iam eram in schola rethoris, & gaudebam superbè, & tumebam typho, quanquam longè sedatior, Domine tu scis, & remotus omnino ab euersionibus, quas faciebant euersores: (Hoc enim nomen sæuum & diabolicũ velut insigne vrbanitatis est) Inter quos viuebam pudore impudenti, quia talis non eram, & cum eis eram, & amicitijs eorum delectabar aliquando, à quorum semper factis abhorrebam, hoc est, ab euersionibus, quibus proteruè insectabantur ignotorum verecundiam, quam perturbarent gratis illudendo, atque inde pascendo maleuolas lætitias suas. Nihil est illo actu similius actibus dæ-

moniorum. Quid itaque verius, quàm euersores vocarentur? Euersi planè prius ipsi atque peruersi, deridentibus eos & seducentibus fallacibus occultè spiritibus in eo ipso, quòd alios irridere amant & fallere.

CAPVT IV.

Hortensius Ciceronis excitauit illum ad ardorem philosophiæ.

1 INter hos ego, imbecilla tunc ætate, discebam libros eloquentiæ, in qua eminere cupiebam fine damnabili & ventoso per gaudia vanitatis humanæ: & vsitato iam discendi ordine perueneram in librum quendam cuiusdam Ciceronis, cuius linguam ferè omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille, ipsius exhortationem continet ad philosophiã, & vocatur Hortensius. Ille verò liber mutauit affectum meum, & ad teipsum Domine mutauit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana spes, & immortalitatem sapientiæ concupiscebam æstu cordis incredibili, & surgere iam cœperam, vt ad te redirem. Non enim ad acuendam linguam, quod videbar emere maternis mercedibus, cùm agerem

agerem annum ætatis vndevigesimum, iam defuncto patre ante biennium. Non ergo ad acuendam linguam referebam illum librum, neque mihi locutionem, sed quod loquebatur, persuaserat.

2. Quomodo ardebam Deus meus, quomodo ardebam reuolare à terrenis ad te, & nesciebam, quid ageres mecum. Apud te est enim sapientia. Amor autem sapientiæ, nomen græcum habet philosophiam, quo me accendebant illæ literæ. Sunt, qui seducant per philosophiam, magno & blando & honesto nomine colorantes & fucantes errores suos. Et propè omnes, qui ex illis & supra temporibus tales erant, notantur in eo libro & demonstrantur, & manifestatur ibi salutifera illa admonitio spiritus tui, per seruum tuum bonum & pium: Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem seductionem, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa huius mundi, & non secundùm Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

φιλοσοφίαν. Col. 2.

3. Et ego illo tẽpore, scis tu lumen cordis mei, quoniã nondũ mihi hæc apostolica nota erãt. Hoc tamen solo delectabar

in

in illa exhortatione, quòd non illam aut illam sectam, sed ipsam quæcunque esset sapientiam, vt diligerem, & quærerem, & assequerer, & tenerē, atq; amplexarer. Fortiter excitabar sermone illo, & accendebar, & ardebam: & hoc solùm me in tanta flagrantia refrangebat, quod nomen Christi non erat ibi. Quoniam hoc nomen, secundùm misericordiam tuā Domine, hoc nomen saluatoris mei filij tui, in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum piè biberat & altè retinebat: & quicquid sine hoc nomine fuisset, quamuis literatum & expolitum & veridicum, non me totum rapiebat.

CAPVT V.

Fastidijt sacras literas, propter simplicitatem styli.

1 Itaque institui animum intendere in scripturas sanctas, vt viderem quales essent. Et ecce, video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysterijs: & non eram ego talis, vt intrare in eam possem, aut inclinare ceruicem ad eius gressus. Non enim, sicut modò loquor, ita sensi, cùm atten-

attendi ad illam ſcripturam, ſed viſa mihi eſt indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius. Verùm tamen illa erat, quæ creſceret cum paruulis. Sed ego dedignabar eſſe paruulus, & turgidus faſtu mihi grandis videbar.

CAPVT VI.

A Manichæis quomodo captus.

1 ITaque incidi in homines ſuperbè delirantes, & carnales nimis, & loquaces, in quorum ore laquei diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis tui, ſed & Domini Ieſu Chriſti, & paracleti conſolatoris ſpiritus ſancti. Hæc nomina omnia non recedebant de ore eorum, ſed ſono tenus & ſtrepitu linguæ, cæterum cor inane veri. Et dicebant: Veritas & veritas, & * multi eam dicebant mihi, & nuſquam erat in eis, ſed falſa loquebantur, non de te tantùm, qui verè Veritas es, ſed etiam de iſtis elementis huius mundi creaturis tuis, de quibus etiam vera dicentes philoſophos transgredi debui præ amore tuo, mi pater ſumme bone, pulchritudo

* al. multũ.

pulchro-

pulchrorum omnium. O veritas, veritas, quàm intimè etiam tunc medullæ animi mei ſuſpirabant tibi; cùm te illi ſonarent mihi frequenter & multipliciter voce ſola, & libris multis & ingentibus. Et illa erant fercula, in quibus mihi eſurienti te, inferebantur pro te Sol & Luna, pulchra opera tua, ſed tamen opera tua, non tu, nec ipſa prima. Priora enim ſpiritualia opera tua, quàm iſta corporea, quamuis lucida & cœleſtia.

2. At ego nec priora illa, ſed teipſam, te veritas, in qua non eſt commutatio, nec momenti obumbratio & eſuriebam, & ſitiebam; & apponebantur adhuc mihi in illis ferculis phantaſmata ſplendida; quibus iam melius erat amare iſtum Solem, ſaltem iſtis oculis verum, quàm illa falſa animo decepto per oculos. Et tamē, quia te putabam, manducabam; non auidè quidem, quia nec ſapiebas in ore meo, ſicuti es: neque enim tu eras illa figmenta inania, nec nutriebar ex eis, ſed exhauriebar magis. Cibus in ſomnis ſimillimus eſt cibis vigilantium, quo tamen dormientes non aluntur, dormiunt enim. At illa nec ſimilia erant vllo modo tibi, ſicut nunc mihi locuta es; quia illa erant corporalia phantaſmata, falſa

corpora

corpora, quibus certiora ſunt vera corpora iſta, quæ videmus viſu carneo, ſiue cœleſtia, ſiue terreſtria; Cum pecudibus, & volatilibus videmus hæc: & certiora ſunt, quàm cùm imaginamur ea. Et rurſus certius imaginamur ea, quàm ex eis ſuſpicamur alia grandiora & infinita, quæ omnino nulla ſunt; qualibus ego tunc paſcebar inanibus, & non paſcebar.

3. At tu amor meus, in quem deficio, vt fortis ſim, nec iſta corpora es, quæ videmus, quāquam de cœlo, nec ea es, quę non videmus ibi, quia tu iſta condidiſti, nec in ſummis tuis conditionibus habes. Quantò ergo longè es à phantaſmatibus illis meis, phātaſmatibus corporum, quę omnino non ſunt, quibus certiores ſunt phātaſiæ corporum eorum, quæ ſunt; & eis certiora corpora, quæ tamen non es; ſed nec anima es, quæ vita eſt corporum. Ideò melior vita corporum certiorque, quàm corpora. Sed tu vita es animarum, vita vitarum, viuens teipſa, & non mutaris vita animæ meæ. Vbi ergo mihi tūc eras, & quā longè? Et lōgè peregrinabar abs te, excluſus & à ſiliquis porcorū, quos de ſiliquis paſcebā. Quantò .n. meliores grāmaticorū & poetarum fabellæ,

læ, quàm illa decipula? Nam versus & carmen & Medea volans, vtiliores sunt certè, quàm quinque elementa variè fucata, propter quinq; antra tenebrarum, quæ omnino nulla sunt, & occidunt credentem. Nam versum & carmen etiam ad vera pulmenta transfero. Volantem autem Medeam, & si cantabam, non asserebam, & si cantari audiebam, non credebam, illa autem credidi.

4. Væ væ, quibus gradibus deductus sum in profunda inferni? quippe laborans & æstuans inopia veri, cùm te Deus meus, (tibi enim confiteor, qui me miseratus es, & nondum confitentem) cum te non secundùm intellectum mentis, quo me præstare voluisti beluis; sed secundùm sensum carnis quærerem. Tu
Prou. 7. autem eras interior intimo meo, & superior summo meo. Offendi in illam mulierem audacem, inopem prudentiæ, ænigma Salomonis, sedentem super sellã in foribus, & dicentem: Panes occultos libenter edite, & aquam dulcem furtiuã bibite. Quæ me seduxit, quia inuenit foris habitantem in oculo carnis meæ; & talia ruminantem apud me, qualia per illum vorassem.

CA-

CAPVT VII.

Doctrina Manichæorum absurda.

1 NEsciebam enim aliud verè, quod est, & quasi acutulè mouebar, vt suffragarer stultis deceptoribus, cùm à me quærerẽt, vnde malum, & vtrùm forma corporea De⁹ finiretur, & haberet capillos & vngues, & vtrum iusti existimandi essent, qui haberẽt multas vxores simul, & occiderent homines, & sacrificarent de animalibus. Quibus rebus ignarus perturbabar, & recedens à veritate, ire in eam mihi videbar, quia non noueram malũm non esse nisi priuationem boni, vsque ad quod omnino non est. Quod vnde viderem, cuius videre vsque ad corpus erat oculis, & animo vsque ad phantasma.

2. Et non noueram Deum esse spiritũ, non cui membra essent per longum & latum, nec cui esse moles esset, quia moles in parte minor est, quàm in toto suo, & si infinita sit, minor est in aliqua parte certo spacio definita, quàm per infinitum, & non est tota vbique, sicut spiritus, sicut De⁹. Et quid in nobis esset, secundũ quod essemus similes Deo, & si rectè in scripturis diceremur, ad *Ioan. 4.*

ima-

imaginem Dei, prorsus ignorabam. Et
Genes.1 non noueram iustitiam veram interiorem, non ex consuetudine iudicantem, sed ex lege rectissima Dei omnipotentis, qua formarentur mores regionum & dierum pro regionibus & diebus, cum ipsa vbique ac semper esset, non alibi alia, nec alias aliter; secundùm quam iusti essent Abraham, & Isaac, & Iacob, & Moyses, & Dauid, & illi omnes laudati ore Dei, sed eos ab imperitis iudicari iniquos, iudicantibus ex humano die, & vniuersos mores humani generis, ex parte moris sui metientibus, tanquam si quis nescius in armamentis, quid cuique membro accommodatum sit, ocrea velit caput contegi, & galea calceari; & murmuret, quòd non aptè conueniat: Aut in vno die indicto à pomeridianis horis iustitio, quisquam stomachetur non sibi concedi quid venale proponere, quia manè concessum est: Aut in vna domo videat aliquid tractari manibus à quoquam seruo, quod facere non sinatur, qui pocula ministrat; Aut aliquid post praesepia fieri, quod ante mensam prohibeatur, & indignetur, cùm sit vnum habitaculum, & vna familia, non vbique atque

omni-

omnibus idem tribui.

3. Sic ſunt iſti, qui indignantur, cùm audierint illo ſeculo licuiſſe iuſtis ali-quid, quod iſto non licet iuſtis: & quia illis aliud præcepit Deus, iſtis aliud pro temporalibus cauſis, cùm eidem iuſtitiæ vtrique ſeruierint, cùm in vno homine, & in vno die, & in vnis ædibus videant aliud alij membro congruere, & aliud iamdudum licuiſſe, & poſt horam non licere: quiddam in illo angulo permitti aut iuberi, quod in iſto iuſtè vetetur & vindicetur. Nunquid iuſtitia varia eſt, & mut bilis? Sed tempora, quibus præſidet, non pariter eunt, tempora enim ſunt. Homines autem, quorum vita ſuper terram breuis eſt, quia ſenſu non valēt cauſas contexere ſeculorum priorum, aliarumque gentium, quas experti nō ſunt, cum his, quas experti ſunt: in vno autem corpore vel die vel domo, facilè poſſunt videre, quid cui membro, quibus momētis, quibus partibus perſoniſue congruat, in illis offenduntur, hic ſeruiunt. *Leges pro ratione tempor ū mutari poſſe.*

4. Hæc ego tunc neſciebam, & non aduertebam, & feriebant vndique iſta oculos meos, & non videbam. Et cantabam carmina, & non mihi licebat ponere pedem quemlibet vbilibet,

sed

ſed in alio, atque alio metro, aliter atque aliter, & in vno aliquo verſu non omnibus locis eundem pedem. Et ars ipſa, qua canebam, non habebat aliud alibi, ſed omnia ſimul. Et non intuebar iuſtitiam, cui ſeruirent boni & ſancti homines, longè excellentius atque ſublimius habere ſimul omnia, quę præcepit Deus, & nulla ex parte variari, & tamen varijs temporibus non omnia ſimul, ſed propria diſtribuentem ac præcipientem. Et reprehendebam cæcus pios patres, non ſolùm ſicut Deus iuberet, atque inſpiraret vtentes præſentibus, verùm quoque ſicut Deus reuelaret, futura prænunciantes.

CAPVT VIII.

Flagitia, quæ & quomodo punienda.

1 NVnquid aliquando aut alicubi, iniuſtum eſt diligere Deum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & diligere proximum tanquam ſeipſum? Itaque flagitia, quæ ſunt contra naturam, vbique ac ſemper deteſtanda atque punienda ſunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur, quæ non ſic fecit homines,

Deut. 6. Mat. 22.

Geneſ. 19.

nes, vt se illo vterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cùm eadem natura, cuius ille auctor est, libidinis peruersitate polluitur. Quæ autem contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate vitanda sunt, vt pactum inter se ciuitatis aut gentis consuetudine vel lege firmatum, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est, suo vniuerso non congruens.

Dist. 8 c. Quæ contra.

2. Cùm autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorūlibet iubet, & si nunquam ibi factum est, faciendum est: & si omissum, instaurandum: & si institutum non erat, instituendum est. Si enim regi licet in ciuitate, cui regnat, iubere aliquid, quod neque ante illum quisquam, nec ipse vnquam iusserat, & non contra societatem ciuitatis eius obtemperatur, imò contra societatem non obtemperatur. Generale quippe pactum est societatis humanæ, obedire regibus suis, quantò magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea, quæ iusserit, sine dubitatione seruiendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanæ, maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita

Deus omnibus.Item in facinoribus, vbi libido eſt nocendi, ſiue per contumeliã, ſiue per iniuriam, & vtrumque vel vlciſcendi cauſa, ſicut inimico inimicus, vel adipiſcendi alicuius extra commodi, ſicut latro viatori, vel euitandi mali, ſicut ei qui timetur, vel inuidendo, ſicut feliciori miſerior, aut in aliquo proſperatus, ei quem ſibi æquari timet, aut æqualem dolet, vel ſola voluptate alieni mali, ſicut ſpectatores gladiatorum, aut irriſores, aut illuſores quorumlibet. Hęc ſunt capita iniquitatis, quæ pullulant principandi & ſpectandi & ſentiendi libidine, aut vna, aut duabus earum, aut
Pſal.32. ſimul omnibus. Et viuitur malè aduer-
Exod.10. ſus tria & ſeptem, pſalterium decem cordarum, decalogum tuum, Deus altiſſime & dulciſſime.

3. Sed quæ flagitia in te, qui non corrumperis? Aut quæ aduerſus te facinora, cui noceri non poteſt? Sed hoc vindicas, quod in ſe homines perpetrant, quia etiã cum in te peccãt, impiè faciũt in animas ſuas, & mẽtitur iniquitas ſibi, ſiue corrũ-
Pſal. 26. pendo aut peruertendo naturam ſuam, quã tu feciſti & ordinaſti, vel immoderatè vtendo cõceſſis rebus, vel in non cõ-
Rom.8. ceſſa flagrando in eũ vſum, qui eſt cõtra natu-

naturam: Aut rei tenentur, animo, & verbis sæuientes aduersus te, & aduersus stimulum calcitrántes: Aut cùm disrúptis limitibus humanæ societatis, lætantur audaces priuatis conciliationibus, aut direptionibus, prout quidq; delectauerit, aut offenderit. Act. 7.

4. Et ea fiunt, cùm tu derelinqueris fons vitæ, qui es vnus & verus creator & rector vniuersitatis; & priuata superbia, dilig tur in parte vnum falsum. Itaque pietate humili reditur in te, & purgas nos à consuetudine mala, & propitius es peccatis confitentium, & exaudis gemitus compeditorum, & soluis à vinculis, quæ nobis fecimus: si iam non erigamus aduersus te cornua falsæ libertatis, auaritia plus habendi, & damno totum amittendi: amplius amando proprium nostrum, quàm te omnium bonum

CAPVT IX.

Discrimen inter peccata, & inter Dei iudicium & hominum.

1 SEd inter flagitia & facinora & tam multas iniquitates, sunt peccata proficientium: quę à bene iudicantibus, & vituperãtur ex regula perfectionis, & laudantur spe frugis, sicut herba segetis

Et sunt quædam similia vel flagitio, vel facinori, & non sunt peccata: quia nec te offendunt Dominū Deum nostrum, nec sociale consortiū, cùm conciliantur aliqua in vsum vitæ congrua tempori, & incertum est, an libidine habēdi, aut puniuntur corrigendi studio potestate ordinata, & incertum est, an libidine nocendi. Multa itaque facta, quæ hominibus improbanda viderentur, testimonio tuo approbata sunt: & multa laudata ab hominibus, te teste damnantur: cùm sæpe se aliter habet species facti, & aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis.

2. Cùm verò tu aliquid repentè inusitatum & improuisum imperas, etiam si hoc aliquando vetuisti (quamuis causam imperij tui pro tempore occultes, & quamuis contra pactum sit aliquorū hominū societatis) quis dubitat esse faciendum, quando ea iusta est societas hominū, quæ seruit tibi? Sed beati, qui te imperasse sciūt. Fiunt. n. omnia à seruiētibus tibi, vel ad exhibēdū, quod ad præsens op⁹ est, vel ad futura prænūciāda.

CAPVT X.

Rursus de ficu furto sublata, cum irrisione Manichæorum.

Hæc

HAEc ego nesciens, irridebam illos sanctos seruos & prophetas tuos. Et quid augebam, cùm irridebã eos, nisi vt irriderer abs te, sensim atque paulatim perductus ad eas nugas, vt crederem ficum plorare, cùm decerpitur, & matrẽ eius arborem lachrymis lacteis? Quam tamen ficũ si comedisset aliquis sanctus, alieno sanè non suo scelere decerptam, misceret visceribus, & anhelaret de illa Angelos, imò verò particulas Dei gemendo in oratione, atque ructãdo, quæ particulæ summi & veri Dei ligatæ fuissent in illo pomo, nisi electi sancti dentẽ ac ventre soluerentur. Et credidi miser, magis esse misericordiam præstandam fructibus terræ, quàm hominibus, propter quos nascerentur. Si quis enim esuriens peteret, qui Manichæus non esset, quasi capitali supplicio damnanda buccella videretur, si ei daretur.

CAPVT XI.

Somnium matris de filio.

1 ET misisti manum tuam ex alto, & de hac profunda caligine eruisti animam meam, cùm pro me fleret ad te mater mea fidelis tua, ampliùs quàm flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide &

ſpiritu,quem ex te habebat, & exaudiſti eam Domine.Exaudiſti eam, nec deſpexiſti lachrymas eius,cùm profluentes rigarent terram ſub oculis eius, in omni loco orationis eius,& exaudiſti eam.Nã vnde illud ſomnium, quo eam conſolatus es,vt viuere me ſecũ crederet, & habere ſecum eandem menſam in domo, quod nolle cœperat auerſans & deteſtãs blaſphemias erroris mei. Vidit enim ſtãtem ſe in quadam regula lignea,& aduenientem ad ſe iuuenem ſplendidum,hilarem atque arridentem ſibi, cùm illa eſſet mœrens, & mœrore confecta. Qui cùm cauſas quæſiſſet ab ea mœſtitię ſuę, quotidianarumque lachrymarum, (docendi,vt aſſolet,non diſcendi gratia)atque illa reſpondiſſet perditionem meam ſe plangere,iuſſiſſe illum quò ſecura eſſet,atque admonuiſſe, vt attenderet & videret,vbi eſſet illa,ibi eſſe & me.Quod illa vbi attendit,vidit me iuxta ſe in eadem regula ſtantem.Vnde hoc,niſi quia erant aures tuæ ad cor eius?

2.O tu bone omnipotens, qui ſic curas vnumquemq; noſtrum tamquam ſolum cures,& ſic omnes, tãquã ſingulos. Vnde illud etiã,quod cùm mihi narraſſet ipſum viſum,& egoad id trahere conarer

narer

narer, vt illa se potius non desperaret futuram esse, quod eram: continuò sine aliqua hæsitatione: Non, inquit; non enim mihi dictum est: Vbi ille, ibi & tu: sed; Vbi tu, ibi & ille. Confiteor tibi Domine recordationem meam, quantum recolo, (quod sæpe non tacui) ampliùs me isto per matrem vigilantem responso tuo, quòd tam vicina interpretationis falsitate turbata non est; & tam citò vidit, quod videndum fuit: quod ego certè, antequam dixisset, non videram: etiam tum commotum fuisse, quam ipso somnio, quo feminæ piæ gaudium tantò post futurum, ad consolationem tunc præsentis solicitudinis, tantò antè prædictum est.

3. Nam nouem fermè anni secuti sunt, quibus ego in illo limo profundi ac tenebris falsitatis, cùm sæpe surgere conarer, & grauiùs allíderer, volutatus sum: Cùm tamen illa vidua casta, pia & sobria, quales amas, iam quidem spe alacrior, sed fletu & gemitu non segnior, non desineret horis omnibus orationũ suarum de me plangere ad te. Et intrabãt in conspectum tuum preces eius, & me tamen dimittebas adhuc volui & inuolui illa caligine.

CAPVT XII.

Quale responsum mater Augustini accepit à quodam Episcopo, de ipsius conuersione.

1 ET dedisti alterum responsum interim, quod recolo. Nam & multa prætereo, propter quod propero ad ea, quæ me magis vrgent confiteri tibi, & multa non memini. Dedisti ergo alterũ, per sacerdotem tuum quendam Episcopũ nutritũ in Ecclesia, & exercitatum in libris tuis. Quẽ cũ illa femina rogasset, vt dignaretur mecũ colloqui, & refellere errores meos, & dedocere me mala, ac docere bona (faciebat enim hoc, si quos fortè idoneos inuenisset) noluit ille, prudenter sanè, quantũ sensi posteà. Respõdit enim me adhuc esse indocilẽ, eò quòd inflatus essem nouitate hæresis illius, & nonnullis quæstiunculis iam multos imperitos exagitassem, sicut illa indicauerat ei. Sed sine (inquit) illum ibi tantũ, roga pro eo Dominũ, ipse legẽdo reperiet, quis ille sit error, & quãta impietas.

2. Simul etiam narrauit se quoque paruulum à seducta matre sua datum fuisse Manichæis, & omnes penè non legisse tantùm, verùm etiam scriptitasse libros eorum: sibique apparuisse, nullo

lo contra diſputante & conuincente, quã eſſet illa ſecta fugienda: itaque fugiſſe. Quæ cùm ille dixiſſet, atque illa nollet acquieſcere, ſed inſtaret magis deprecando, & vbertim flendo, vt me videret, & mecum diſſereret: ille iam ſubſtomachans tædio: Vade (inquit) à me, ita viuas: fieri enim non poteſt, vt filius iſtarum lachrymarum pereat. Quod illa ita ſe accepiſſe inter colloquia ſua mecum ſæpe recordabatur, ac ſi de cœlo ſonuiſſet.

DIVI AVRELII Auguſtini Confeſsionum Liber Quartus.

CAPVT I.

Quam diu & quomodo alios ſeduxerit.

PEr idem tempus annorum nouem, ab vndeviceſimo anno ætatis meæ, vſque ad duodetreceſimum, ſeducebamur & ſeducebamus, falſi atq; fallentes in varijs cupiditatibus: & palàm per doctrinas, quas liberales vocaui, occultè autem falſo nomine religionis. Hic ſuperbi, ibi ſuperſtitioſi, vbique vani, ac popularis gloriæ ſectantes

inanitatem vsque ad theatricos plausus, & contentiosa* certamina & agonem coronarum fœnearum, & spectaculorum nugas, & intemperantiam libidinum. Illac autem purgari nos ab istis sordibus expetentes, cum eis, qui appellantur electi & sancti, afferemus escas, de quibus nobis in officina aqualiculi sui fabricarent Angelos & Deos, per quos liberaremur; & sectabar ista, atque faciebam cum amicis meis, per me ac mecum deceptis.

al. carmina.

2. Irrideant me arrogantes, & nondũ salubriter prostrati & elisi à te Deus meus; ego tamen confiteor tibi dedecora mea, in laude tua. Sine me obsecro, & da mihi circuire præsenti memoria præteritos circumitus erroris mei, & immolare tibi hostiam iubilationis. Quid enim ego sum mihi sine te, nisi dux in præceps? Aut quid sum, cùm mihi bene est, nisi sugens lac tuum, aut fruens te cibo, qui non corrumpitur? Et quis homo est quilibet homo; cùm sit homo? Sed irrideant nos fortes, & potentes, nos autem infirmi & inopes confiteamur tibi.

Psal. 26.

CAPVT II.

Rethoricam docet: & aruspicem, qui victoriam promittebat, contemnit.

1. Do-

1 DOcebam illis in annis artem rethoricam, & victoriosam loquacitatem victus cupiditate vendebam. Malebam tamen Domine, tu scis, bonos habere discipulos, sicut appellantur boni; & eos sine dolo docebam dolos: non quibus contra caput innocentis agerent, sed aliquando pro capite nocentis. Et tu Deus vidisti de longinquo lapsantem in lubrico, & in multo fumo scintillitantem fidem meam, quam exhibebã in illo magisterio diligentibus vanitatem, & quęrentibus mendacium, socius eorum. In illis annis vnam habebam, non eo, quod legitimum vocatur, coniugio cognitam, sed quam indagauerat vagus ardor inops prudentiæ: Sed vnam tamen, ei quoque seruans thori fidem: in qua sanè experirer exemplo meo, quid distaret inter coniugalis placiti modum, quod fœderatum esset generandi gratia; & pactum libidinosi amoris, vbi proles etiam contra votum nascitur, quamuis iam nata cogat se diligi.

2. Recolo etiam, cùm mihi theatrici carminis certamen inire placuisset, mandasse mihi nescio quem aruspicem, quid ei dare mercedis vellem, vt vincerem: me autem fœda illa sacra-

menta deteſtatum & abominatum reſpondiſſe: nec ſi corona illa eſſet immortaliter aurea, muſcam pro victoria necari me ſinere. Necaturus enim erat ille in ſacrificijs ſuis animantia, & illis honoribus inuitaturus mihi ſuffragatura dæmonia videbatur. Sed hoc quoque malum non ex tua caſtitate repudiaui, Deus cordis mei. Nō enim amare te noueram, qui niſi fulgores corporeos cogitare non noueram. Talibus enim figmētis ſuſpirans anima, nonne fornicatur abs te, & fidit in falſis, & paſcit ventos?
Pſal. 72. Sed videlicet ſacrificari pro me nollem
Oſe. 12. dæmonibus, quibus me illa ſuperſtitione ipſe ſacrificabam. Quid eſt enim aliud ventos paſcere, quàm ipſos paſcere; hoc eſt, errando eis eſſe voluptati atque deriſui.

CAPVT III.

Aſtrologiæ deditus, à ſene medicinæ & rerum perito reuocatur.

1 IDeo illos planetarios, quos mathematicos vocant, planè conſulere non deſiſtebam, quòd quaſi eis nullum eſſet ſacrificium, & nullæ preces ad aliquem ſpiritum ob diuinationem dirigerentur; quod tamen Christiana & vera pietas con-

consequenter repellit & damnat. Bonũ est enim confiteri tibi Domine, & dicere: Miserere mei, cura animam meam, quoniam peccaui tibi. Neque ad licentiam peccandi abuti indulgentia tua, sed meminisse dominicæ vocis: Ecce sanus factus es; iã noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Quam totam illi salubritatem interficere conantur, cùm dicunt: De cœlo tibi est ineuitabilis causa peccandi; & Venus hoc fecit; aut Saturnus, aut Mars, scilicet, vt homo sine culpa sit caro, & sanguis & superba putredo: culpandus sit autem cœli ac syderum creator & ordinator. Et quis est hic? nisi Deus noster, suauitas & origo iustitiæ, qui reddes vnicuiq; secũdùm opera eius, & cor contritũ & humiliatũ nõ spernis?

Psal. 91. Psal. 40. Ioan. 5. Matt. 16. Psal 50.

2. Erat eo tempore vir sagax, medicinę artis peritissimus, atque in ea nobilissimus, qui proconsul, è manu sua coronam illam agonisticam imposuerat nõ sano capiti meo, sed non vt medicus. Nam illius morbi tu sanator, qui resistis superbis, humilibus autem das gratiam. Nunquid tamen etiam per illum senem defuisti mihi, aut destitisti mederi animæ meæ? Quia enim factus ei eram familiarior, & eius sermoni-

Iac. 4 & 1. Petr. 5.

bus, (erant enim sine verborum cultu viuacitate sententiarum iocūdi & graues) assiduus & fixus inhærebam. Vbi cognouit ex colloquio meo, libris genethlyacorum esse me deditū, benignè & paternè monuit, vt eos abijcerem; neque curam & operam rebus vtilibus necessariā illi vanitati frustra impenderem: dicens ita se illa didicisse, vt victui suo eius professionem primis annis ætatis suæ deferre voluisset, qua vitam degeret, & si Hippocratem intellexisset, & illas vtiq; literas potuisset intelligere; & tamē non ob aliam causam se postea illis relictis medicinam assecutum, nisi quod eas falsissimas comperisset, & nollet vir grauis decipiendis hominib. victū quærere. At tu, inquit, quò te in hominib. sustentes, rethoricam tenes; hanc aūt fallaciam libero studio, non necessitate rei familiaris sectaris; quo magis mihi te oportet de illa credere, qui eam tam perfectè discere elaboraui, quā ex ea sola viuere volui.

3. A quo ego cùm quæsissem, quæ ergo causa faceret, vt multa inde vera pronūciarentur? Respondit ille, vt potuit, vim sortis hoc facere in rerum natura vsquequaque diffusam. Si enim de paginis poetæ cuiuspiā longè aliud canentis

canentis atque intendentis, cum sorte quis consuluit, mirabiliter consonus negotio sæpe versus exiret; mirandũ non esse dicebat, si ex anima humana, superiore aliquo instinctu, nesciente quid in se fieret, non arte, sed sorte sonaret aliquid, quod interrogantis rebus factisque concineret: Et hoc quidem ab illo vel per illum procurasti mihi, & quid ipse postea per meipsum quærerẽ, in memoria mea delineasti. Tunc autem nec ipse, nec charissimus meus Nebridius, adolescens valde bonus & valde cautus, irridẽs totum illud diuinationis genus, persuadere mihi potuerunt, vt hæc abijcerem, quoniam me amplius ipsorum autorũ mouebat autoritas, & nullum certum, quale quærebam, documentum adhuc inueneram, quo mihi sine ambiguitate appareret, quæ ab eis consultis vera dicerentur, forte vel sorte non arte inspectorum syderum dici.

CAPVT IV.

Morbum & baptismum amici narrat, quem etiam suis erroribus inuoluerat, eoq́ morte sublato, dolet grauissimè.

1 IN illis annis, quo primùm tempore in municipio, quo nat⁹ sum, docere cœperam.

peram, comparaueram amicum societate studiorum nimis charum, coæuum mihi, & conflorentem flore adolescētiæ. Mecum puer creuerat, & pariter in scholam ieramus, pariterque luseramus. Sed nondum sic erat amicus, quanquam ne tunc quidē, sicuti est, vera amicitia, quia nō est vera, nisi cùm eam tu agglunitas inter inhærentes tibi charitate, diffusa in cordibus nostris, per spiritum sanctū, qui datus est nobis. Sed tamen dulcis erat nimis, *cocta feruore parilium studiorum. Nam & à fide vera, quam non germanitus & penitus adolescens tenebat, deflexeram eū in superstitiosas fabellas & perniciosas, propter quas plāgebat me mater. Mecū iam errabat in animo homo ille, & non poterat anima mea sine illo. Et ecce tu, imminens dorso fugitiuorum tuorum, Deus vltionum & fons misericordiarum simul, qui cōuertis nos ad te miris modis, ecce abstulisti hominem de hac vita, cùm vix expleuisset annum in amicitia mea, suaui mihi supra omnes suauitates illius vitæ meæ.

Rom. 5.

al. coacta.

Psal 93.

2. Quis laudes tuas enumerat, vnus in se vno, quas expertus est? Quid tūc fecisti Deus meus, & quā inuestigabilis abyssus iudiciorū tuorū. Cū enim laboraret ille

febri-

febribus, iacuit diu sine sensu in sudore letali. Et cùm desperaretur, baptizat⁹ est nesciens, me non curante, & præsumente, id retinere potiùs animam eius, quod à me acceperat, non quod in nescientis corpore fiebat. Longè autem aliter erat, nam recreatus est, & saluus factus. Statimque vt primùm cum eo loqui potui, (potui autem mox, vt ille potuit; quoniam nõ discedebam, & nimis pendebamus ex inuicem) tentaui apud illum irridere, tanquam & illo irrisuro mecum baptismum, quem acceperat mente atq; sensu absentissimus, sed tamen iam se accepisse didicerat. At ille ita me exhorruit, vt inimicum; admonuitque mirabili & repentina libertate, vt si amicus esse vellem, talia sibi dicere desinerem. *Mirabilis efficacia sacramẽti baptismi.*

3. Ego autem stupefactus atque turbatus, distuli omnes motus meos, vt cõualesceret priùs, essetque idoneus viribus valetudinis; cũ quo agere possem, quod vellem. Sed ille abreptus dementiæ meę, vt apud te seruaretur consolationi meæ, post paucos dies me absente repetitur febribus, & defungitur. Quo dolore contenebratum est cor meum; & quicquid aspiciebam, mors erat. Et erat mihi patria supplicium, & paterna domus mira

infe-

infelicitas, & quicquid cum illo cōmunicaueram, sine illo in cruciatum immanē verterat. Expetebant eum vndiq; oculi mei, & non dabatur mihi; & oderam omnia, quia non haberent eū. Nec mihi iā dicere poterant; Ecce veniet, sicut cùm
viueret, quando absens erat. Et factus erā
Psal. 41. ipse mihi magna quæstio, & interrogabam animam meam, quare tristis esset, & quare conturbaret me valdè; & nihil nouerat respondere mihi. Et dicebam: Spera in Deum, iustè nō obtemperabat; quia verior erat & melior homo, quem charissimum amiserat, quàm phantasma, in quod sperare iubebatur. Solus fletus erat dulcis mihi, & successerat amico meo in delicijs animi mei.

CAPVT V.

Lachrymæ in precibus & dolore rei charæ amissæ.

ET nunc Domine iam illa transierunt, & tempore lenitum est vulnus meum. Possumne audire abs te, qui veritas es, & admouere aurem cordis mei ori tuo, vt dicas mihi, cur fletus dulcis sit miseris? An tu, quamuis vbique adsis, longè abiecisti à te miseriam nostrā: Et tu in te manes, nos autem in experimētis voluimur. Et tamē, nisi ad aures tuas

ploraremus, nihil residui de spe nostra fieret. Vnde igitur suauis fructus de amaritudine vitæ carpitur, gemere & flere, & suspirare & conqueri? An hoc ibi dulce est, quòd speramus exaudire te? Rectè istud in precibus, quia desiderium perueniendi habent. Nunquid in dolore amissæ rei, & luctu, quo tunc operiebar? Neque enim sperabam reuiuiscere illũ, aut hoc petebam lachrymis, sed tantùm dolebam & flebam. Miser enim eram, & amiseram gaudium meum. An & fletus res amara est, & præ fastidio rerum, quibus priùs fruebamur, & tunc, dùm ab eis abhorremus, delectat?

CAPVT VI.

Explicat magnum affectum, quo diligebat amicum.

1 QVid autem ista loquor? Non enim tempus quærendi nunc est, sed confitendi tibi. Miser eram, & miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortaliũ; & dilaniatur, cùm eas amittit, & tunc sentit miseriam, qua miser est, & antequam amittat eas. Sic ego eram illo tempore, & flebam amarissimè, & requiescebam in amaritudine. Ita miser eram, & habebam chariorem illo amico meo vitam ipsam miseram.

ram. Nam quamuis eam mutare vellem, nollem tamen amittere magis quàm illum. Et nescio, an vellē vel pro illo; sicut de Oreste & Pylade traditur, si non fingitur; qui vellēt pro inuicem vel simul mori, quia morte peius eis erat nō simul viuere. Sed in me nescio quis affect⁹ nimis huic contrarius ortus erat, & tædiū viuendi erat in me grauissimū; & moriēdi metus. Credo quò magis illum amabam, eò magis mortem, quæ mihi illum abstulerat, tanquam atrocissimam inimicam oderam & timebam; & eam repentè consumpturam omnes homines putabam, quia illum potuit. Sic eram omnino, memini.

2. Ecce cor meum Deus meus, ecce intùs vide, quia memini spes mea, qui me mundas à talium affectionum immunditia, dirigens oculos meos ad te, & euellēs de laqueo pedes meos. Mirabar enim cæteros mortales viuere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat, & me magis, quia illi alter erā, viuere illo mortuo mirabar. Bene quidā dixit de amico suo; Dimidiū animę meę. Nam ego sensi animam meā, & animā illius, vnā fuisse animā in duob⁹ corporibus; & ideo mihi horrori erat vita, quia

nole-

nolebam dimidius viuere. Et ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaueram.

Retractauit istud D. Augustinus lib. 2. Retract. c. 6.

CAPVT VII.

Impatientia doloris mutat locum.

1 O Dementiam, nescientem diligere homines humaniter! O stultum hominem, immoderatè humana patientem, quod ego tunc eram. Itaque æstuabam, suspirabam, flebam, turbabar; nec requies erat, nec consilium. Portabam enim conscissam & cruentam animam meam, impatientem portari à me; & vbi eam ponerem, non inueniebam: Non in amœnis nemoribus; non in ludis atque cantibus; nec in suauè olẽtibus locis; nec in conuiuijs apparatis; neque in voluptate cubilis & lecti, non denique in libris atq; carminibus acquiescebat. Horrebant omnia, & ipsa lux, & quicquid nõ erat, quod ille erat, improbum & odiosum erat, præter gemitum & lachrymas. Nam in eis solis aliquantula requies.

2. Vbi autem inde auferebatur anima mea, onerabat me grandis sarcina miseriæ, quæ à te Domine leuãda erat & curanda. Sciebam, sed nec volebam, nec valebam, eò magis, quia non mihi eras aliquid solidum & firmũ, cùm de te cogitabam.

tabam. Non enim tu eras, ſed vanum phātaſma & error meus, erat Deus me⁹. Si conabar eā ibi ponere, vt requieſceret, per inane labebatur, & iterum ruebat ſuper me, & ego mihi remanſeram infelix locus, vbi nec eſſe poſſem, nec inde recedere. Quò enim cor meum fugeret à corde meo? Quò à meipſo fugerē? Quò me non ſequerer? Et tamen fugi de patria. Minùs enim eum quærebant oculi mei, vbi videre non ſolebant, atq; à Tagaſtenſi oppido veni Carthaginem.

CAPVT VIII.

Tempus dolori medetur.

1 NOn vacant tempora, nec otiosè voluuntur per ſenſus noſtros, faciunt in animo mira opera. Ecce veniebant & præteribant de die in diem, & veniendo & prætereūdo *inferebant mihi ſpecies alias, & alias memorias, & paulatim reſarciebant me priſtinis generibus delectationum, quibus cedebat dolor meus ille: ſed ſuccedebant non quidem dolores alii, cauſæ tamen aliorum dolorum. Nam vnde me facillimè & in intima dolor ille penetrauerat, niſi quia fuderam in arenam animam meam, diligendo moriturum, ac ſi non moriturum?

* aliàs inſerebāt.

riturum? Maximè quippè me reparabant atque recreabant aliorum amicorum solatia, cum quibus amabam, quod pro te non amabam; & hoc erat ingens fabula & longum mendacium; Cuius adulterina confricatione, corrumpebatur mens nostra, pruriens in auribus.

2. Sed illa mihi fabula non moriebatur, si quis amicorum meorum moreretur. Alia erant, quæ in eis amplius capiebant animum, colloqui, & corridere, & vicissim beneuolè obsequi; simul legere libros dulciloquos, simul nugari, & simul honestari, dissentire interdum sine odio, tanquam ipse homo secum, atque ipsa rarissima dissensione condire consensiones plurimas, docere aliquid inuicem, aut discere aliquid ab inuicem, desiderare absentes cum molestia, suscipere venientes cum lætitia. His atque huiusmodi signis, à corde amantium & redamantium procedentibus per os, per linguam, per oculos, & per mille motus gratissimos, quasi fomitibus animos conflare, & ex pluribus vnum facere.

CAPVT IX.

Humanæ amicitiæ cum diuina comparatio.

HOc eſt, quod diligitur in amicis, & ſic diligitur, vt rea ſit ſibi humana conſcientia, ſi non amauerit redamantem, aut ſi amantem non redamauerit; nihil quærens ex eius corpore, præter indicia beneuolentiæ. Hinc ille luctus, ſi quis moriatur, & tenebræ dolorum, & verſa dulcedine in amaritudinem cor madidum, & ex amiſſa vita morientium, mors viuentium. Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari ſunt, qui non amittitur. Et quis eſt iſte, niſi Deus noſter, Deus, qui fecit cœlum & terram, & implet ea, quia implendo ea, fecit ea? Te nemo amittit, niſi qui dimittit. Et qui dimittit, quò it, aut quò fugit, niſi à te placido ad te iratum? Nam vbi non inuenit
Pſal 118. legem tuam in pœna ſua? Et lex tua ve-
Ioan. 14 ritas, & veritas tu.

CAPVT X.

Omnis pulchritudo ex Deo eſt, qui & in omnibus laudandus.

1 DEus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Nam quaqua verſum ſe verterit a-
Pſal. 70. nima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te: tametſi figitur in pulchris

chris extra te, & extra ſe. Quæ tamen nulla eſſent, niſi eſſent abs te, quæ oriũtur & occidunt, & oriendo quaſi eſſe incipiunt, & creſcunt, vt perficiantur, & perfecta ſeneſcunt & intereunt; et enim omnia ſeneſcunt, & omnia intereunt: Ergo cùm oriuntur & tendunt eſſe, quò magis celeriter creſcunt vt ſint, eò magis feſtinant, vt non ſint. Sic eſt modus eorum. Tantum dediſti eis, quia partes ſunt rerum, quæ non ſunt omnes ſimul, ſed decedendo ac ſuccedendo agunt omnes vniuerſum, cuius partes ſunt. Ecce ſic peragitur, & ſermo noſter per ſigna ſonantia. Non enim erit totus ſermo, ſi vnum verbum non decedat, cùm ſonuerit partes ſuas, vt ſuccedat aliud.

2. Laudet te ex illis anima mea, Deus creator omnium, ſed non eis infigatur glutine amoris, per ſenſus corporis. Eunt enim, quò ibant, vt non ſint, & conſcindunt eam deſiderijs peſtilentioſis; quoniam ipſa eſſe vult, & requieſcere amat in eis, quæ amat. In illis autem non eſt vbi, quia non ſtant, fugiunt: & quis ea ſequitur ſẽſu carnis, aut quis ea comprehendit, vel cùm præſto ſunt? Tardus eſt enim ſenſus carnis, quoniam ſenſus carnis eſt, & ipſe eſt

modus eius. Sufficit ad aliud, ad quod factus est, ad illud autem non sufficit, vt teneat transcurrentia ab initio debito, vsque ad finem debitum. In verbo enim tuo, per quod creantur, ibi audiunt, hinc & hucusque.

CAPVT XI.

Omnia creata sunt mutabilia in se, in Deo stabilia.

1 NOli esse vana anima mea, & obsurdescere in aure cordis tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu: Verbum ipsum clamat, vt redeas; & ibi est locus quietis imperturbabilis, vbi non deseritur amor, si ipse non deserat. Ecce illa discedunt, vt alia succedant, & omnibus suis partibus constet infima vniuersitas. Nunquid ego aliquò discedo, ait verbum Dei? Ibi fige mansionem tuam, ibi commenda, quicquid inde habes anima mea, saltem fatigata fallacijs. Veritati commenda, quicquid tibi est à veritate, & non perdes aliquid, & reflorescent putrida tua, & sanabuntur omnes languores tui, & fluxa tua reformabuntur, & renouabuntur, & constringentur ad te; & non te deponent, quò * descendunt, sed stabunt tecum, & permanebunt ad semper

al. discedunt.

ſemper ſtantem, ac permanentem Deum.

2. Vt quid peruerſa ſequeris carnem tuam? Ipſa te ſequatur conuerſa. Quicquid per illam ſentis, in parte eſt, & ignoras totum, cuius hæ partes ſunt, & delectat te tamen. Sed ſi ad totum comprehendendum eſſet idoneus ſenſus carnis tuæ, ac non & ipſe in parte vniuerſi accepiſſet pro pœna tua iuſtum modum; velles, vt tranſiret, quicquid exiſtit in præſenti, vt magis tibi omnia placerent. Nam, & quod loquimur, per eundem ſenſum carnis audis, & non vis vtiq; ſtare ſyllabas, ſed tranſuolare, vt aliæ veniant, & totum audias. Ita ſemper ſunt omnia, quibus vnum aliquid conſtat, & non ſimul ſunt omnia ea, quibus cõſtat. Plus delectant omnia, quàm ſingula, ſi poſſint ſentiri omnia. Sed longè his melior, qui fecit omnia, & ipſe eſt Deus noſter: & non diſcedit, quia nec ſuccedi-tur ei. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem: ne in his, quę tibi placent, tu diſpliceas.

CAPVT XII.

Amor non improbatur, modò in his, quæ placent, amemus Deum.

1 SI placent animæ, in Deo amentur: quia & ipsæ mutabiles sunt, & in illo fixæ stabiliuntur, alioquin irent, & perirent. In illo ergo amentur, & rape ad eũ tecum, quas potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus: ipse fecit hæc, & nõ est longè. Non enim fecit, atque abijt, sed ex illo in illo sunt. Ecce vbi est, vbi sapit veritas. Intimus cordi est, sed cor errauit ab eo. Redite prçuaricatores ad cor, & inhærete illi, qui fecit vos. State cum eo, & stabitis. Requiescite in eo, & quieti eritis. Quò itis in aspera? quò itis? Bonum, quod amatis, ab illo est: sed quantum est ad illum, bonum est & suaue. Sed amarum erit iustè, quia iniustè amatur, deserto illo, quicquid ab illõ est.

Esa. 46.

2. Quò vobis adhuc & adhuc ambulare vias difficiles & laboriosas? Non est requies, vbi quæritis eam. Quærite, quod quæritis: sed ibi non est, vbi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis, non est illic. Quomodo enim beata vita, vbi nec vita? Et descendit huc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostrã, & occidit eam de abundantia vitæ suæ, & tonuit clamans, vt redeamus hinc ad eum in illud secretum, vnde processit ad nos; veniens in ipsum primum

mum virginalem vterum, vbi ei nupsit humana creatura, caro mortalis, nec semper mortalis, & inde, velut sponsus *Psal. 18.*
procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam. Non enim tardauit, sed cucurrit, clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu: clamãs, vt redeamus ad eum. Et discessit ab oculis, vt redeamus ad cor, & inueniamus eum.

3. Abcessit enim, & ecce hic est. Noluit nobiscum diu esse, & non reliquit nos. Illuc enim abscessit, vnde nunquam recessit, quia mundus per eum factus est; *Ioan. 1.*
& in hoc mundo erat, & venit in hunc mundum peccatores saluos facere, cui *1. Tim. 1.*
cõfitetur anima mea, vt sanet eam, quia peccauit illi. Filij hominum vsquequò *Psal. 4.*
graues corde? Nunquid & post descensum vitæ non vultis ascendere & viuere? Sed quò ascendistis, quando in alto estis, & posuistis in cœlum os vestrum? *Psal. 72.*
Descendite, vt ascendatis, & ascendatis ad Deum. Cecidistis enim, ascendendo contra eum. Dic eis ista, vt plorent in conualle plorationis, & sic eos rape tecum ad Deum, quia de spiritu eius hæc dicis eis, si dicis ardens igne charitatis.

CAPVT XIII.

Amor vnde proueniat.

1 HAEc tunc non noueram, & amabã pulchra inferiora, & ibam in profundum, & dicebam amicis meis: Num amamus aliquid nisi pulchrum; Quid est enim pulchrum? & quid est pulchritudo? Quid est, quod nos allicit, & conciliat rebus, quas amamus? Nisi enim esset in eis decus & species, nullo modo nos ad se mouerent. Et animaduertebam & videbam in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, & ideò pulchrum: aliud autem, quod ideo deceret, quoniam aptè accõmodaretur alicui, sicut pars corporis ad vniuersum suum, aut calciamentum ad pedem, & similia. Et ista consideratio scaturiuit in animo meo ex intimo corde meo, & scripsi libros de pulchro & apto, puto duos aut tres. Tu scis Deus: nam excidit mihi. Non enim habemus eos, sed aberrauerũt à nobis, nescio quomodo.

CAPVT XIV.

Liber de apto & pulchro.

1 QVid est autem, quod me mouit Domine Deus meus, vt ad Icherium

Romanæ vrbis oratorem ſcriberem illos libros, quem non noueram facie, ſed amaueram hominem ex doctrinæ fama, quæ illi clara erat, & quædam verba eius audieram, & placuerant mihi: Sed magis, quia placebant alijs, & efferebant eũ laudibus, ſtupentes quod ex homine Syro, docto priùs græcæ facundiæ, pòſt in latina etiam doctor mirabilis extitiſſet, & eſſet ſcientiſſimus rerum ad ſtudium ſapientiæ pertinentium, mihi placebat. Laudatur homo, & amatur abſens. Vtrum nam ab ore laudantis intrat in cor audientis amor ille? Abſit. Sed ex amante alio accenditur alius. Hinc enim amatur, qui laudatur; dum non fallaci corde laudatoris prædicari creditur, id eſt, cùm amans eum laudat. Sic enim tunc amabam homines ex hominum iudicio: Non enim ex tuo Deus meus, in quo nemo fallitur. Sed tamen cur non ſicut auriga nobilis, ſicut venator ſtudijs popularibus diffamatus, ſed longè aliter, & grauiter, & ita, quemadmodum & me laudari vellem.

2. Non aũt vellem ita laudari & amari me, vt hiſtriones, quanquam eos & ipſe laudarē & amarē; ſed eligēs latere, quā ita

notus esse;& vel haberi odio, quàm sic amari Vbi distribuuntur ista pondera variorum & diuersorum amorum in anima vna? Quid est, quod amo in alio? Quod rursus nisi odissem, nõ à me detestaretur & repellerem, cùm sit vterque nostrum homo? Non enim, sicut equus bonus, amatur ab eo, qui nollet hoc esse, etiam si posset; hoc & de histrione dicendum est, qui naturæ nostræ socius est.
Matt. 10. Ergone amo in homine, quod odi esse, cùm sim homo? Grande profundum est ipse homo, cuius etiam capillos tu Domine numeratos habes, & non minuuntur in te: & tamen capilli eius magis numerabiles sunt, quàm affectus eius, & motus cordis eius.

3. At ille rethor ex eo erat genere, quẽ sic amabam, vt vellem me esse talem: & errabam typho, & circumferebar omni vento, & nimis occultè gubernabar abs te. Et vnde scio, & vnde certus confiteor tibi, quòd illum in amore laudantium magis amaueram, quàm in rebus ipsis, de quibus laudabatur? Quia si non laudatum vituperarent eum, ijdem ipsi, & vituperando atque spernendo ea ipsa narrarent, non accenderer in eum, & nõ excitarer. Et certè res nõ alienę forẽt,

nec

nec homo ipſe alius, ſed tantummodo affectus alius narrantium. Ecce vbi iacet anima infirma, nondum hærens ſoliditati veritatis. Sicut auræ linguarum flauerint à pectoribus opinantium, ita fertur & vertitur, torquetur, ac retorquetur, & obnubilatur ei lumen, & non cernitur veritas. Et ecce eſt ante nos. Et magnum quiddam mihi erat, ſi ſermo meus & ſtudia mea illi viro innoteſcerent. Quæ ſi probaret, flagrarem magis: ſi autem improbaret, ſauciaretur cor vanum & inane ſoliditatis tuæ. Et tamen pulchrum illud atque aptum, vnde ad eum ſcripſeram, libenter animo verſabam, modos contemplationis meæ, & nullo collaudatore mirabar.

CAPVT XV.

Quòd corporalibus imaginibus contenebratus, non potuit capere ſpiritualia.

1 SEd tantæ rei cardinem in arte tua nondum videbam omnipotens, qui facis mirabilia ſolus, & ibat animus meus per formas corporeas, & pulchrũ, quod per ſeipſum, aptum autem, quod ad aliquid accommodatum deceret, de-

finiebam & diſtinguebam, & exemplis corporeis aſtruebam. Et conuerti me ad animi naturam, & non me ſinebat falſa opinio, quam de ſpiritualibus habebam, verum cernere. Et irruebat in oculos meos ipſa vis veri, & auertebam palpitantem mentem ab incorporea re ad lineamenta, & colores, & tumentes magnitudines. Et quia non poteram ea videre in animo, putabam me non poſſe videre animum meum. Et cùm in virtute pacem amarem, in vitioſitate autem odiſſem diſcordiam: in illa vnitatem, in iſta quandam diuiſionem notabam. Inque illa vanitate mens rationalis, & natura veritatis ac ſummi boni, mihi eſſe videbatur: in iſta verò diuiſione irrationalis vitæ, neſcio quam ſubſtantiã & naturam ſummi mali, quæ non ſolùm eſſet ſubſtantia, ſed omninò vita eſſet, & tamen abs te non eſſet Deus meus, ex quo ſunt omnia, miſer opinabar. Et tamen illam monadem appellabam, tanquam ſine vllo ſexu mentem, hanc verò dyaden, iram in facinoribus, libidinem in flagitijs, neſciens quid loquerer.

Μόνας. Δυάς.

2. Nõ enim nouerã, neq; didicerã, nec vllam ſubſtantiã malam eſſe, nec ipſam

men-

mentem nostram summum atque incommutabile bonum. Sicut enim facinora sunt, si vitiosus est ille animi motus, in quo est impetus, & se iactat insolenter ac turbidè; & flagitia, si est immoderata illa animæ affectio, qua carnales hauriuntur voluptates: ita errores & falsæ opiniones vitam contaminant; si rationalis mens ipsa vitiosa est qualis in me tunc erat, nesciente alio lumine illam illustrandam esse, vt sit particeps veritatis, quia non est ipsa natura veritatis. *Psal. 17.*
Quoniã tu illuminabis lucernã meam, Domine Deus meus, illuminabis tenebras meas, & de plenitudine tua nos omnes accepimus. Es enim tu lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quia in te non est transmutatio; nec momenti obumbratio. Sed ego conabar ad te, & repellebar abs te, vt saperem mortẽ, quoniam superbis resistis. *Ioan. 1.* *1. Petr. 5.*

3. Quid autem superbius, quàm vt asfererem mira dementia, me id esse naturaliter, quod tu es. Cùm enim ego essem mutabilis, & eo mihi manifestum esset, quòd ideò vtique sapiens esse cupiebam, vt ex deteriore melior fierẽ, malebã tamẽ etiã te opinari mutabilẽ, quã

me non hoc esse, quod tu es. Itaque repellebar, & resistebas ventosæ ceruici meæ, & imaginabar formas corporeas, & caro carnem accusabam, & spiritus ambulans nondum reuertebar ad te, & ambulando ambulabam in ea, quæ non sunt, neque in te, neque in me, neque in corpore. Neque mihi creabantur à veritate tua, sed à mea vanitate fingebantur ex corpore; & dicebam paruulis fidelibus tuis ciuibus meis, à quibus nesciens exulabam. Dicebam illis garrulus, & inept⁹: Cur ergo errat anima, quam fecit Deus? Et mihi nolebam dici, cur ergo errat Deus? Et contendebam magis incommutabilem tuam substantiam coactam errare, quàm meam mutabilem spontè deuiasse, & penè errare confitebar.

4. Et eram ætate annorum fortasse viginti sex aut septem, cùm illa volumina scripsi, voluens apud me corporea figmenta, obstrepentia cordis mei auribus, quas intendebam, ô dulcis veritas in interiorem melodiam tuam, cogitans de pulchro & apto, & stare cupiens, & audire te, & gaudio gaudere propter vocem spõsi, & non poteram: quia vocibus erroris mei rapiebar foras, & pondere superbiæ meæ in ima decidebam.

Non

Non enim dabas auditui meo gaudium & lætitiam, aut exultabant ossa, quæ humiliata non erant. Psal. 50.

CAPVT XVI.

Prædicamenta per se intellexit.

1 ET quid mihi proderat, quòd annos natus fermè viginti, cùm in manus meas venissent Aristotelica quædam, quas appellant decem categorias (quarum nomine cùm eas rethor Carthaginensis magister meus buccis typho crepantibus commemoraret, & alij qui docti habebantur) tanquam in nescio quid magnum & diuinum suspensus inhiabã; legi eas solus & intellexi. Quas cùm cõtulissem cum eis, qui se dicebant vix eas magistris eruditissimis, non loquentibus tantùm, sed multa in puluere depingentibus intellexisse, nihil inde aliud mihi dicere potuerunt, quàm ego solus apud meipsum legens cognoueram. Et satis apertè mihi videbantur loquentes de substantijs, sicut est homo, & quæ in illis essent, sicuti est figura hominis; qualis sit & statura, quot pedum sit, & cognatio, cuius frater sit, aut vbi sit constitut⁹; aut quãdo natus, aut stet, aut sedeat, aut

calceatus vel armatus sit; aut aliquid faciat, aut patiatur aliquid, & quæcunque in his nouem generibus, quorum exempli gratia quædam posui, vel in ipso substantiæ genere innumerabilia reperiuntur.

2. Quid hoc mihi proderat, quando & oberat, cùm etiam te Deus meus mirabiliter simplicem atq; incommutabilem, illis decem prædicamentis putans, quicquid esset, omnino comprehensum, sic intelligere conarer: quasi & tu subiectus esses magnitudini tuæ aut pulchritudini, vt illa essent in te quasi in subiecto, sicut in corpore: cùm tua magnitudo & tua pulchritudo tu ipse sis; corpus autem non eo sit magnum & pulchrum, quo corpus est: quia & si minùs magnum & minus pulchrum esset, nihilominus corpus esset. Falsitas enim erat, quam de te cogitabam, non veritas, & figmenta miseriæ meæ, non firmamenta beatitudinis tuę. Iusseras enim, & ita fiebat in me, vt terra spinas & tribulos pareret mihi, & cum labore peruenirem ad panem meum.

Gen. 3.

3. Et quid mihi proderat, quod oẽs libros artium, quas liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatũ seru⁹, per meipsũ legi, & intellexi, quoscũq; legere

gere potui? Et gaudebam in eis & nesciebam vnde esset, quicquid ibi verum & certum esset. Dorsum enim habebã ad lumen, & ad ea, quæ illuminantur, faciem: vnde ipsa facies mea, qua illuminata cernebã, non illuminabatur. Quicquid de arte loquendi & disserẽdi, quicquid de dimensionib. figurarũ, & de musicis, & de numeris, sine magna difficultate, nullo hominũ tradẽte intellexi, scis tu Domine Deus meus, quia & celeritas intelligendi, & disputandi acumen, donum tuum est; sed non inde sacrificabam tibi. Itaq; mihi non ad vsum, sed ad perniciem magis valebat, quia tam bonam partẽ substantiæ meæ sategi habere in potestate, & fortitudinẽ meam nõ ad te custodiebam, sed profectus sum abs te *Luc. 15.*
in longinquam regionem, vt eã dissiparem in meretriceas cupiditates. Nã quid *Psal. 58.*
mihi proderat bona res non vtẽti bene? Non enim sentiebam illas artes, etiam ab studiosis & ingeniosis difficillimè intelligi, nisi cùm eis easdem conabar exponere, & erat ille excellẽtissimus in eis, qui me exponẽtẽ nõ tardius sequeretur.

4. Sed quid ergo mihi hoc proderat, putanti quòd tu Domine Deus meus veritas, corpus esses lucidum

& immensum, & ego frustum de illo corpore? Nimia peruersitas. Sed sic eram. Nec erubesco Deus meus confiteri tibi in me misericordias tuas, & inuocare te, qui non erubui tunc profiteri hominibus blasphemias meas, & latrare aduersum te. Quid ergo mihi tunc proderat ingenium per illas doctrinas agile, & nullo adminiculo humani magisterij; tot nodosissimi libri enodati, cùm deformiter & sacrilega turpitudine in doctrina pietatis errarem? Aut quid tantum oberat paruulis tuis longè tardiùs ingenium, cùm à te longè non recederent, vt in nido Ecclesiæ tuæ tuti plumescerent, & alas charitatis alimento sanæ fidei nutrirent?

5. O Domine Deus noster, in velamẽto alarum tuarum speremus, & protege
Psal. 62. nos, & porta nos. Tu portabis & paruulos, & vsque ad canos tu portabis: quoniã
Esa. 46. infirmitas nostra, quando tu es, tunc est firmitas: cùm aũt nostra est, infirmitas est. Viuit apud te semper bonum nostrũ: & quia inde auersi sumus, peruersi sumus. Reuertamur iam Domine, vt non euertamur: quia viuit apud te sine vllo defectu bonum nostrũ, quod tu ipse es: & non timebimus, ne nõ sit, quò redeam⁹, quia

quia nos inde ruimus: nobis autem absentibus, non ruit domus nostra, æternitas tua.

DIVI AVRELII Augustini Confessionum Liber Quintus.

CAPVT I.

Excitat mentem ad Deum laudandum.

ACcipe sacrificium confessionum mearum de manu linguæ meæ; quam formasti & excitasti, vt confiteatur nomini tuo; sana omnia ossa mea, & dicant: Domine quis similis tibi? *Psal 137.*
Neque enim docet te, quid in se agatur, qui tibi confitetur; quia oculum *Psal. 82.*
tuum nox excludit cor clausum; nec manum tuam repellit duritia hominum; sed soluis eam, cùm voles, aut miserans aut vindicans, & non est, qui se abscondat à calore tuo. Sed te laudet anima mea, vt amet te: & confiteatur tibi miserationes tuas, vt laudet te. *Psal. 18.*
Non cessat, nec tacet laudes tuas, vniuersa creatura tua, nec spiritus omnis hominis per os conuersum ad te, nec animalia,

nec corporalia per os considerantium ea; vt exurgat in te à lassitudine anima nostra, innitens eis, quæ fecisti, & transiens ad te, qui fecisti hæc mirabiliter, & ibi refectio, & vera fortitudo.

CAPVT II.

Dei præsentiam neminem effugere, cùm sit vbique.

1 EAnt, & fugiant te inquieti, & iniqui, & tu vides eos, & distinguis vmbras, & ecce pulchra sunt cũ eis omnia, & ipsi turpes sunt. Et quid nocuerunt tibi, aut in quo imperium tuum dehonestauerunt; à cœlo vsque in nouissima, iustum & integrum? Quò enim fugerũt, cùm fugerent à facie tua? aut vbi tu non
Psal. 138. inuenis eos? Sed fugerunt, vt non viderẽt te videntem se, atque excœcati in te of-
Sap. 11. fenderent; quia non deseris aliquid eorũ, quæ fecisti. In te offenderent iniusti, & iustè vexarentur; subtrahentes se lenitati tuæ, & offendentes in rectitudinem tuã, & cadentes in asperitatem tuam. Videlicèt nesciunt, quòd vbique sis, quem nullus circumscribit locus, & solus es præsens, etiam his, qui longè fiunt à te.

2. Conuertantur ergo, & quærant te, quia non sicut ipsi deseruerunt te creatorem

torem suum, ita & tu deseruisti creaturā tuam. Ipsi conuertantur, & quærant te; & ecce ibi es in corde eorum, in corde confitentium tibi, & proijcientium se in te, & plorantium in sinu tuo post vias suas difficiles: Et tu facilis terges lachrymas eorum, vt magis plorent, & gaudeant in fletibus: quoniam tu Domine, non aliquis homo, caro, & sanguis, sed tu Domine qui fecisti, reficis, & cōsolaris eos. Et vbi ego eram, quando te quærebam. Et tu eras ante me, ego autem & à me discesseram; nec me inueniebam, quantò minùs te.

CAPVT III.

De Fausto Manichæo, & de Astrologia.

1 PRoloquar in conspectu Dei mei annum illum, vndetricesimum ætatis meæ. Iam venerat Carthaginem quidā Manichæorum Episcopus Faustus nomine, magnus laqueus diaboli, & multi implicabantur in eo per illecebram suauiloquentiæ: quam ego iam tametsi laudabam, discernebam tamen à veritate rerum, quarum discendarum auidus eram: Nec quali vasculo sermonis, sed quid mihi scientiæ comedendum apponeret,

neret, nominatus apud eos ille Faustus, intuebar. Fama enim de illo prælocuta mihi erat; quod esset honestarum omnium doctrinarum peritissimus, & apprimè disciplinis liberalibus eruditus.

2. Et quoniam multa philosophorum legeram, memoriæque mandata retinebam, ex eis quædam comparabam illis Manichæorum longis fabulis: & mihi probabiliora ista videbantur, quæ dixerunt illi; qui tantum potuerunt valere, vt possent æstimare seculum, quamquam eius Dominum minimè inuenerint. Quoniam magnus es Domine, & humilia respicis, excelsa autem à longè
Psal. 137. cognoscis: Nec propinquas, nisi obtritis corde, nec inueniris à superbis, nec si illi curiosa peritia numerent stellas & arenam, & dimetiantur sidereas plagas, & inuestigent vias astrorum. Mente enim sua quærunt ista, & ingenio, quod tu dedisti eis; & multa inuenerunt, & prænunciauerunt ante multos annos defectus luminarium solis & lunæ, quo die, qua hora, quanta ex parte futuri essent, & non eos fefellit numerus; & ita factū est, vt prænunciauerunt: & scripserunt regulas indagatas, & leguntur hodie, atque ex eis prænunciatur, quo anno,

no, & quo mense anni, & quo die mensis, & qua hora diei, & quota parte luminis sui, defectura sit luna vel sol, & ita fiet, vt prænunciatur.

3. Et mirantur hæc homines & stupēt, qui nesciunt ea; & exultant atque extolluntur, qui sciunt, & per impiam superbiam recedentes & deficientes à lumine tuo, tanto ante solis defectum futurum præuident, & in pręsentia suũ non vidēt. Non enim religiosè quærunt, vnde habeant ingenium, quo ista quęrunt. Et inuenientes quia tu fecisti eos, non ipsi se dant tibi, vt serues quod fecisti, & quales se ipsi fecerant, occidunt se tibi, & trucidant exaltationes suas, sicut volatilia; & curiositates suas, sicut pisces maris, quibus perambulant secretas semitas abyssi; & luxurias suas, sicut pecora campi, vt tu Deus ignis edax, consumas mortuas curas eorum, recreans eos immortaliter. *Deut. 4.*

4. Sed non nouerunt viam, verbum tuum, per quod fecisti ea, quæ numerāt; & ipsos, qui numerant, & sensum, quo cernunt, quæ numerant, & mentem, de qua numerant, & sapientiæ tuæ non est numerus. Ipse autem vnigenitus, factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & numeratus *Ioan. 1.* *Psal. 146.* *1. Cor. 1.*

est inter nos, & soluit tributum Cæsari. Non nouerunt hanc viam, qua descendant ad illum à se, & per eam ascendāt ad eum. Non nouerunt hanc viam, & putant se excelsos esse cum sideribus & lucidos, & ecce ruerunt in terram, & obscuratum est insipiens cor eorum. Et multa vera de creatura dicunt, & veritatem creaturæ artificem non piè quærunt, & ideò non inueniunt: Aut si inueniunt cognoscentes Deum, non sicut Deum honorant, aut gratias agunt, sed euanescunt in cogitationibus suis, & dicunt se esse sapientes, sibi tribuendo quę tua sunt: ac per hoc student peruersissima cœcitate etiam tibi tribuere, quæ sua sunt, mendacia scilicet in te conferentes, qui veritas es, & immutantes gloriam incorrupti Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum, & conuertunt veritatem tuam in mendacium, & colunt, & seruiunt creaturæ potiùs, quàm creatori.

Rom. 1.

Rom. 1.

5. Multa tamē ab eis, ex ipsa creatura, vera dicta retinębam, & occurrebat mihi ratio per numeros & ordinem temporum, & visibiles attestationes siderum, & conferebā cū dictis Manichæi, qui de his

rebus

rebus multa ſcripſit, copioſiſſimè delirans, & non mihi occurrebat ratio, nec ſolſtitiorum, & æquinoctiorum, nec defectuum*luminarium, nec quicquid tale in libris ſecularis ſapientiæ didiceram. Ibi autem credere iubebar, & ad illas rationes numeris & oculis meis exploratas non occurrebat, & longè diuerſum erat.

*al. lunarium.

CAPVT IV.

Sola Dei cognitio beat.

1 NVnquid Domine Deus veritatis, quiſquis nouit iſta, iam placet tibi? Infelix enim homo qui ſcit illa omnia, te aũt neſcit. Beatus autem qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui verò & te & illa nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolùm beatus eſt; ſi cognoſcẽs te, ſicut Deum glorificet, & gratias agat, & non euaneſcat in cogitationibus ſuis.

2. Sicut enim melior eſt, qui nouit poſſidere arborem, & de vſu eius tibi gratias agit, quãuis neſciat vel quot cubitis alta ſit, vel quãta latitudine diffuſa; quã ille, qui eam metitur, & oẽs ramos eius numerat, & neque poſſidet eam, neq; creatorẽ eius nouit aut diligit: Sic fidelis homo, cuius totus mundus diuitiarum eſt, Rom. 1.

& qua-

& quaſi nihil habens omnia poſſidet in-
Iob 28. hærendo tibi, cui ſeruiunt omnia, quã-
uis nec ſaltem ſeptentrionum gyros no-
uerit; dubitare ſtultum eſt, quin vtique
melior ſit, quàm menſor cœli, & nume-
rator ſyderum, & penſor elementorum,
& negligens tui, qui omnia in menſura
Sap. 11. & numero & pondere diſpoſuiſti.

CAPVT V.

Temeritas Fauſti docentis quod neſciebat.

1 SEd tamen quis quærebat Manichæũ
neſcio quem etiam iſta ſcribere, ſine
Iob 28. quorum peritia pietas diſci poterat?
Dixiſti enim homini: Ecce pietas eſt ſa-
pientia, quam ille ignorare poſſet, et-
iam ſi iſta perfectè noſſet: Iſta verò
quia non nouerat, impudentiſſimè au-
dens docere, prorſus illam noſſe non
poſſet. Vanitas eſt enim mundana iſta
etiam nota profiteri, pietas autem tibi
confiteri. Vnde ille deuius ad hoc, iſta
multum locutus eſt, vt conuictus ab
eis, qui iſta verè didiciſſent, quis eſſet e-
ius ſenſus in cæteris, quæ abditiora
ſunt, manifeſtè cognoſceretur. Non e-
nim parui exiſtimari ſe voluit, ſed
ſpiritum ſanctum conſolatorem, & dita-
torem

torem fidelium tuorum, autoritate plenaria personaliter in se esse persuadere conatus est.

2. Itaque cùm de cœlo ac stellis, & de solis ac lunæ motibus falsa dixisse deprehenderetur, quamuis ad doctrinam religionis ista non pertineant, tamen aus⁹ eius sacrilegos fuisse satis emineret; cùm ea non solùm ignorata, sed etiã falsata, tam vesana superbiæ vanitate diceret, vt ea tanquam diuinæ personæ tribuere sibi niteretur. Cùm enim audio Christianũ aliquem fratrem, illum aut illum ista nescientem, & aliud pro alio sentiẽtem, patienter intueor opinantem hominem, nec illi obesse video, cùm de te Domine creator omnium, non credat indigna, si fortè situs & habitus creaturę corporalis ignoret. Obest autem, si hoc ad ipsam doctrinæ pietatis formam pertinere arbitretur, & pertinaciùs affirmare audeat, quod ignorat.

3. Sed etiam talis infirmitas in fidei cunabulis a charitate matre sustinetur, donec assurgat nouus homo in virũ perfectũ, & circũferri non possit omni vento doctrinæ. in illo aũt, qui doctor, qui autor, qui dux & princeps eorũ, quibus illa suaderet, ita fieri aus⁹ est, vt qui eum se- Ephes. 4.

quærentur, non quemlibet hominem, sed spiritum sanctum tuum se sequi arbitrarentur. Quis tantam dementiam, sicubi falsa dixisse conuinceretur, non detestandam, longeque abijciendam esse iudicaret? Sed tamen liquidò nondum cōpereram, vtrū etiam secundùm eius verba, vicissitudines longiorum & breuiorū dierū atq; noctiū, & ipsius noctis & diei, & deliquia luminum, & si quid eiusmodi in alijs libris legeram, posset exponi, vt si fortè posset, incertum quidem mihi fieret, vtrum ita se res haberet, an non ita, sed ad fidem meam illius autoritatem, propter creditam sanctitatem, proponerem.

CAPVT VI.

Faustus natura non arte facundus.

1 ET per annos fermè ipsos nouem, quibus eos animo vagabundus audiui, nimis extento desiderio venturum expectabam istum Faustum. Cæteri enim eorum, in quos fortè incurrissem, qui talium rerum quæstionibus à me obiectis deficiebant, illum mihi promittebant, cuius aduentu collatoque colloquio, facillimè mihi hæc, & si qua fortè maiora quærerem, enodatissimè

mè expedirentur. Ergo vbi venit, expertus sum hominem gratum & iocundum verbis, & ea ipsa, quæ illi solent dicere, multò suauius garrientem. Sed quid ad meam sitim preciosorum poculorum decentissimus ministrator? Iam rebus talibus satiatæ erant aures meæ; nec ideò mihi meliora videbantur, quia melius dicebātur: nec ideò vera, quia diserta: nec ideò sapiēs anima, quia vultus congruus & decorū eloquiū. Illi aūt, qui eum mihi promittebant, nō boni rerū existimatores erant, & ideò illis videbatur prudens & sapiens, quia delectabat eos loquens.

2. Sensi autem aliud genus hominū etiam veritatem habere suspectam, & ei nolle acquiescere, si compto atque vberi sermone promeretur. Me autem iam docueras Deus meus, miris & occultis modis, & propterea credo, quòd tu me docueris, quoniam verū est, nec quisquam præter te alius est doctor veri, vbicunque & vndecūque claruerit. Iam ergo abs te didiceram, nec eò debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur, nec eò falsum, quia incōpositè sonant signa labiorum. Rursum, nec ideò verum, quia impolitè enunciatur: nec ideò falsum,

quia ſplendidus ſermo eſt; ſed perinde eſſe ſapientiam & ſtultitiam, ſicut ſunt cibi vtiles & inutiles: verbis autem ornatis & inornatis, ſicut vaſis vrbanis & ruſticanis, vtroſque cibos poſſe miniſtrari. Igitur auiditas mea, qua illum tanto tempore expectaueram hominem, delectabatur quidem motu affectuque diſputantis, & verbis congruentibus, atque ad veſtiendas ſententias facilè occurrentibus.

3. Delectabar autem, & cum multis, vel etiam præ multis laudabam ac efferebam, ſed moleſtè habebam, quòd in cœtu audientium non ſinerer illi ingerere, & partiri cum eo curas quæſtionũ mearum conferendo familiariter & accipiendo ac reddendo ſermonem. Quod vbi potui, & aures eius cum familiaribus meis eo quoque tempore occupare cœpi, quo non dedeceret alternis diſſerere, & protuli quædam, quæ me mouebant, expertus ſum priùs hominem expertem liberalium diſciplinarum, niſi grammaticæ, atque ipſius vſitato modo. Et quia legeret aliquas Tullianas orationes, & pauciſſimos Senecæ libros, & nonnulla poetarum, & ſuæ ſectæ, ſi qua volumina Latinè atque compoſitè conſcripta

erant.

erant. Et quia aderat quotidiana sermocinandi exercitatio, inde suppetebat eloquium; quod fiebat acceptius, magisque seductorium moderamine ingenij, & quodam lepore naturali. Itáne est, vt recolo Domine Deus meus, arbiter conscientiæ meæ? Coram te cor meum, & recordatio mea, qui me tunc agebas abdito secreto prouidentiæ tuæ, & inhonestos errores meos iam cõuertebas ante faciem meam, vt viderem, & odissem.

CAPVT VII.

Alienatur à secta Manichæorum.

1 NAm posteaquam ille mihi imperitus earum artium, quibus eum excellere putaueram, satis apparuit, desperare cœpi posse eum mihi illa, quæ me mouebant, aperire atque dissoluere, quorum quidem ignarus posset veritatem tenere pietatis, sed si Manichæus non esset. Libri quippe eorum pleni sunt longissimis fabulis, de cœlo & syderibus, & sole & luna: quæ mihi eum, quod vtique cupiebam, collatis numerorum rationibus, quos alibi ego legeram, vtrum potiùs ita essent, vt Manichæi libris continebantur: an cer-

tè vel par etiam inde ratio redderetur, subtiliter explicare posse iam non arbitrabat. Quæ tamen vbi consideranda & discutienda protuli, modestè sanè ille nec ausus est subire ipsam sarcinam. Nouerat enim se ista non nosse, nec eum puduit confiteri. Non erat de talibus, quales multos loquaces passus eram, conantes ea me docere, & dicentes nihil. Iste verò cor habebat, & si non rectum ad te; nec tamē nimis incautum ad seipsum. Nō vsquequaq; imperit⁹ erat imperitię suæ, & noluit se temerè disputando in ea coarctari, vnde nec exitus rei vllus, nec facilis esset reditus. Et iam hinc mihi ampliùs placuit. Pulchrior est enim temperantia confitentis animi, quàm illa, quæ nosse cupiebam: & eum in omnib⁹ difficilioribus & subtilioribus quęstionibus talem inueniebam.

2. Refracto itaque studio, quod intenderam in Manichęi literas, magisque desperans de cæteris eorum doctoribus, quando in multis, quæ me mouebant, ita ille nominatus apparuit: cœpi cum eo pro studio eius agere vitā, quo ipse flagrabat, in eas literas, quas tunc iam rhetor Carthagini, adolescentes docebā, & legere cū eo, siue quæ ille audita desiderarat,

raret,

raret, siue quæ ipse tali ingenio apta existimarem. Cæterum omnis conatus meus, quo proficere in illa secta statueram, illo homine cognito prorsus intercidit: non vt ab eis omninò separarer, sed quasi melius quicquam nō inueniēs eo, quo iam quoquo modo irrueram: contentus interim esse decreueram, nisi aliquid fortè, quod magis eligendum esset, eluceret.

3. Ita ille Faustus, qui multis laqueus mortis extitit, meum laqueum, quo captus eram, relaxare iā cœperat, nec volens, nec sciens. Manus enim tuæ Deus meus in abdito prouidentiæ tuæ non deserebant animam meam; & de sanguine cordis matris meæ, per lachrymas eius diebus ac noctibus, pro me sacrificatur tibi; & egisti mecum miris & occultis modis. Tu illud egisti Deus meus. Nā à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Aut quæ procuratio salutis, præter manum tuam, reficientē quæ fecisti?

CAPVT VIII.

Proficiscitur Romam, contra matris voluntatem.

1 EGisti ergo mecum, vt mihi persuaderetur Romam pergere, & potiùs

ibi docere, quod docebam Carthagine. Et hoc vnde mihi persuasum est, non præteribo confiteri tibi: quoniam & in his altissimi tui recessus, & præsentissima in nos misericordia tua cogitanda & prædicanda est. Non ideò Romā pergere volui, quòd maiores quæstus, maiorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc persuadebant, promittebatur, quanquā & ista ducebant animum tunc meum: sed illa erat tunc causa maxima & penè sola, quòd audiebam quietiùs ibi studere adolescentes, & ordinatiore disciplinę coërtione sedari; ne in eius scholam, quo magistro non vtuntur, passim & proterè irruant: nec eos admitti omninò, nisi ille permiserit.

2. Contrà, apud Carthaginem fœda est & intemperans licentia scholasticorum. Irrumpunt impudenter, & propè furiosa fronte perturbant ordinem, quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit. Multa iniuriosa faciunt mira hebetudine, & punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit, hoc miseriores eos ostendens, quo iam quasi liceat faciunt, quod per tuam æternam legem nunquam licebit: & impunè se facere arbitrantur, cùm ipsa cœcitate faciendi

ciendi puniantur: & incomparabiliter patiantur peiora, quàm faciunt. Ergo quos mores, cùm studerem, meos esse nolui, eos cùm docerem, cogebar perpeti alienos; & ideò placebat ire, vbi talia nō fieri omnes, qui nouerant, indicabant. Verùm autem, tu spes mea & portio mea in terra viuentium, ad mutandum terrarum locum pro salute animæ meæ, & Carthagini stimulos, quibus inde auellerer, admouebas: & Romæ illecebras, quibus attraherer, proponebas mihi per homines, qui diligebant vitam mortuam, hinc insana facientes, inde vana pollicentes: & ad corrigendos gressus meos vtebaris occultè, & illorum & mea peruersitate. Nam & qui perturbabant otium meum, fœda rabie cæci erāt, & qui inuitabant ad aliud, terram sapiebant. Ego autem, qui detestabar hic veram miseriam, illic falsam felicitatem appetebam.

Psal. 141.

3. Sed quare hinc abirem, & illuc irē, tu sciebas Deus, nec indicabas mihi, nec matri, quæ me profectum atrociter plāxit, & vsq; ad mare secuta est. Sed fefelli eam, violenter me tenentē, vt aut reuocaret, aut mecum pergeret: & finxi me amicum nolle deserere, donec vento facto

nauigaret. Et mentitus sum matri, & illi matri, & euasi. Quia & hoc tu dimisisti mihi misericorditer, seruãs me ab aquis maris, plenũ execrãdis sordib⁹, vsq; ad aquã gratiæ tuæ, qua me abluto, siccarentur flumina maternorum oculorum, quibus pro me quotidie tibi rigabat terram sub vultu suo: Et tamen recusanti sine me redire, vix persuasi, vt in loco, qui proximus nostræ naui erat memoria beati Cypriani, maneret ea nocte. Sed ea nocte clanculò ego profectus sum, illa autem remansit orando & flendo. Et quid à te petebat Deus meus tantis lachrymis, nisi vt nauigare me non sineres? Sed tu altè consulens, & exaudiens cardinem desiderij eius, nõ curasti, quod tunc petebat, vt in me faceres, quod semper petebat.

4. Flauit ventus, & impleuit vela nostra, & littus subtraxit aspectibus nostris. In quo mane illa insaniebat dolore, & querelis ac gemitu implebat aures tuas contemnentes ista: cùm & me cupiditatibus meis raperes ad finiendas ipsas cupiditates: & illius carnale desiderium iusto dolorum flagello vapularet. Amabat enim seculum præsentiam meã, more matrũ, sed multis multò ampli⁹: & ne-

sciebat,

ſciebat, quid tu illi gaudiorum facturus eſſes de abſentia mea. Neſciebat, ideò flebat & eiulabat, atque illis cruciatibus arguebatur rea reliquiarum Euæ, cum gemitu quærens, quod cum gemitu pepererat. Et tamen poſt accuſationem fallaciarum & crudelitatis meæ, conuerſa rurſus ad deprecandum te pro me, abijt ad ſolita, & ego Romam.

CAPVT IX.

Febri correptus, periculosè laborat.

1 ET ecce, excipior ibi flagello ægritudinis corporalis, & ibam iam ad inferos, portans omnia mala, quæ commiſeram, & in te, & in me, & in alios multa, & grauia, ſuper originalis peccati vinculum, quo omnes in Adam morimur. Non enim quicquam mihi donaueras in Chriſto: nec ſoluerat ille in cruce ſua inimicitias, quas tecum contraxerā peccatis meis. Quomodo enim eas ſolueret in cruce phantaſmatis, quod de illo crediderā? Quàm ergo falſa mihi videbatur mors carnis eius, tam vera erat animæ meæ, & quàm vera erat mors carnis eius, tā falſa vita animæ meæ, quæ id nō credebat. Et ingraueſcentibus febribus, iam

1. Cor. 15.
Epheſ. 2.

ibam & peribam. Quò enim irem, si tunc hinc abirem, nisi in ignem atque tormēta digna factis meis, in veritate ordinis tui? Et illa hoc nesciebat, & tamen pro me orabat absens. Tu autem vbiq; præsens, vbi erat, exaudiebas eam: & vbi eram, miserebaris mei, vt recuperarem salutem corporis mei, adhuc insanus corde sacrilego. Neque enim desiderabā in illo tanto periculo baptismum tuum: & melior eram puer, quando illum de materna pietate flagitaui, sicut iam recordatus atque confessus sum.

2. Sed in dedecus meum creueram, & consilia medicinæ tuæ demens irridebā, qui me non siuisti talem bis mori. Quo vulnere si feriretur cor matris; nunquā sanaretur. Non enim satis eloquor, quid erga me habebat animi; & quantum maiore solicitudine me parturiebat spiritu, quàm carne pepererat. Non itaque video, quomodo sanaretur, si mea talis illa mors transuerberasset viscera dilectionis eius. Et vbi essent tantæ preces, & tam crebræ sine intermissione? nusquam nisi ad te. An verò tu Deus misericordiarum, sperneres cor contritum & humiliatū viduæ castæ ac sobriæ frequentantis eleemosynas, obsequentis

Psal. 50.

atque

atque seruientis sanctis tuis, nullum diē prætermittentis oblationem ad altare tuum: bis in die, mane & vespere, ad ecclesiam tuam sine vlla intermissione venientis, non ad vanas fabulas & aniles loquacitates, sed vt te audiret in tuis sermonibus, & tu illam in suis orationib⁹.

3. Huiusne tu lachrymas, quibus non à te aurum & argentum petebat, nec aliquod mutabile aut volubile bonum, sed salutem animæ filij sui: Tu, cuius munere talis erat, contemneres & repelleres ab auxilio tuo? Nequaquam Domine. Imò verò aderas, & exaudiebas, & faciebas ordine, quo prædestinaueras esse faciendum. Absit, vt tu falleres eam in illis visionibus & responsis tuis, quæ iam commemoraui, & quæ non commemoraui, quæ illa fideli pectore tenebat, & semper orans, tanquam chirographa tua ingerebat tibi. Dignaris enim, quoniam in seculum misericordia tua, eis, quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri.

CAPVT X.

Errores ante susceptam Euangelij doctrinam.

1 RExcreasti ergo me ab illa ægritudine, & saluum fecisti filium ancillæ

tuę;tunc interim corpore, vt esset, cui salutem meliorem atque certiorem dares. Et iungebar etiam tunc Romæ falsis illis atque fallentibus sanctis. Non enim tantùm auditoribus eorum, quorum è numero erat etiam is, in cuius domo ægrotaueram, & conualueram; sed eis etiam, quos electos vocant. Adhuc enim mihi videbatur nõ esse nos, qui peccamus, sed nescio quam aliam in nobis peccare naturã; & delectabat superbiam meam, extra culpam esse: Et cùm aliquid mali fecissem, nõ confiteri me fecisse, vt sanares animam meam, quoniam peccabam tibi; sed excusare eam amabam, & accusare nescio quid aliud, quod mecũ esset, & ego non essem. Verùm autem totum ego eram, & aduersum me impietas mea me diuiserat: & id erat peccatum insanabilius, quo me peccatorem non esse arbitrabar: & execrabilis iniquitas, te Deus omnipotens, te à me ad perniciem meã, quàm me à te ad salutem malle superari.

2. Nondum ergo posueras custodiam ori meo, & ostium * continentiæ circum labia mea, vt non declinaret cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquita-

al. circũstantiæ.

tem;

tem;& ideò adhuc combinabar cum electis eorum. Sed tamen iam deſperans, in ea falſa doctrina me poſſe proficere; eaque ipſa, quibus ſi nihil melius reperirẽ, contẽtus eſſe decreuerã, iam remiſſius negligentiuſque retinebam. Etenim ſuborta eſt etiam mihi cogitatio, prudẽtiores cæteris fuiſſe illos philoſophos, quos Academicos appellant, quòd de omnibus dubitandũ eſſe cenſuerant; nec aliquid veri ab homine deprehendi poſſe decreuerant. Ita enim & mihi liquidò ſenſiſſe videbãtur, vt vulgo habetur, etiam illorum intentionem nondum intelligenti.

3. Nec diſſimulaui eundem hoſpitem meum reprimere à nimia fiducia, quam ſenſi eum habere de rebus fabuloſis, quibus Manichæi libri pleni ſunt. Amicitia tamen eorum familiarius vtebar, quàm cæterorum hominum, qui in illa hæreſi non fuiſſent. Nec eam defendebam priſtina animoſitate, ſed tamen familiaritas eorum (plures enim eos Roma* occultat) pigriùs me faciebat aliud quærere; præſertim deſperantem in eccleſia tua Domine cœli & terræ, creator omnium viſibilium, & inuiſibilium, poſſe inueniri verum, vnde me illi auerterant. Multumque mihi turpe videbatur, credere

*al. occultabat.

credere te figuram habere humanæ carnis, & membrorum nostrorũ lineamẽtis corporalibus terminari. Et quoniam cũ de Deo meo cogitare vellẽ, cogitare nisi moles corporum non noueram: (Neque enim videbatur mihi esse quicquã, quod tale non esset) ea maxima & propè sola causa erat ineuitabilis erroris mei.

4. Hinc enim & mali substantiam quãdam credebam esse talem, & habere suã molem terram & deformẽ siue crassam, quam terram dicebant; siue tenuem atque subtilem, sicuti est aeris corpus, quã malignam mentem per illam *terram repentem imaginantur. Et quia Deum bonum nullam malã naturam creasse, qualiscunque pietas me credere cogebat; constituebam ex aduerso sibi duas moles, vtramque infinitam, sed malam angustius, bonam grãdius, & ex hoc initio pestilentioso me cætera sacrilegia sequebantur. Cùm enim conaretur animus meus recurrere in Catholicam fidem, repercutiebar, quia nõ erat Catholica fides, quam esse arbitrabar. Et magis pius mihi videbar, si te Deus meus, cui confitentur ex me miserationes tuæ, vel ex cæteris partibus infinitum crederem; quamuis ex vna, qua tibi moles mali

al. terram repente.

mali

mali opponebatur, cogerer finitum fateri, quàm si ex omnibus partibus in corporis humani forma te opinarer finiri.

5. Et melius mihi videbar credere nullum malum te creasse, quod mihi nescienti, non solùm aliqua substantia, sed etiam corporea videbatur, & quia mentē cogitare non noueram, nisi eam subtile corpus esse, quod tamen per loci spacia diffunderetur, quàm credere abs te esse, qualem putabam naturam mali: Ipsum quoq; saluatorem nostrū vnigenitum tuum, tanquam de massa lucidissima molis tuę porrectum ad nostram salutem ita putabam vt aliud de illo non crederem, nisi quod possem vanitate imaginari. Talem itaque naturam nasci non posse de Maria virgine arbitrabar, nisi carni concerneretur. Concerni autē & non inquinari non videbam, quod mihi tale figurabā. Metuebam itaq; credere in carne natum, ne credere cogerer ex carne inquinatū. Nūc spirituales tui blādè & amāter ridebūt me, si has cōfessiones meas legerint: Sed tamē talis erā.

CAPVT XI.

Qualiter Augustinus contulerit cum Catholicis.

1 DEinde, quæ illi in ſcripturis tuis reprehenderant, defendi poſſe non exiſtimabam: ſed aliquando ſanè cupiebam cum aliquo illorum librorum doctiſſimo conferre ſingula, & experiri, quid inde ſentiret. Iam enim Helpidij cuiuſdam aduerſus eoſdem Manichæos coràm loquentis & diſſerentis ſermones; etiam apud Carthaginem mouere me cœperant, cùm talia de ſcripturis proferret, quibus reſiſti non facile poſſet, & imbecilla mihi reſponſio videbatur iſtorum.

2. Quam quidem non facilè palàm promebant, ſed nobis ſecretius, cùm dicerent ſcripturas noui teſtamenti falſatas fuiſſe à neſcio quibus, qui Iudæorum legem inſerere Chriſtianæ fidei voluerunt, atque ipſi incorrupta exemplaria nulla proferrent. Sed me maximè captũ & offocatum quodammodo deprimebãt corporalia cogitantem moles illæ, ſub quibus anhelans in auram tuæ veritatis liquidam & ſimplicem reſpirare non poteram.

CAPVT XII.

Fraus diſcipulorum Romæ in præceptores.

1 Sedulò

1 SEdulò ergo agere cœperam, propter quod veneram, vt docerem Romæ artem rhetoricam, & priùs domi congregare aliquos, quibus, & per quos innotescere cœperam; & ecce cognosco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Africa. Nam reuera illas euersiones à perditis adolescentibus ibi non fieri, manifestatum est mihi. Sed subitò inquiunt, ne mercedem magistro reddant, conspirant multi adolescentes, & transferunt se ad alium desertores fidei, & quibus præ pecuniæ charitate iustitia vilis est. Oderat etiam istos cor meum, quamuis non perfecto odio. Quod enim ab eis passurus eram, magis oderam fortasse, quàm eò, quod cuilibet illicita faciebant. Psal. 138.

2 Certè tamen turpes sunt tales, & fornicantur abs te, amando volatica ludibria temporũ, & lucrũ luteum, quod cùm apprehenditur, manum inquinat; & amplectendo mũdum fugientem, contẽnendo te manentem & reuocantem, & ignoscentẽ redeũti ad te meretrici animæ humanæ. Et nũc tales odi prauos & distortos, quãuis eos corrigendos diligam: vt pecuniæ doctrinam ipsam, quam discunt, præferãt, ei verò te Deũ veritatem & vbertatem certi boni & pacem castissi-

mam.

riam. Sed tunc eos magis ſpati nolebam malos propter me, quàm fieri bonos propter te volebam.

CAPVT XIII.

Docturus rethoricam it Mediolanum, atque ab Ambroſio ſuſcipitur.

1 ITaque, poſteaquam miſſum eſt à Mediolano Romam ad præfectum vrbis, vt illi ciuitati rethoricæ magiſter prouideretur, impertita etiam euectione publica; ego ipſe ambiui per eoſdem ipſos Manichæis vanitatib⁹ ebrios, quibus vt carerem, ibam. Sed vtriq; neſciebamus, vt dictione propoſita me probatum præfectus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad Ambroſium Epiſcopum, in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum, cuius tūc eloquia ſtrenuè miniſtrabant adipē frumēnti tui, & lætitiam olei, & ſobriā vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te neſciens, vt per eum ad te ſciens ducerer. Suſcepit me paternè ille homo Dei, & peregrinationem meā ſatis epiſcopaliter dilexit.

Pſal. 4.

2. Et eum amare cœpi, primò quidem non tanquam doctorem veri, quod in Eccleſia tua prorſus deſperabam, ſed tan-

tanquam hominem benignum in me. Et studiosè audiebam disputantem in populo, non intentione, qua debui, sed quasi explorans eius facundiam, vtrum conueniret famæ suæ, an maior minorve profiueret, quā prædicabatur, & verbis eius suspendebar intentus. Rerum autem incuriosus & contemptor astabam, & delectabar suauitate sermonis, quanquam eruditioris, minùs tamen hilarescentis, atque mulcētis, quàm Fausti erat, quod attinet ad dicendi modum. Cæterùm rerum ipsarum nulla comparatio. Nam ille per Manichæas fallacias aberrabat, iste autem saluberrimè docebat salutem. Sed longè est à peccatoribus salus, qualis ego tunc aderam: & tamen propinquabam sensim, & nesciebam. Psal. 118.

CAPVT XIV.

Audito Ambrosio, paulatim ab erroribus resipiscit.

1 CVm enim non satagerem discere, quæ dicebat, sed tantùm, quemadmodum dicebat, audire. (ea mihi quippe iam desperanti ad te viam patêre homini inanis cura remanserat) Sed veniebant in animum meum simul cum verbis, quæ diligebam, res etiā, quas negligebam.

gebam. Neque enim ea dirimere pote-
ram. Et dum cor aperirem, ad excipiendũ
quàm disertè diceret, pariter intrabat, &
quàm verè diceret, gradatim quidem.
Nam primò etiã ipsa defendi posse, mi-
hi iam cœperant videri, & fidem Catho-
licam, pro qua nihil posse dici aduersus
oppugnantes Manichæos putaueram, iã
non impudenter asseri existimabã; ma-
ximè audito vno atque altero, & sæpiùs
ænigmate soluto de scripturis veteribus.
2. Cor. 3 8 Vbi, cùm ad literam acciperem, occide-
bar spiritualiter.

2. Itaque plerisque illorum librorum
expositis locis, iam reprehendebam de-
sperationem meam; illam dumtaxat,
qua credideram legem & prophetas de-
testantibus atque irridentibus resisti o-
mnino non posse. Nec tamen iam ideò
mihi Catholicam viam tenendam esse
sentiebam, quia & ipsa poterat habere
doctores assertoresque suos, qui copiosè
& non absurdè obiecta refellerent: Nec
ideò iam damnandum illud tenebam,
quia defensionis partes æquabantur. Ita
enim Catholica non mihi victa videba-
tur, vt nondum etiam victrix appareret:
Tunc verò fortiter intendi animum, si
quo modo possem certis aliquibus
documentis Manichæos conuincere
falsi-

falsitatis. Quòd si possem spiritualem substantiam cogitare, statim machinamenta illa omnia soluerentur, & abijcerentur ex animo meo, sed non poteram.

3. Veruntamen, de ipso mundi huius corpore, omnique natura, quam sensus carnis attingeret, multò probabiliora plerosque sensisse philosophos, magis magisque considerans, atque comparans iudicabam. Itaque Academicorum more, sicut existimantur, dubitans de omnibus, atque inter omnia fluctuans, Manichæos quidem relinquendos esse decreui, non arbitrans eo ipso tempore dubitationis meæ in illa secta mihi permanendum esse, cui iam nonnullos philosophos præponebam: quibus tamen philosophis, quòd sine nomine salutaris Christi essent, curationem languoris animæ meæ committere omnino recusabam. Statui ergo tamdiu esse catechumenus in Catholica Ecclesia, mihi à parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret, quo cursum dirigerem.

DIVI AVRELII Augustini Confessionum Liber sextus.

CAPVT I.

Augustinus nec Manichæus, nec Catholicus.

SPes mea à Iuuentute mea; vbi mihi eras, & quò recesseras? An verò non tu feceras me, & discreueras me à quadrupedibus & volatilibus cœli? Sapientiorem me feceras, & ambulabã per tenebras & lubricum, & quærebam te foris à me, & non inueniebam Deum cordis mei, & veneram in profundum maris, & diffidebam, & desperabam de inuentione veri. Iam venerat ad me mater pietate fortis, terra marique me sequens, & in periculis omnibus de te secura. Nam & per marina discrimina ipsos nautas consolabatur, à quibus rudes abyssi viatores, cùm perturbantur, consolari solent; pollicens eis peruentionẽ cum salute, quia hoc ei tu per visum pollicitus eras. 2. Et inuenit me periclitã-

tem quidem grauiter desperatione indagandæ veritatis. Sed tamen ei cùm indicassem, non me quidem iam esse Manichæum, sed neque Catholicũ Christianum, non quasi inopinatum aliquid audierit, exiliuit lætitia; cùm iam secura fieret ex ea parte miseriæ meæ, in qua me tanquam mortuum, sed resuscitandum tibi flebat; & feretro cogitationis offerebat, vt diceres filio viduæ: Iuuenis tibi dico, Surge: & reuiuisceret, & inciperet loqui, & redderes illum matri suæ. Nulla ergo turbulenta exultatione trepidauit cor eius, cùm audisset ex tanta parte iam factum, quod tibi quotidie plangebat, vt fieret, veritatem me nondum adeptum, sed falsitati iam ereptũ. Imò verò quia certa erat, & quod restabat te daturum, qui totum promiseras; placidissimè & pectore pleno fiduciæ respondit mihi, credere se in Christo, quòd priusquam de hac vita emigraret, me visura esset fidelem Catholicum. *Luc. 7.*

3. Et hoc quidem mihi. Tibi autem fons misericordiarum preces & lachrymas densiores, vt accelerares adiutorium tuum, & illuminares tenebras meas; & studiosius ad ecclesiã currere, & in Ambrosij ora suspendi, & ad fontem salien-

tis aquæ in vitam æternam. Diligebat
Ioan. 4. autem illum virum, sicut Angelum Dei, quòd per illum cognouerat me interim ad illam ancipitem fluctuationem iam esse perductum, per quem transiturum me ab ægritudine ad sanitatem, intercurrēte acriore periculo, quasi per accessionem, (quam criticam medici vocant) certa præsumebat.

CAPVT II.

Epulæ & synaxis apud sepulchra martyrum.

1 ITaque cùm ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes & panē & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur, vbi hoc episcopum vetuisse cognouit, tam piè atque obedienter amplexa est, vt ipse mirarer, quòd tam facilè accusatrix potiùs cōsuetudinis suæ quàm disceptatrix illius prohibitionis, effecta sit. Non enim obsidebat spiritum eius vinolentia, eamque stimulabat in odium veri amor vini, sicut plerosque mares & feminas, qui ad canticum sobrietatis, sicut ad potionem aquarum madidi nauseant. Sed illa cùm attulisset canistrum cum solennibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quā

vnum

vnum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum, vnde dignationem sumeret, non ponebat. Etsi multæ essent, quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipsum vnum, quod vbique poneret, circumferebat, quod iam nō solùm aquatissimum, sed etiam tepidissimum, cum suis præsentibus per sorbitiones exiguas partiretur; quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem.

2. Itaque vbi comperit à præclaro prædicatore atque antistite pietatis, preceptum esse ista non fieri, nec ab eis, qui sobriè facerēt, nec vlla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima, abstinuit se libentissimè, & pro canistro pleno terrenis fructibus plenum purgatoribus votis pectus ad memorias martyrū afferre didicerat, vt & quod posset, daret gentibus: & sic cōmunicatio Dominici Corporis illic celebraretur, cuius passionis imitatione immolati & coronati sunt martyres.

3. Sed tamen videtur mihi Domine Deus meus, & ita est in conspectu tuo de hac re cor meum, non facilè fortasse de hac amputanda consuetudine matrem

meam fuiſſe ceſſuram; ſi ab alio prohiberetur, quem non ſicut Ambroſium diligebat, quem propter ſalutem meā maximè diligebat: eam verò ille, propter eius religioſiſſimam conuerſationem, qua in bonis operibus tam feruens ſpiritu frequentabat eccleſiam: ita vt ſæpe erumperet, cùm me videret in eius prędicatione, gratulans mihi, quòd talem matrem haberem; neſciens qualem illa me filium, qui dubitabam de illis omnibus, & inueniri poſſe viam vitæ minimè putabam.

CAPVT III.

Occupationes & ſtudia Ambroſij.

3 NEc iam ingemiſcebam orando, vt ſubuenires mihi; ſed ad quærendū intentus, & ad diſſerendum inquietus erat animus meus. Ipſumque Ambroſium felicem quendam hominem ſecundùm ſeculū opinabar, quem ſic tantæ poteſtates honorarent, cœlibatus tantùm eius mihi laborioſus videbatur. Quid autem ille ſpei gereret aduerſus ipſius excellentiæ tentamenta, quid luctaminis haberet, quidve ſolaminis in aduerſis, & occultum os eius, quod erat in corde eius, quàm ſapida gaudia de pa-

ne tuo

ne tuo ruminaret, nec conijcere noueram, nec expertus eram: nec ille ſciebat æſtus meos, nec foueam periculi mei. Non enim quærere ab eo poteram, quod volebam, ſicut volebam; ſecludentibus me ab eius aure, atque ore cateruis negotioſorum hominum, quorum infirmitatibus ſeruiebat. Cum quibus quando non erat, quod perexiguum temporis erat, aut corpus reficiebat neceſſariis ſuſtentaculis, aut lectione animum. Sed cùm legebat, oculi ducebantur per paginas, & cor intellectum rimabatur, vox autem & lingua quieſcebant.

2. Sæpe cùm adeſſemus, non enim vetabatur quiſquam ingredi, aut ei venientem nunciari mos erat; ſic eum legentem vidimus tacitè, & aliter nunquam. Sedenteſque in diuturno ſilentio (quis enim tam intento eſſe oneri auderet?) diſcedebamus: & coniectabamus eum paruo illo tempore, quod reparandæ menti ſuæ nanciſcebatur, feriatum ab ſtrepitu cauſarum alienarum, nolle in aliud auocari, & cauere fortaſſe, ne auditore ſuſpenſo, & intento, ſi qua obſcurius poſuiſſet ille, quem legeret, etiam exponere neceſſe eſſet; aut de

aliquibus difficilioribus disceptare quæstionibus, atque huic operi temporibus impensis, minus quàm vellet voluminum euolueret: quamquam & causa seruandæ vocis, quæ illi facillimè obtundebatur, poterat esse iustior tacitè legendi. Quolibet tamen animo id ageret, bono vtique ille vir agebat.

3. Sed certè mihi nulla dabatur copia sciscitandi, quæ cupiebam, de tam sancto oraculo tuo pectore illius, nisi cùm aliquid breuiter esset audiendum. Æstus autem illi mei ociosum eum valde, cui refunderentur, requirebant, nec vnquam inueniebant. Et eum quidem in populo, verbum veritatis rectè tractantem, omni die dominico audiebam; & magis magisque mihi confirmabatur, omnes versutarum calumniarum nodos, quos illi deceptores nostri aduersus diuinos libros *innectebant, posse dissolui.

al. inuectabant.

4. Vbi verò etiam comperi, ad imaginem tuam hominem à te factum, à spiritualibus filijs tuis, quos de matre Catholica per gratiam regenerasti, non sic intelligi, vt humani corporis forma te terminatum crederent atque cogitarēt; quanquam quomodo se haberet spiritualis substantia, ne quidem tenuiter atque

quę in ænigmate suspicabar, tamen gaudens erubui, non me tot annos aduersus Catholicam fidem, sed contra carnaliũ cogitationum figmēta latrasse. Eo quippe temerarius & impius fueram, quòd ea, quæ debebam quærendo discere, accusando dixeram. Tu enim altissime & proxime, secretissime & præsentissime, cui membra non sunt alia maiora & alia minora: sed vbique totus es, & nusquam locorum es, non es vtiq; forma ista corporea, tamen fecisti hominem ad imaginem tuam, & ecce ipse à capite vsque ad pedes in loco est.

CAPVT IV.

De litera & spiritu.

CVm ergo nescirem, quomodo hæc subsisteret imago tua, pulsansq; proponerē, quomodo credendum esset, non insultans opponerem, quasi ita creditum esset: Tantò igitur acrior cura rodebat intima mea, quid certi retinerem, quantò me magis pudebat tamdiu illusum & deceptum promissione certorum, puerili errorē & animositate, tā multa incerta quasi certa garrisse. Quòd enim falsa essent, posteà mihi claruit. Certum tamen erat, quòd incerta essent, & à me

aliquando pro certis habita fuissent, cùm Catholicam tuam cæcis contentionibus accusarem; & si nondum compertam vera docentem, non tamen ea docentem, quæ grauiter accusabam. Itaque confundebar, & conuertebar; & gaudebam Deus meus, quòd ecclesia vnica corpus vnici tui, in qua mihi nomen Christi infanti est inditum, non saperet infantiles nugas; neque hoc haberet in doctrina sua sana, quòd te creatorem omnium in spacium loci quamuis summum & amplum, tamen vndique terminatum, membrorum humanorum figura contruderet.

2. Et gaudebam etiam, quòd vetera scripta legis & prophetarum iam non illo oculo mihi legenda proponerentur, quo antèa videbantur absurda, cùm arguebam tanquam ita sentientes sanctos tuos, verùm autem non ita sentiebant: & tanquam regulam diligentissimè cōmendaret, sæpe in popularibus sermonibus suis dicentem Ambrosium lætus audiebam: Litera occidit, spiritus autem viuificat: cùm ea, quæ ad literam, peruersitatem docere videbantur, remoto mystico velamento spiritualiter aperiret, non dicens quòd me offenderet,

2. Cor. 3.

quam

quamuis ea diceret, quæ vtrum vera essent, adhuc ignorarem. Tenebam enim cor meum ab omni assensione, timens præcipitium, & suspendio magis necabar. Volebam enim eorum, quæ non viderem, ita me certum fieri, vt certus essem, quòd septem & tria decē sint.

3. Neque enim tam insanus eram, vt ne hoc quidem putarem posse comprehendi; sed sicut hoc, ita cætera cupiebam: siue corporalia, quæ coram sensibus meis non adessent; siue spiritualia, de quibus cogitare nisi corporaliter nesciebam. Et sanari credendo poteram, vt purgatior acies mentis meæ dirigeretur aliquo modo in veritatem tuam semper manentem, & ex nullo deficientem. Sed sicut euenire assolet, vt malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere; ita erat valetudo animæ meæ, quæ vtique nisi credendo sanari non poterat. Et ne falsa crederet, curari recusabat: resistens manibus tuis, qui medicamenta fidei confecisti, & aspersisti super morbos orbis terrarum, & tantam illis autoritatem tribuisti.

CAPVT V.

De sacrorum librorum authoritate, & necessario vsu.

1 EX hoc tamen quoque iam præponẽs doctrinam Catholicam, modestius ibi minimeque fallaciter sentiebam iuberi, vt crederetur, quod non demonstrabatur, siue esset quid, sed cui fortè non esset, siue nec quid esset, quàm illic temeraria pollicitatione scientiæ credulitatem irrideri, & postea tam multa fabulosissima & absurdissima, quia demonstrari nõ poterãt, credẽda imperari. Deinde paulatim tu Domine, manu mitissima & misericordissima pertractans & componens cor meum, consideranti quàm innumerabilia crederem, quæ nõ viderem, neque cùm gererentur, affuissem, sicut tam multa in historia gentiũ, tam multa de locis atque vrbibus, quæ non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus alijs atque alijs, quæ nisi crederentur, omninò in hac vita nihil ageremus. Postremò, quàm inconcussa fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem; quod scire non possem, nisi audiẽdo credidissem.

2. Persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus autoritate fundasti, sed qui non crederent esse culpandos, nec audiendos

esse,

esse, si qui fortè mihi dicerent: Vnde scis illos libros vnius veri & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? Idipsum enim maximè credendum erat, quoniam nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum per tam multa, quæ legeram, inter se confligentium philosophorum extorquere mihi potuit, vt aliquando non crederem te esse, quicquid esses, quod ego nescirē, aut administrationem rerum humanarum ad te pertinere. Sed id credebam aliquando robustius, aliquando exilius, semper tamen credidi, & esse te, & curam nostri gerere; etiamsi ignorabam, vel quid sentiendū esset de substantia tua, vel quæ via duceret aut reduceret ad te.

3. Ideoque, cùm essemus infirmi ad inueniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset autoritate sanctarum literarum, iam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes iam terras autoritatem: nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses. Iam enim absurditatem, quæ me in illis literis solebat offendere, cùm multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad sacramentorum altitudinem re-

ferebam;eoque mihi illa venerabilior,& sacrosancta fide dignior apparebat autoritas,quo & omnibus ad legendum esset in promptu,& secreti sui dignitatem in intellectu profundiore seruaret, verbis apertissimis & humillimo genere loquēdi se cunctis præbens;& exercens intentionem eorum,qui non sunt leues corde: vt exciperet omnes populari sinu, & per angusta foramina paucos ad te traijceret,multò tamen plures,quàm si nec tanto apice autoritatis emineret,nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret.Cogitabam hæc, & aderas mihi :Suspirabam,& audiebas me:Fluctuabam,& gubernabas me : Ibam per viam seculi latam, nec deserebas me.

Matth.7.

CAPVT VI.

De miseria ambitiosorum , adducto exemplo mendici lætantis.

1 INhiabam honoribus , lucris, coniugio,& tu irridebas.Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates , te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere,quod non eras tu. Vide cor meum Domine,qui voluisti,vt hoc recordarer , & confiterer tibi. Nunc tibi inhæreat anima mea,quam de visco

tam

tam tenaci mortis exuisti. Quàm misera erat, & sensum vulneris sui tu pungebas; vt relictis omnibus conuerteretur ad te, qui es super omnia, & sine quo nulla essent omnia, conuerteretur & sanaretur. Quàm ergo miser erã; & quomodo egisti, vt sentirem miseriam meam die illo, quo cùm pararẽ recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, & mentienti faueretur ab scientibus, easq; curas anhelaret cor meũ & cogitationũ tabificarum febribus æstuaret; transiens per quendam vicũ Mediolanensem, animaduerti pauperem mendicum, iam credo saturum, iocantem atq; lætantem: & ingemui, & locutus sum cum amicis, qui mecum erant, multos dolores insaniarum nostrarum, quia omnibus talibus conatibus nostris, qualibus tunc laborabam, sub stimulis cupiditatum trahens infelicitatis meæ sarcinam, & trahendo exaggerans, nihil vellemus aliud nisi ad securam lætitiam peruenire, quo nos mendicus ille iam præcessisset, nunquam illuc fortasse venturos: Quod enim iam ille pauculis, & emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnosis anfractibus & circuitibus ambiebam, ad lætitiam scilicet temporalis fœlicitatis.

2.Non enim verũ gaudium habebat, ſed & ego illis ambitionibus multò falſius quærebam.Et certè ille lætabatur, ego anxius eram:ſecurus ille, ego trepidus.Et ſi quiſquam percunctaretur me, vtrum mallem exultare an metuere, reſponderem exultare. Rurſus, ſi interrogarer, vtrum me talem mallem, qualis ille, an qualis ego tunc eſſem, meipſum curis, timoribuſque confectum eligerẽ, ſed peruerſitate, nunquid veritate? Neq; enim eò me præponere illi debebã, quò doctior eram, quoniam non inde gaudebam, ſed placere inde quærebam hominibus;non vt eos docerem, ſed tantùm vt placerem. Propterea & tu baculo diſciplinæ tuæ confringebas oſſa mea. Recedant ergo ab anima mea, qui dicunt ei:intereſt, vnde quis gaudeat.

3.Gaudebat mendicus ille vinolentia, tu gaudere cupiebas gloria. Qua gloria Domine? quæ non eſt in te. Nam ſicut verum gaudium illud non erat, ita nec illa vera gloria:& ampliùs euertebat mẽtem meam.Et ille ipſa nocte digeſturus erat ebrietatem ſuam, ego autem cum mea dormieram & ſurrexerã, & dormiturus & ſurrecturus eram. Vide quot diebus. Intereſt verò, vnde quis gaudeat:

Scio,

Scio;& gaudium ſpei fidelis incomparabiliter diſtat ab illa vanitate, ſed & tunc diſtabat inter nos. Nimirum quippe ille fœlicior erat, non tantùm quòd hilaritate perfundebatur, cùm ego curis euiſcerarer, verùm etiam, quòd ille benè potãdo acquiſiuerat vinum, ego autem mẽtiendo quærebam typhum. Dixi tunc multa in hac ſentẽtia charis meis, & ſæpe aduertebam in his, quomodo mihi eſſet, & inueniebam malè mihi eſſe, & dolebam & conduplicabam ipſum malè. Et ſi quid arriſiſſet proſperum, tædebat apprehendere, quia penè, priuſquam teneretur, auolabat.

CAPVT VII.

Alipium à Circenſiũ inſania cõuertit.

1 CONgemiſcebamus in his, qui ſimul amicè viuebamus, & maximè ac familiariſſimè cum Alipio & Nebridio iſta colloquebar; quorum Alipius ex eodem erat, quo ego, ortus municipio, parentibus primatibus municipalibus, me minor natu. Nam & ſtuduerat apud me, cùm in noſtro docere cœpi oppido, & poſteà Carthagine; Et diligebat me multum, quòd ei bonus & doctus viderer; & ego illum propter magnam virtutis indolẽ, quæ in nõ magna ætate ſatis eminebat.

nebat. Gurges tamen morum Carthaginensium, quibus nugatoria feruent spectacula, absorbuerat eum in insaniã Circensium. Sed cum in eo miserabiliter volueretur, ego autem rethoricam ibi professus, publica schola vterer, nondum me audiebat vt magistrũ, propter quandam simultatem, quę inter me & patrem eius erat exorta; & compereram, quòd Circum exitiabiliter amaret; & grauiter angebar, quòd tantam spem perditurus, vel etiam perdidisse mihi videbatur. Sed monendi eum, & aliqua coërcitione reuocandi nulla erat copia, vel amicitiæ beneuolentia, vel iure magisterij. Putabam enim eum de me cum patre sentire, ille verò non sic erat. Itaq; postposita in hac re patris voluntate, salutare me cœperat, veniens in auditorium meum, & audire aliquid atq; abire. Sic enim de memoria mihi lapsum erat agere cũ illo: ne vanorum ludorum * cæco & præcipiti studio tam bonum interimeret ingeniũ.

al. cæno.

2. Verùm autem Domine, tu qui præsides gubernaculis omnium, quæ creasti, nõ eum oblitus eras futurum inter filios tuos antistitem sacramenti tui. Et vt apertè tibi tribueretur eius correctio, per me quidem illam, sed nescientem operatus

tus

tus es. Nam quodam die cùm sederem loco solito, & coram me adessent discipuli, venit, salutauit, sedit; atque in ea, quæ agebantur, animũ intendit. Et fortè lectio in manibus erat, quam dum exponerem, opportunè mihi videbatur adhibenda similitudo Circensium; quo illud, quod insinuabam, & iucundius & planius fieret, cum irrisione mordaci eorum, quos illa captiuasset insania. Tu scis Deus noster, quòd tunc de Alipio ab illa peste sanando non cogitauerim. At ille in se rapuit, meq; illud nõ nisi propter se dixisse credidit. Et quod alius acciperet ad succensendum mihi, accepit honestus adolescens ad succensendum sibi, & ad me ardentiùs diligendum. Dixeras enim tu iam olim, & innexueras literis tuis: Corripe sapientem, & amabit te. Prou. 9.

3. At ego illum iam non corripueram: Sed vteris tu omnibus & scientibus & nescientibus, ordine quo nosti, & ille ordo iustus est. De corde & lingua mea carbones ardentes operatus es, quibus mentem spei bonæ adureres tabescentem, ac sanares. Taceat laudes tuas, qui miserationes tuas non considerat, quæ tibi de medullis meis confitentur. Etenim ille post illa verba proripuit se ex fouea tam

alta,

alta, qua libenter demergebatur, & cum miserabili voluptate cęcabatur: & excussit animum forti temperãtia, & resiluerũt omnes Circensium sordes ab eo, ampliusque illuc non accessit. Deinde patrem reluctãtem euicit, vt me magistro vteretur. Cessit ille, atque concessit. Et audire me rursus incipiens, illa mecum superstitione inuolutus est amans in Manichæis ostentationem continentię, quam veram & germanam putabat. Erat autem illa vecors & seductoria, prẽciosas animas captans, nondum virtutis altitudinem scientes tangere, & superficie decipi faciles, sed tamen adumbratæ simulatæque virtutis.

CAPVT VIII.

Alipius capitur insania ludorum gladiatoriorum, à quibus antea abhorruerat.

1 NOn sanè relinquens incantatam sibi à parentibus terrenam viam, Romam præcesserat, vt ius disceret, & ibi gladiatorij spectaculi hiatu incredibili & incredibiliter abreptus est. Cùm enim auersaretur & detestaretur talia, quidã eius amici & condiscipuli, cũ fortè de prandio redeuntibus peruiũ obuius esset, recusantem vehementer & resistẽ-

tem familiari violentia duxerunt in amphitheatrum crudelium & funestorum ludorum diebus, hæc dicentem: Si corpus meum in illum locum trahitis, & ibi constituitis, nunquid & animum & oculos meos in illa spectacula potestis intẽdere? Adero itaq; absens, ac sic & vos & illa superabo. Quibus auditis, illi nihilo segnius eum adduxerũt secum, idipsum fortè explorare cupientes, vtrum posset efficere. Quò vbi ventum est, & sedibus, quibus potuerunt, locati sunt; feruebant omnia immanissimis voluptatibus.

2. Ille autem clausis foribus oculorũ, interdixit animo, ne in tanta mala procederet, atque vtinam & aures obturauisset. Nam quodam pugnæ casu, cùm clamor ingens totius populi vehementer eum pulsasset, curiositate victus, & quasi paratus quicquid illud esset, etiam visu cõtẽnere & vincere, aperuit oculos; & percussus est grauiore vulnere in anima, quã ille in corpore, quẽ cernere cõcupiuit, ceciditque miserabilius, quàm ille, quo cadente, factus est clamor; qui per eius aures intrauit, & reserauit eius lumina, vt esset, qua feriretur & deijceretur, audax adhuc potiùs, quàm fortis animus, & eo infirmior, quo de se præsum pse-

sūpſerat, qui debuit de te. Vt enim vidit illum ſanguinem, immanitatem ſimul ebibit; & non ſe auertit, ſed fixit aſpectū; & hauriebat furi is, & neſciebat; & delectabatur ſcelere certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur. Et non erat iam ille, qui venerat; ſed vnus de turba, ad quam venerat; & verus eorum ſocius, à quibus adductus erat. Quid plura? Spectauit, clamauit, exarſit; abſtulit inde ſecum inſaniam, qua ſtimularetur redire; non tantùm cum illis, à quibus prius abſtractus eſt, ſed etiam præ illis & alios trahens. Et inde tamē manu validiſſima & miſericordiſſima eruiſti eum tu; & docuiſti eum non ſui habere, ſed tui; ſed longè poſtea.

CAPVT IX.

Alipius vt fur apprehenditur.

1 VEruntamē iam hoc ad medicinam futurā in eius memoria reponebatur. Nam & illud, quòd cùm adhuc ſtuderet, iam me audiens apud Carthaginem, & medio die cogitaret in foro, quod recitaturus erat, ſicuti exerceri ſcholaſtici ſolent, ſiuiſti eum comprehendi ab æditujs fori, tanquam furem. Non arbitror aliam ob cauſam te permiſiſſe

misisse Deus noster, nisi vt ille vir tantus futurus, iam inciperet discere, quàm non facilè in cognoscendis causis homo ab homine damnandus esset temeraria credulitate. Quippe ante tribunal deambulabat solus cum tabulis ac stylo, cùm ecce adolescens quidam ex numero scholasticorum fur verus, securim clanculo apportans, illo non sentiente, ingressus est ad cancellos plumbeos, qui vico argentario desuper præminent, & præcidere plumbum cœpit. Sono autem securis audito, submurmurauerunt argentarij, qui subter erant, & miserunt, qui apprehenderent, quem fortè inuenissent. Quorum vocibus auditis, relicto instrumento ille discessit, timens, ne cum eo teneretur.

2. Alipius autem, qui non viderat intrantem, exeuntem sensit, & celeriter vidit abeuntem. Et causam scire cupiens, ingressus est locum, & inuẽtam securim stans atque admirans considerabat. Cùm ecce illi, qui missi erant, reperiunt eum solum ferentem ferrum, cuius sonitu excitati venerant. Tenent, attrahunt, congregatis inquilinis fori, tanquam furem manifestum se comprehendisse gratulabantur, & inde offerendus iudici ducebatur.

batur. Sed hactenus docendus fuit. Statim enim Domine subuenisti innocentiæ, cuius testis eras tu solus. Cùm enim duceretur, vel ad custodiam, vel ad supplicium, fit eis obuiam quidam architectus, cuius maxima erat cura publicarum fabricarum. Gaudent illi eum potissimũ occurrisse, cui solebant in suspicionem venire ablatarum rerum, quæ perissent de foro; vt quasi tandem iam ille cognosceret, à quibus hæc fierent.

3. Verùm autem viderat homo sæpè Alipium in domo cuiusdam Senatoris, ad quem salutandum ventitabat. Statimque cognitum manu apprehensa semouit à turbis, & tanti mali causam quærens, quid gestum esset, audiuit. Omnesque tumultuantes, qui aderant, & minaciter frementes iussit venire secũ. Et venerunt ad domum illius adolescẽtis, qui rem commiserat. Puer verò erat ante ostium, & tam paruus erat, vt nihil exinde Domino suo metuens, facilè posset totum indicare. Cum eo quippe in foro fuit pedissequus. Quem posteaquam recoluit Alipius, architecto intimauit. At ille securim demonstrauit puero, quærẽs ab eo, cuius esset. Qui confestim: nostra inquit. Deinde interrogatus, aperuit

cætera,

cætera. Sic in illam domum translata causa, confusisque turbis, quæ de illo triumphare iam cœperant, futurus dispensator verbi tui, & multarum in ecclesia tua causarum examinator, experientior instructiorque discessit.

CAPVT X.

De integritate Alipij & aduentu Nebridij.

1 HVnc ergo Romæ inueneram, & adhæsit mihi fortissimo vinculo, mecumq; Mediolanum profectus est, vt nec me desereret; & de iure, quod didicerat, aliquid ageret, secundùm votum parētū magis quàm suum. Et inter hæc iā assederat mirabili continentia cæteris, cùm ille magis miraretur eos, qui aurum innocentiæ præponerent. Tentata est quoque eius indoles, non solū illecebra cupiditatis, sed etiā stimulo timoris. Romę assidebat Comiti largitionū Italicarum.

2. Erat eo tempore quidam potentissimus senator, cuius & beneficijs obstricti multi, & terrori subditi erant. Voluit sibi licere nescio quid ex more potentiæ suæ, quod esset per leges illicitum. Restitit Alipius, promissum est præmium, irrisit animo: Prætentæ minæ, calcauit, mirantibus omnibus inusitatam animā,

quæ

quæ hominem tantum & innumerabilibus præſtandi nocendique modis ingenti fama celebratum, vel amicum non optaret, vel non formidaret inimicum. Ipſe autem Iudex, cui conſiliarius erat, quamuis & ipſe fieri nollet, non tamen apertè recuſabat, ſed in iſtum cauſam transferens, ab eo ſe nō permitti aſſerebat, quia reuera ſi ipſe faceret, iſte diſcederet. Hoc ſolo autem penè iam illectus erat ſtudio literario, vt pretijs prætorianis codices ſibi conficiendos curaret. Sed conſulta iuſtitia, deliberationem in melius inuertit; vtiliorem iudicans æquitatem, qua prohibebatur; quàm poteſtatem, qua ſinebatur. Paruum eſt hoc; Sed qui in paruo fidelis eſt, & in magno fidelis eſt. Nec vllo modo erit inane, quod de tuæ veritatis ore proceſſit. Si in iniuſto mãmona fideles non fuiſtis, quod verum eſt, quis credet vobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? Talis ille tunc inhærebat mihi, mecumque nutabat in conſilio, quiſnam eſſet tenendus vitæ modus.

Luc. 16. *Ibidem.*

3. Nebridius etiam, qui relicta patria vicina Carthagini atque ipſa Carthagine, vbi frequentiſſimus erat, relicto rure paterno optimo, relicta domo, & non

ſecura

*ſecura matre, nullam ob aliam cauſam Mediolanum venerat, niſi vt mecum viueret in flagrantiſſimo ſtudio veritatis atque ſapientiæ; pariter ſuſpirabat, pariterque fluctuabat, beatæ vitæ inquiſitor ardens, & quæſtionum difficillimarum ſcrutator acerrimus. Et erant ora trium egentium, & inopiam ſuam ſibimet inuicem anhelantium, & à te expectãtiũ, vt dares eis eſcam in tempore opportuno: & in omni amaritudine, quæ noſtros ſeculares actus de miſericordia tua ſequebatur, intuentibus nobis finem, cur ea pateremur, occurrebant tenebræ, & auerſabamur gementes, & dicebamus: Quamdiu hæc? Et hoc crebro dicebam⁹; & dicentes non relinquebamus ea, quia non elucebat certum aliquid, quod illis relictis apprehenderemus.

al. ſecura.

Pſal. 144.

CAPVT XI.

Deliberat Auguſtinus de inſtituenda vita.

1 ET ego maximè mirabar ſatagens & recolens, quàm longum tempus eſſet ab vndeviceſimo anno ætatis meę, quo feruere cœperam ſtudio ſapientiæ: diſponens ea inuenta, relinquere omnes vanarum cupiditatum ſpes inanes,

nes & insanias mendaces. Et ecce iam tricenariam ætatem gerebam, in eodem luto hæsitans auiditate fruendi præsentibus, fugientibus & dissipātibus me, dum dico: Cras inueniam; ecce manifestum apparebit, & tenebo: & ecce Faust⁹ veniet, & exponet omnia. O magni viri Academici, nihil ad agendam vitam certi comprehendi potest. Imò quæramus diligentius, & non desperemus. Ecce iam non sunt absurda in libris ecclesiasticis, quæ absurda videbantur, & possunt aliter atque honestè intelligi. Figā pedes in eo gradu, in quo puer à parentibus positus eram, donec inueniatur perspicua veritas.

2. Sed vbi quæretur? quando quæretur? Non vacat Ambrosio, non vacat legere. Vbi ipsos codices quærimus? Vnde aut quando comparamus, à quibus sumim⁹? Deputentur tēpora, distribuantur horæ pro salute animæ. Magna spes oborta est. Nō docet Catholica fides, quod putabamus, & vani accusabamus. Nefas habēt docti eius, credere Deū figura humani corporis terminatum, & dubitam⁹ pulsare, quò aperiantur cetera? Antemeridianas horas discipuli occupant, cæteris quid facimus? Cur nō id agim⁹? Sed

quando

quando salutamus amicos maiores, quorum suffragijs opus habemus? Quando præparamus, quod emant scholastici? Quando reparamus nosipsos, animum relaxando ab intentione curarum? Pereant omnia, & dimittamus hæc vana & inania; conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. Vita hæc misera est, mors incerta. Si subitò obrepat: quomodo hinc exibimus? Et vbi nobis discenda sunt, quæ hic neglexímus? ac non potiùs huius negligentiæ supplicia luenda sunt? Quid si mors ipsa omnem curam cum sensu amputabit, & finietur? Ergo & hoc quærendum. Sed absit, vt ita sit. Non vacat, nõ est inane, quod tam eminens culmen autoritatis Christianæ fidei toto orbe diffunditur. Nunquam tanta & talia pro nobis diuinitus agerẽtur, si morte corporis etiam vita animæ consumeretur. Quid cunctamur igitur, relicta spe seculi, conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam?

3. Sed expecta, iucũda sunt etiam ista, habẽt non paruam dulcedinẽ suam. Nõ facilè ab eis præcidẽda est intentio, quia turpe est ad ea rursũ redire. Ecce iã quãtum est, vt impetretur aliquis honor: Et quid ampli⁹ in his desiderãdũ? Suppetit

amicorum maiorum copia, vt nihil aliud, & multum festinemus, vel præsidatus dari potest, & ducenda vxor cum aliqua pecunia, ne sumptum nostrum grauet: & ille erit modus cupiditatis. Multi magni viri & imitatione dignissimi sapientiæ studio cum coniugibus dediti fuerunt.

4. Cùm hæc dicebam, & alternabant hi venti, & impellebant huc atque illuc cor meum, transibant tempora, & tardabam conuerti ad Dominum Deum, & differebam de die in diem viuere in te, & non differebam quotidie in memetipso mori. Amans beatam vitam, timebã illam in sede sua, & ab ea fugiens, quærebam eam. Putabam enim me miserum fore nimis, si feminæ priuarer amplexibus: & medicinam misericordiæ tuæ, ad eandem infirmitatem sanandam, non cogitabam; quia expertus non eram, & propriarum virium credebam esse continentiam. Quarum mihi non eram cõscius, cùm tã stultus essem, vt nescirem, sicut scriptum est: Neminem esse posse
Sap. 8. continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te iactarem curam meam.

CAPVT.

CAPVT XII.

Contentio inter Alipium & Augustinum, de matrimonio & cœlibatu.

1 PRohibebat me sanè Alipius ab vxore ducenda, causans nullo modo nos posse securo ocio simul in amore sapiētiæ viuere, sicut iamdiu desideraueram, si id fecissem. Erat enim ipse in ea re etiā tunc castissimus, ita vt mirum esset: quia vel experientiam concubitus cœperat in ingressu adolescentiæ suæ, sed non hæserat, magisque doluerat, & spreuerat; & deinde iam continentissimè viuebat. Ego autem resistebam illi exemplis eorū, qui coniugati coluissent sapientiam, & promeruissent Deum, & habuissent fideliter, ac dilexissent amicos. A quorum ego quidem granditate animi longè aberā, & * delectatus morbo carnis, & mortifera suauitate trahebam catenam meā, solui timens: & quasi concusso vulnere repellens verba bene suadentis, tanquam manum soluentis. al. delicatus.

2. Insuper etiam per me ipse quoque Alipio loquebatur serpens: & innectebat atque spargebat per linguam meam dulces laqueos in via eius, quibus illi honesti & expediti pedes implicarentur. Cùm enim me ille miraretur, quem

non paruipenderet, ita hærere visco illius voluptatis, vt me affirmarem, quotiescunque inde inter nos quæreremus, cœlibem vitam nullo modo posse degere, atque ita me defenderem, cùm illum mirantem viderem, vt dicerem multum interesse inter illud, quod ipse raptim & furtim expertus esset, quod penè iã nec meminisset quidem, atque ideò nulla molestia facilè contemneret delectationes consuetudinis meæ: ad quas si accessisset honestum nomen matrimonij, nõ eum mirari oportere; cur ego illam vitam nequirem spernere. Cœperat & ipse desiderare coniugium, nequaquam victus libidine talis voluptatis, sed curiositatis. Dicebat enim, scire se cupere, quidnam esset illud, sine quo vita mea, quæ illi sic placebat, non mihi vita, sed pœna videretur.

3. Stupebat enim liber ab illo vinculo animus seruitutem meam, & stupendo ibat in experiendi cupidinem, venturus in ipsam experientiam, atque inde fortasse lapsurus in eã, quam stupebat seruitutem, quoniam sponsionem volebat facere cũ morte. Et, qui amat periculũ, incidet in illud. Neutrũ enim nostrũ, si
Eccli. 6. quod est cõiugale decus, in officio regendi

gendi matrimonij. & ſuſcipiendorum liberorum ducebat, niſi tenuiter. Magna autem ex parte atque vehementer conſuetudo ſatiandæ inſatiabilis concupiſcentiæ me captum excruciabat, illũ autem admiratio capiendum trahebat. Sic eramus, donec tu altiſſime non deſerens humum noſtram, miſeratus miſeros, ſubuenires miris & occultis modis.

CAPVT XIII.

Vxor quæritur Auguſtino.

1. ET inſtabatur impigrè, vt ducerem vxorem. Iam petebam, iam promittebatur, maximè matre dante operam: quò me iam coniugatum baptiſmus ſalutaris ablueret, quo me in dies gaudebat aptari, & vota ſua ac promiſſa tua in mea fide compleri animaduertebat. Cũ ſanè & rogatu meo & deſiderio ſuo, forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, vt ei per viſum oſtenderes aliquid de futuro matrimonio meo, nunquam voluiſti.

2. Et videbat quædam vana & phantaſtica, quo cogebat impetus de hac re ſatagentis humani ſpiritus; & narrabat mihi, non cum fiducia, qua ſolebat, cùm tu demonſtrabas ei, ſed contemnens ea. Dicebat enim diſcerne-

re se nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat; quid interesset inter reuelantem te, & animam suam somniātem. Instabatur tamen, & puella petebatur; cuius ætas fermè biennio minor, quàm nubilis erat. Et quia ea placebat, expectabatur.

CAPVT XIV.

Vita communis.

al. multa. 1 ET* multi amici agitaueramus animo; & colloquentes ac detestantes turbulentas humanæ vitæ molestias penè iam firmaueramus remoti à turbis otiosè viuere, id otium sic moliti, vt si quid habere possemus, conferremus in medium, vnamque rem familiarem cōflaremus ex omnibus; vt per amicitiæ synceritatem non esset aliud huius, & aliud illius, sed quòd ex cunctis fieret vnum, & vniuersum singulorum esset, & omnia omnium: cùm videremur nobis esse posse decem fermè homines in eadem societate, essentque inter nos prædiuites. Romanianus maximè communiceps noster, quem tunc graues æstus negotiorum suorum ad comitatum attraxerant, ab ineunte ætate mihi familiarissimus. Qui maximè in-

stabat

ſtabat huic rei, & magnam in ſuadendo habebat autoritatem, quòd ampla res eius multum cæteris anteibat.

2. Et placuerat nobis, vt bini annui tanquam magiſtratus omnia neceſſaria curarent, cæteris quietis. Sed poſteaquàm cœpit cogitari, vtrum hoc mulierculę ſinerent, quas & alij noſtrûm iam habebant, & nos habere volebamus, totum illud placitum, quod bene formabamus, diſſiluit in manibus, atque confractum & abiectum eſt. Inde ad ſuſpiria & gemitus & greſſus ac ſequendas latas & tritas vias ſeculi, quoniam multæ cogitationes erant in corde noſtro, conſiliū autem tuum manet in æternum. Ex quo conſilio deridebas noſtra, & tua pręparabas; nobis daturus eſcam in opportunitate, & aperturus manum tuam, atque impleturus animas noſtras benedictione.

Matt. 7. Pſal. 32. Pſal. 144.

CAPVT XV.

In locum diſcedentis concubinæ alia ſuccedit.

1 INterea peccata mea multiplicabantur, & auulſa à latere meo tamquam impedimento coniugij, cum qua cubare ſolitus eram, cor vbi adhærebat,

concisum & vulneratum mihi erat, & trahebat sanguinem. Et illa in Africam redierat, vouens tibi alium se virum nescituram, relicto apud me naturali ex illa filio meo. At ego infelix, nec feminæ imitator, dilationis impatiens, tanquã post biennium accepturus eã, quam petebam; quia non amator coniugij, sed libidinis seruus eram, procuraui aliam, non vtique coniugem: qua tanquam sustentaretur & perduceretur, vel integer, vel auctior morbus animæ meæ satellitio perdurantis consuetudinis in regnũ vxorium. Nec sanabatur vulnus illud meum, quod prioris præcisione factum fuerat; sed post feruorem, doloremque acerrimum putrescebat; & quasi frigidius, sed desperatius dolebat.

CAPVT XVI.

De immortalitate animæ.

1 TIbi laus, tibi gloria, fons misericordiarum. Ego fiebam miserior, & tu propinquior. Aderat iam iamque dextera tua, ereptura me de cœno, & ablutura, & ignorabam. Nec me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis & futuri iudicij tui; qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore

meo. Et disputabam cum amicis meis Alipio & Nebridio, de finibus bonorum & malorum, Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.

2. Et quærebam, si essemus immortales, & in perpetua corporis voluptate, sine vllo amissionis terrore viuerem⁹; cur non essemus beati, aut quid aliud quæremus? Nesciens idipsum ad magnā miseriam pertinere, quod ita demersus & cœcus cogitare non possem lumē honestatis, & gratis amplectendæ pulchritudinis, quam non videt oculus carnis, & videtur ex intimo. Nec considerabam miser, ex qua vena mihi manaret, quòd ista ipsa, fœda tamen, cū amicis dulciter conferebam, nec esse sine amicis pōterā beatus, etiam secundùm sententiam, quam tunc habebam in quantalibet affluentia carnaliū voluptatum. Quos vtique amicos gratis diligebam, vicissimq; ab eis me diligi gratis sentiebam.

3. O tortuosas vias! Væ animę audaci, quę sperauit, si à te recessisset, se aliquid meli⁹ habiturā. Versa & reuersa in tergū, & in latera, & in vētrē, & dura sunt om-

nia. Et tu solus requies. Et ecce ades; & liberas à miserabilibus erroribus, & cõstituis nos in via tua, & consolaris, & dicis: Currite, ego feram, & ego perducam, & ibi ego feram.

DIVI AVRELII
Augustini Confessionum Liber Septimus.
CAPVT I.

Quòd imaginibus corporeis reiectis, Deum cœpit agnoscere incorporeum.

IAm mortua erat adolescentia mea mala & nefanda, & ibam in iuuentutem: quantò ætate maior, tantò vanitate turpior; qui cogitare aliquid substãtiæ nisi tale non poteram, quale per hos oculos videri solet. Non te cogitabam Deus in figura corporis humani, ex quo audire aliquid de sapiẽtia cœpi, sẽper hoc fugi; & gaudebã me hoc reperisse in fide spiritualis matris nostræ Catholicæ tuę. Sed quid te aliud cogitarem, non occurrebat. Et conabar cogitare te homo, & talis homo, summum & solum & verum Deum: & te incorruptibilem, & inuiolabilem, & incommuta-

mutabilem, totis medullis credebā, quia nesciens vnde & quomodo, planè tamen videbā, & certus eram, id quod corrūpi potest, deterius esse, quàm id, quod non potest: & quod violari non potest, incūctanter præponebam violabili; & quod nullam patitur mutationem, melius esse, quàm id, quod mutari potest.

2. Clamabat violenter cor meum aduersus omnia phantasmata mea, & hoc vno ictu conabar abigere circumuolantem turbam immunditiæ ab acie mentis meæ: & vix dimota in ictu oculi, ecce conglobata rursus aderat, & irruebat in aspectum meum, & obnubilabat eum: vt quamuis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer per spacia locorum, siue infusum mundo, siue etiam extra mundum per infinita diffusum; etiam ipsum incorruptibile & inuiolabile & incommutabile, quod corruptibili & violabili & commutabili præponebam. Quoniam quicquid priuabam spacijs talibus, nihil mihi esse videbatur. Sed prorsus nihil, ne inane quidem; tanquam si corpus auferatur loco, & maneat locus omni corpore vacuatus, & terreno & humido, & aëreo & cœlesti; sed tamen

ſit locus inanis, tamquam ſpacioſum nihil.

3. Ego itaque incraſſatus corde, nec mihimetipſi vel ipſe cōſpicuus, quicquid non per aliquanta ſpacia tenderetur, vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret, vel tale aliquid caperet aut capere poſſet, nihil proſus eſſe arbitrabar: Per quales enim formas ire ſolēt oculi mei, per tales imagines ibat cor meū: nec videbam hanc eandē intentionem, qua illas ipſas imagines formabam nō eſſe tale aliquid; quæ tamē ipſas non formaret, niſi eſſe magnū aliquid. Ita etiam te vita vitæ meæ grandē per infinita ſpacia vndiq; cogitabam penetrare totā mundi molem; & extra eam quaquauerſum, per immenſa ſine termino, vt haberet te terra, haberet cœlū, haberent omnia, & illa finirentur in te, t i autem nuſquam.

4. Sicut autem luci ſolis nō obſiſteret corpus aëris huius, qui ſupra terram eſt, quò minùs per eum traijceretur, penetrans eum, non dirumpendo aut concidendo, ſed implendo eum totum; ſic tibi putabā non ſolùm cœli & aëris & maris, ſed etiam terræ corpus peruiū, & ex omnibus maximis minimiſque partibus penetrabile, ad capiendam præſentiam tuam;

tuam;occulta inſpiratione intrinſecus &
extrinſecus,adminiſtrantem omnia,quę
creaſti.Ita ſuſpicabar, quia cogitare a-
liud non poteram,nam falſum erat. illo
enim modo maior pars terræ maiorem
tui partem haberet,& minorem minor,
atque ita te plena eſſent omnia :vt am-
plius tui caperet elephanti corpus,quàm
paſſeris,quò eſſet iſto grandius grādio-
remque occuparet locum,atque ita fru-
ſtatim partibus mundi,magnis magnas,
breuibus breues partes tuas præſentes
faceres.Non es autem ita. Sed nondum
illuminaueras tenebras meas.

CAPVT II.

Nebridius confutat Manichæos.

1 SAt erat mihi Domine aduerſus dece-
ptos illos & deceptores & loquaces
mutos,quoniam non ex eis ſonabat ver-
bum tuum:ſat erat ergo illud,quod iam-
diu ab vſque Carthagine à Nebridio
proponi ſolebat, & omnes,qui audiera-
mus,concuſſi ſumus. Quid erat tibi fa-
ctura neſcio quæ gens tenebrarum,quā
ex aduerſa mole ſolent opponere, ſi tu
cum ea pugnare voluiſſes? Si enim re-
ſponderetur, aliquid fuiſſe nocituram,
violabilis tu & corruptibilis fores.

Si autem nihil ea nocere potuisse diceretur, nulla afferretur causa pugnandi; & ita pugnandi, vt quædam portio tua & membrum tuum, vel proles de ipsa substantia tua misceretur aduersis potestatibus; & non à te creatis naturis, atque in tantum ab eis corrumperetur & commutaretur in deterius, vt à beatitudine in miseriam verteretur; & indigeret auxilio, quo erui purgarique posset: & hanc esse animam, cui tuus sermo seruienti liber, & contaminatæ purus, & corruptæ integer subueniret; sed & ipse corruptibilis, quia ex vna eademque substantia.

2. Itaque, si te, quicquid es, id est, substantiam tuam quasi incorruptibilem dicerent, falsa esse illa omnia & execrabilia. Si autem corruptibilem, idipsum iā falsum, & prima voce abominandum. Sat ergo erat istud aduersus eos omnino euomendos à pressura pectoris; quia nō habebant, quà exirent sine horribili sacrilegio cordis & linguæ, sentiendo de te ista, & loquendo.

CAPVT III.

Liberum arbitrium causa peccati.

1 SEd & ego adhuc, quamuis incontaminabilem, & inconuertibilem, & nulla-

nulla ex parte mutabilem dicerem; firmeque sentirem Dominum nostrũ Deũ verum, qui fecisti non solùm animas nostras, sed etiam corpora; nec tantùm animas nostras & corpora, sed omnes & omnia, non tenebam explicatam & enodatam causam mali. Quæcunque tamen esset, sic eam quærendam videbam, vt nõ per illam constringerer Deum incõmutabilem, mutabilem credere, ne ipse fierem, quod quærebam. Itaque securus eam quærebam, & certus non esse verũ, quod illi dicerent, quos toto animo fugiebam; quia videbam quærendo vnde malum, repletos malitia; qua opinarẽtur tuã potiùs substantiam etiam malè pati, quàm suam malefacere. Et intendebam, vt cernerem, quod audiebam, liberum voluntatis arbitrium causam esse, vt malè faceremus; & rectum iudicium tuum, vt pateremur, & eam liquidè cernere nõ valebam.

2. Itaq; aciem mẽtis de profundo educere conatus, mergebar iterũ; & sæpe conatus, mergebar iterũ atque iterum. Sublevabant enim me in lucem tuã, quod iã tam sciebam me habere voluntatẽ, quã me viuere. Itaq; cùm aliquid vellem aut nollem, nõ aliud quàm me velle ac nolle cer-

le certiſſimus eram, & ibi eſſe cauſam peccati mei iam iamque animaduertebam. Quod autem inuitus facerem, pati me potiùs quàm facere videbam, id nō culpam, ſed pœnam eſſe iudicabam, qua me non iniuſtè plecti, te iuſtum cogitans, citò fatebar.

3. Sed rurſus dicebam: Quis fecit me? Nonne Deus meus, non tantùm bonus ſed ipſum bonū? Vnde igitur mihi malè velle & benè nolle, vt eſſet, cur iuſtè pœnas luerem? Quis in me hoc poſuit, & inſeruit mihi plantarium amaritudinis, cùm totus fierē à dulciſſimo Deo meo? Si diabolus autor, vnde ipſe diabolus? Quòd ſi & ipſe peruerſa voluntate ex bono angelo diabolus factus eſt, vnde & in ipſo voluntas mala, qua diabolus fieret, quando totus angelus à conditore optimo factus eſſet bonus? Et his cogitationibus deprimebar iterum, & ſuffocabar. Sed non vſque ad illum infernum ſubducebar erroris, vbi nemo confitebitur tibi, dum tu potiùs pati, quàm homo mala facere putatur. *Pſal 6.*

CAPVT IV.

Deus cogi non poteſt.

1 SIc enim nitebar cætera inuenire, vt iam inueneram melius eſſe incorruptibile-

ptibile, quàm corruptibile; & ideò te, quicquid esses, esse incorruptibilem cõfitebar. Neque enim vlla anima vnquam potuit, poteritue cogitare aliquid, quod sit te melius, qui summum & optimum bonum es. Cùm autem verissimè atque certissimè incorruptibile corruptibili præponatur, sicut iam ego præponebã, poteram iam cogitatione aliquid attingere, quod esset melius Deo meo, nisi tu esses incorruptibilis. Vbi igitur videbam incorruptibile corruptibili esse præferẽdum, ibi te quærere debebam, atque inde aduertere, vnde sit malum, id est, vnde sit ipsa corruptio, qua violari substantia tua nullo modo potest.

2. Nullo enim prorsus modo violat corruptio Deum nostrum, nulla voluntate, nulla necessitate, nullo improuiso casu, quoniam ipse est Deus, & quod sibi vult, bonum est, & ipse est idem bonũ. Corrumpi autem, non est bonum. Nec cogeris inuitus ad aliquid, quia volũtas tua non est maior potentia tua. Esset aũt maior, si teipso tuipse maior esses. Voluntas enim & potẽtia Dei, Deꝰ ipse est. Et quid improuisum tibi, qui nosti omnia? & nulla natura est, nisi quia nosti eã? Et, vt quid multa dicimꝰ, cur nõ sit corru-

ptibilis

ptibilis substantia, quæ Deus est, quando si hoc esset, non esset Deus?

CAPVT V.

De separatione creatoris à creatura, & de vniuersitate somnium.

1 ET quærebam, vnde malum, & malè quærebam: & in ipsa inquisitione mea non videbam malum, & constituebam in cõspectu spiritus mei vniuersam creaturam, quicquid in ea cernere possumus, sicuti est terra & mare, & aër, & sydera, & arbores, & animalia mortalia, & quicquid in ea non videmus, sicut firmamentum cœli, insuper & omnes angelos, & cuncta spiritualia eius; sed etiam ipsa quasi corpora essent, locis & locis ordinauit imaginatio mea: & feci vnam massam grandem distinctam generibus corporum creaturam tuam, siue quæ reuera corpora erant, siue quæ ipse pro spiritibus finxeram. Et eam feci grandem, non quantum erat, quod scire non poteram, sed quantum libuit, vndique versum sanè finitam. Te autem Domine ex omni parte ambientem & penetrantem eam, sed vsquequaque infinitum: tanquam si mare esset vbique & vndique per immensum infinitum solum mare;

& ha-

&haberet infra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen; plena esset vndique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari: sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam & dicebam: Ecce Deus, & ecce quæ creauit Deus, & bonus est Deus, atque his validissimè longissimeque præstantior; sed tamen bonus bona creauit, & ecce quomodo ambit atque implet ea.

2. Vbi ergo malum, & vnde, & quà huc irrepsit? Quæ radix eius? & quod semen eius? An omnino nō est? Cur ergo timemus & cauemus, quod nō est? Aut si inaniter timemus, certè vel timor ipse malū est, quo incassum stimulatur & excruciatur cor. Et tantò grauius malum, quantò non est, quod timeamus, & timemus. Idcirco autem est malum, quod timemus; aut hoc malum est, quia timemus. Vnde est igitur? Quoniam Deus fecit hæc omnia bonus bona. Maius quidem & summum bonum minora fecit bona: sed tamen & creans & creata, bona sunt omnia. Vnde est malum? Aut vnde fecit ea? Materies aliqua mala erat, & formauit atque ordinauit eam, sed reliquit aliquid in illa, quod in bonum non conuerteret? Cur & hoc? An impotens erat

totam

totam vertere & commutare, vt nihil malè remaneret, cùm sit omnia potens? Postremò, cur inde aliquid facere voluit, ac non potius eadem omnipotētia fecit, vt nulla esset omnino? Aut verò existere poterat contra eius voluntatem? Aut si æterna erat, cur tādiu per infinita retro spacia temporum sic eam siuit esse, ac tanto pòst placuit aliquid ex ea facere?

3. Aut iam si aliquid subitò voluit agere, hoc potiùs ageret omnipotens, vt illa non esset, atque ipse solus esset totū verum & summum & infinitum bonū? Aut si non erat bene, vt non aliquid boni etiam fabricaret & conderet, qui bonus erat, illa sublata & ad nihilum redacta materia, quæ mala erat, bonam ipse institueret, vnde omnia crearet? Non enim esset omnipotens, si condere non posset aliquid boni, nisi ea, quam ipse non condiderat, adiuuaretur materia. Talia voluebam pectore misero, ingrauidato curis mordacissimis de timore mortis: & non inuenta veritate, stabiliter tamen hærebat in corde meo, in catholica ecclesia fides Christi tui & Domini & saluatoris nostri, in multis quidem adhuc informis, & præter doctrinæ normam fluitans, sed tamen non eam relin-

quebat

quebat animus, imò in dies magis magisque imbibebat.

CAPVT VI.

Vanæ Mathematicorum diuinationes.

1 IAm etiam Mathematicorum fallaces diuinationes, & impia deliramenta reieceram. Confiteantur etiam hinc tibi de intimis visceribus animæ meæ, miserationes tuæ Deus meus. Tu enim, tu omnino; nam quis alius à morte omnis erroris reuocat nos, nisi vita, quæ mori nescit; & sapientia, mentes indigentes illuminans, nullo indigens lumine; qua mundus administratur, vsque ad arborum volatica folia? Tu procurasti peruicaciæ meæ, qua obluctatus sum Vẽdiciano acuto seni, & Nebridio adolescenti mirabilis animæ, illi vehementer affirmanti, huic cum dubitatione quidẽ aliqua, sed tamen crebrò dicenti; nõ esse vllam artem futura præuidendi, coniecturas autem hominum habere sæpe vim sortis; & multa dicendo, dici pleraque ventura, nescientibus eis qui dicerẽt, sed in ea non tacendo incurrentibus.

2. Procurasti ergo tu hominẽ amicũ nõ quidem segnẽ cõsultorẽ Mathematicorũ; nec eas literas bene callẽtẽ, sed (vt dixi)

xi) consultorẽ curiosum, & tamen scientem aliquid, quod à patre suo se audisse dicebat, quod quantum valeret ad illius artis opinionem euertendam, ignorabat. Is ergo vir nomine Firminus, liberaliter institutus, & excultus eloquio, cũ me tanquam charissimum de quibusdã suis rebus, in quas secularis spes eius intumuerat, consuleret, quid mihi secundùm suas, quas constellationes appellãt, videretur; ego autem, qui iam de hac re in Nebridij sentẽtiam flecti cœperam, non quidem abnuerem conijcere ac dicere, quod nutanti occurrebat, sed tamẽ subijcerem, propè iam mihi esse persuasum, ridicula esse illa & inania.

3. Tum ille mihi narrauit patrem suũ fuisse librorum talium curiosissimum; & habuisse amicum æquè illa simul sectantem, qui pari studio & collatione flagrabant in eas nugas igne cordis sui, ita vt mutorum quoque animalium, si quę domi parerent, obseruarent momenta nascentium; atque ad ea positionem cœli notarent, vnde illius quasi artis experimenta colligerent. Itaque dicebat, audisse se à patre suo, quòd cùm de eodem Firmino prægnãs mater esset, etiã illius paterni amici famula quædam pariter

vtero

vtero grandeſcebat, quod latere non potuit Dominum, qui etiam canum ſuarū partus examinatiſſima diligentia noſſe curabat. Atque ita factum eſſe, vt cùm iſte coniugis, ille autem ancillæ dies & horas, minutioreſque horarum articulos cautiſſima obſeruatione numerarēt, enixæ eſſent ambæ ſimul, ita vt eaſdem conſtellationes, vſque ad eaſdem minutias, vtriq; naſcenti facere cogerentur iſte filio, ille ſeruulo. Nam cùm mulieres parturire cœpiſſent, indicauerunt ſibi ambo, quid in ſua cuiuſque domo ageretur; & parauerunt, quos ad ſe inuicem mitterent, ſimul vt natum, quod parturiebatur, eſſet cuique nunciatum, quod tamen vt continuò nunciaretur, tanquam in regno ſuo facilè effecerant. Atque ita, qui ab alterutro miſſi ſunt, tam ex paribus domorum interuallis ſibi obuiam factos eſſe dicebat, vt aliam poſitionem ſiderum, aliaſque particulas momentorum, neuter eorum notare ſineretur. Et tamen Firminus amplo apud ſuos loco natus, dealbatiores vias ſeculi curſitabat, augebaturque diuitijs, ſublimabatur honoribus: ſeruus autem ille, conditionis iugo nullatenus relaxato, Dominis ſeruiebat, ipſo indicā-

te, qui nouerat eum.

His itaque auditis & creditis, talis quippe narrauerat, omnis illa reluctatio mea resoluta concidit; & primò Firminũ ipsum conatus sum ab illa curiositate reuocare, cùm dicerem constellationibus eius inspectis, vt vera prænuntiarem, debuisse me vtique videre ibi, parentes inter suos esse primarios, nobilem familiã propriæ ciuitatis, natales ingenuos, honestam educationem, liberalesque doctrinas. At si me ille seruus ex eisdem constellationibus, quia & illius ipsæ essent, consuluisset, vt eidem quoque vera proferrem, debuisse me rursum ibi videre abiectissimam familiam, conditionẽ seruilem, & cætera longè à prioribus aliena, longeque distantia. Vnde autem fieret, vt eadem inspiciens diuersa dicerem, si vera dicerem; si autem eadem dicerem, falsa dicerem. Inde certissimè collegi ea, quæ vera consideratis constellationibus dicerentur, non arte dici, sed forte: quæ autem falsa, non artis imperitia, sed sortis mendacio.

5. Hinc aũt accepto aditu ipse mecũ talia ruminando; ne quis eorũ delirorum, qui talem quæstum sequerentur, quos iam iamq; inuadere, atq; irrisos refellere cu-

re cupiebā, mihi ita resisteret, quasi aut Firmin' mihi, aut illi pater falsa narrauerit; intendit cōsideratione in eos, qui gemini nascūtur, quorū pleriq; ita post inuicem funduntur ex vtero, vt paruum ipsum temporis interuallum quantamlibet vim in rerum natura habere contēdant, colligi tamen humana obseruatione non possit, literisque signari omnino non valeat, quas Mathematicus inspecturus est, vt vera pronunciet. Et non erunt vera, quia easdem literas inspiciēs, eadem debuit dicere de Esau & Iacob, sed non eadem vtrique acciderunt. Falsa ergo diceret. Aut si vera diceret, non eadē diceret, at eadem inspiceret. Non ergo arte, sed sorte vera diceret. Tu enim Domine iustissime, moderator vniuersitatis, consulentibus consultisque nescientibus, occulto instinctu agis; vt dum quisque consulit, hoc audiat, quod oportet eum audire occultis meritis animarum, ex abysso iusti iudicij tui: cui non dicat homo, quid est hoc? aut, vt quid hoc? Non dicat, non dicat, homo est enim.

Gen. 25.

CAPVT VII.

Miserè torquetur, inquirens vnde sit malum.

1 IAm itaq; me adiutor meus illis vinculis solueras: & quærebam vnde malum, & non erat exitus. Sed me non sinebas vllis fluctibus cogitationis auferri ab ea fide, qua credebam & esse te, & esse incommutabilem substantiam tuam, & esse de hominibus curã & iudiciũ tuũ, & in Christo filio tuo Domino nostro, atque in scripturis sanctis, quas ecclesiæ tuæ Catholicæ commendaret autoritas, viam te posuisse salutis humanæ, ad eam vitam, quæ post hãc mortem futura est. His itaque saluis, atque inconcussè roboratis in animo meo, quærebã æstuans, vnde sit malum: Quæ illa tormenta parturientis cordis mei, qui gemitus Deus meus? Et ibi erant aures tuæ, nesciente me. Et cùm in silentio fortiter quærerẽ, magnæ voces erant ad misericordiam tuam, tacitæ contritiones animi mei.

2. Tu sciebas, quid patiebar, & nullus hominum. Quantum enim erat, quod inde digerebatur per linguam meam in aures familiarissimorum meorum? Nũquid totus tumultus animæ meæ, cui nec tempora, nec os meum sufficiebat, sonabat eis? totum tamen ibat in auditum tuum, quòd rugiebam à gemitu cordis mei; & ante te erat deside-

Psal. 37.

rium

rium meum, & lumen oculorum meo-
rum non erat mecum. Intus enim erat,
ego autem foris. Nec in loco illud; At e-
go intendebam in ea, quæ locis conti-
nentur, & non ibi inueniebam locum ad
requiescendum, nec recipiebant me ista,
vt dicerem, sat est, & bene est; nec dimit-
tebant redire, vbi mihi satis esset
bene. Superior enim eram istis, te verò
inferior: Et tu gaudium verũ mihi sub-
dito tibi; & tu mihi subieceras, quæ in-
fra me creasti.

3. Et hoc erat rectum temperamentũ,
& media regio salutis meæ, vt manerẽ
ad imaginem tuam, & tibi seruiens do-
minarer corpori. Sed cùm superbè con-
tra te surgerem, & currerẽ aduersus Do- *Iob 15.*
minum in ceruice crassa scuti mei, etiã
ista infima supra me facta sunt, & pre-
mebant, & nusquã erat laxamentũ &
respiramentum. Ipsa occurrebant vndi-
que aceruatim & conglobatim cernẽti,
cogitanti autem imagines corporũ, ipsę
opponebantur redeunti, quasi diceretur:
Quò is indignè & sordidè: Et hęc de vul-
nere meo creuerant, quia humiliasti tã-
quam vulneratum superbum, & tumore
meo separabar abs te, & nimis inflata fa- *Psal. 88.*
cies mea claudebat oculos meos.

CAPVT VIII.

Quomodo diuina misericordia subuenerit Augustino.

1 TV verò Domine in æternum manes; & non in æternum irasceris nobis, quoniam miseratus es terram & cinerem: & placuit in conspectu tuo reformare deformia mea. Et stimulis internis agitabas me, vt impatiens essem, donec mihi per interiorem aspectum certus esses. Et sic residebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ, aciesq; conturbata & contenebrata mentis meę acri collirio salubrium dolorum meorum de die in diem sanabatur.

CAPVT IX.

Quæ in libris Platonicorum quorundam inuenerit, consentanea doctrinæ Christianæ.

Iac. 4.

1 ET primò volens ostendere mihi, quàm resistas superbis, humilibus autem des gratiam: & quanta misericordia tua demonstrata sit hominibus via humilitatis, quòd verbum tuum caro factũ est, & habitauit inter homines: Procurasti mihi per quēdam hominem, immanissimo typho turgidum, quosdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Lati-

Ioan. 1.

Latinam versos;& ibi legi non quidem
his verbis, sed hoc idem omnino multis
& multiplicibus suaderi rationibus: quòd *Ioan. 1.*
in principio erat verbum, & verbum erat
apud Deũ, & Deus erat verbũ, hoc erat
in principio apud Deũ, omnia per ipsũ
facta sunt, & sine ipso factum est nihil.
Quod factum est in eo, vita est. Et vita e-
rat lux hominum, & lux in tenebris lu-
cet, & tenebræ eam non comprehende-
runt. Et quia hominis anima, quamuis
testimonium perhibeat de lumine, non
est tamẽ ipsa lumen, sed verbum Dei,
Deus est enim lumen verum, quod il-
luminat omnem hominem venientem
in hunc mundum. Et quia in hoc mundo
erat, & mundus per ipsum factus est, &
mundus eũ non cognouit. Quia verò in
sua propria venit, & sui eũ nõ receperũt;
quotquot autẽ receperunt eum, dedit eis
potestatem filios Dei fieri, credentibus
in nomine eius: non ibi legi.

2. Item ibi legi; Quia Deus verbum *Ibidem.*
non ex carne, non ex sanguine, non ex
voluntate viri, neque ex voluntate car-
nis, sed ex Deo natus est. Sed quia verbũ
caro factum est, & habitauit in nobis: nõ
ibi legi. Indagaui quippe in illis literis
variè dictum, & multis modis, quòd sit *Phil. 2.*

filius in forma patris, non rapinam arbitratus esse æqualis Deo, quia naturaliter idipsum est. Sed quia semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo; humiliauit se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod Deus exaltauit eū à mortuis, & donauit ei nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorū, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei patris: non habent illi libri.

3. Quòd enim ante omnia tempora, & supra omnia tempora, incōmutabiliter manet vnigenitus filius tuus coæternus tibi, & quia de plenitudine eius accipiūt
Ioan. 1. animæ, vt beatæ sint, & quia participatione manentis in se sapientiæ renouātur, vt sapientes sint; est ibi. Quòd aūt se-
Rom 5. cundùm tempus pro impijs mortuus est,
& filio vnico tuo nō pepercisti, sed pro
Rom 8. nobis omnibus tradidisti eū: non est ibi.
Abscondisti enim hæc à sapientibus, &
Matt. 11. reuelasti ea paruulis, vt venirent ad eum laborātes, & onerati, & reficeret eos; quo-
Matt. 5. niā mitis est, & humilis corde; & dirigit
mites

mites in iudicio, & docet mansuetos Psal.24.
vias suas, videns humilitatem nostrã, &
laborem nostrum, & dimittens omnia
peccata nostra. Qui autem cothurno, tã-
quam doctrinæ sublimioris elati, non
audiunt dicentem: Discite à me, quo- Matt.11.
niam mitis sum & humilis corde, & in-
uenietis requiem animabus vestris: Et si Rom.1.
cognoscunt Deum, non sicut Deũ glo-
rificant, aut gratias agunt, sed euanescũt
in cogitationibus suis: & obscuratur in-
sipiens cor eorum, dicentes se esse sapiẽ-
tes, stulti facti sunt.

4. Et ideo legebam ibi etiam immu-
tatam gloriam incorruptionis tuæ in
idola & varia simulachra, in similitudi-
nem imaginis corruptibilis hominis, &
volucrũ, & quadrupedũ, & serpentũ, vi- Gen.35.
delicet AEgyptiũ cibũ, quo Esau perdi-
dit primogenita sua, quoniã caput qua-
drupedis pro te honorauit populus pri-
mogenitus, cõuersus corde in AEgyptũ, Exod.32.
& curuans imaginẽ tuam, animã suam
ante imaginẽ vituli manducantis fænũ; Psal. 105.
inueni hæc ibi, & nõ manducaui. Placuit
.n. tibi Domine auferre opprobriũ dimi-
nutionis ab Iacob, vt maior seruiret mi-
nori, & vocasti gẽtes in hæreditatẽ tuã.

5. Et ego ad te veneram ex gentibus, &

Exod. 3. & 11. Act. 17. intēdi in aurum, quod ab AEgypto voluisti, vt auferret populus tuus, quoniā tuum erat, vbicunque erat. Et dixisti Atheniensibus per Apostolum tuum, quòd in te viuimus, & mouemur, & sumus; sicut & quidam secundùm eos dixerunt. Et vtique inde erant illi libri. Et non attendi in idola AEgyptiorum, quibus de auro tuo ministrabant; qui transmutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori. Rom. 1.

CAPVT X.

Clariùs innotescunt iam Augustino diuina.

1 ET inde admonitus redire ad memetipsum, intraui in intima mea duce te, & potui, quoniam factus es adiutor meus. Intraui, & vidi qualicunque oculo animæ meæ, supra eundem oculum animæ meæ, supra mentem meam lucē Domini incommutabilem; non hanc vulgarem & conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere grandior erat, tanquam si ista multo multoque clariùs clarescceret, totumque occuparet magnitudine. Non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita

erat ſupra mentem meam, ſicut oleum ſuper aquam; nec ſicut cœlum ſuper terram, ſed ſuperior, quia ipſa fecit me, & ego inferior, quia factus ſum ab ea. Qui nouit veritatem, nouit eam: & qui nouit eam, nouit æternitatem. Charitas nouit eam.

2. O ęterna veritas, & vera Charitas, & chara æternitas. Tu es Deus meus, tibi ſuſpiro die ac nocte. Et cùm te primùm cognoui, tu aſſumpſiſti me, vt viderem eſſe, quod viderem, & nondum me eſſe, qui viderem. Et reuerberaſti infirmitatē aſpectus mei, radians in me vehemēter, & contremui amore & horrore; Et inueni me longè eſſe à te in regione diſſimilitudinis, tanquam audirem vocem tuā de excelſo; Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Et cognoui, quoniam pro- *Pſal. 38.*
pter iniquitatem erudiſti hominē: & tabeſcere feciſti ſicut araneā animā meam. Et dixi: Nunquid nihil eſt veritas? quoniam neq; per finita, neque per infinita locorū ſpacia diffuſa eſt? Et clamaſti de longinquo: Imo verò, ego ſum, qui ſum. *Exod. 3.*
Et audiui, ſicut auditur corde, & nō erat prorſus, vnde dubitarem. Faciliuſque

dubitarem viuere me, quàm non esse
Rom. 1. veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicitur.

CAPVT XI.

Quomodo creaturæ sunt, & non sunt.

1 ET inspexi cætera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem, quoniam abs te sunt: non esse autem, quoniam id, quod es, non
Psal. 72. sunt. Id enim verè est, quod incommutabiliter manet. Mihi autem inhærere Deo bonum est: quia si non manebo in
Sap. 7. illo, nec in me potero. Ille aũt in se manens, innouat omnia. Et Dominus meus
Psal. 15. es, quoniam bonorum meorũ non eges.

CAPVT XII.

Omnia bona, quæ sunt.

1 ET manifestatum est mihi, quoniam bona sunt, quæ corrumpuntur, quæ neque corrumpi possent, si summa bona essent, neque nisi bona essent, corrũpi possent. Quia si summa bona essent, incorruptibilia essent: si autem nulla bona essent, quod in eis corrũperetur, non esset. Nocet enim corruptio, & nisi bonum minueret, non noceret. Aut igitur nihil nocet corruptio, quod fieri non potest: aut, quod certissimum est,

omnia

omnia, quæ corrumpuntur, priuantur bono. Si autē omni bono priuabuntur, omnino non erunt. Si enim erũt, & corrumpi iam non poterunt, meliora erũt, quia incorruptibiliter permanebũt.

2. Et quid monstruosius, quàm ea dicere omni bono amisso facta meliora? Ergo si omni bono priuabuntur, omnino nulla erunt. Ergo quamdiu sunt, bona sunt. Ergo quæcunq; sunt, bona sunt. Malumque illud, quod quærebam, vnde esset, non est substantia: quia si substantia esset, bonum esset. Aut enim esset incorruptibilis substantia, magnum vtiq; bonum, aut substantia corruptibilis esset, quæ nisi bona esset, corrumpi non posset. Itaq; vidi, & manifestatum est mihi, quia omnia bona tu fecisti, & prorsus nullæ sustantiæ sunt, quas tu nõ fecisti. Et quoniam non æqualia omnia fecisti, ideò sunt omnia, quia singula bona sũt, & simul omnia valde bona, quoniam fecisti Deus noster omnia bona valde.

CAPVT XIII.

Omnia condita laudant Deum.

1 ET tibi omnino non est malum, non solùm tibi, sed nec vniuersæ creaturæ tuæ, quia extra te non est aliquid quod irrumpat, & corrumpat ordinem,

quem posuisti. In partibus autem eius, quædam quibusdam, quia non conueniũt, mala putantur: & eadem ipsa conueniunt alijs, & bona sunt, & in semetipsis bona sunt. Et omnia hæc, quæ sibimet inuicem non conueniunt, conueniunt inferiori parti rerum, quam terrã dicimus, habentem cœlum suum nubilosum atque ventosum, congruum sibi.

2. Et absit iam, vt dicerem non esse nisi ista, quia & si sola ista cernerẽ, desiderarẽ quidem meliora. Sed iam etiam de solis istis laudare te deberem: quoniam laudandum te ostendunt de terra, dracones, & omnes abyssi: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum tuum: Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri: Bestię & omnia pecora, reptilia & volatilia pẽnata: Reges terræ & oẽs populi, principes, & omnes iudices terræ: Iuuenes & virgines, seniores cũ iunioribus, laudent nomen tuũ. Cùm verò etiã de cœlis te laudent, laudent te Deus noster in excelsis oẽs angeli tui, omnes virtutes tuæ, sol & luna, omnes stellæ & lumen, cœli cœlorũ & aquæ, quæ super cœlos sunt, laudẽt nomen tuum. Non iam desiderabam meliora, quia omnia cogitabam, &

Psal. 148.

melio-

meliora quidem superiora, quàm inferiora; sed meliora omnia, quàm sola superiora, iudicio saniore pendebam.

CAPVT XIV.

Sanæ mentis homini, nihil displicet inter creaturas Dei.

1 NOn est sanitas eis, quibus displicet aliquid creaturæ tuæ, sicut mihi nō erat, cùm displicerēt multa, quæ fecisti. Et quia non audebat anima mea, vt ei displiceret Deus meus, nolebat esse tuū, quicquid ei displicebat. Et inde ierat in opinionem duarum substantiarum, & non requiescebat, & aliena loquebatur: & inde rediens, fecerat sibi Deum per infinita spacia locorum omnium, & eū putauerat esse te; & eum collocauerat in corde suo, & facta erat rursus templum idoli sui abominandum tibi. Sed posteaquam fouisti caput nescientis, & clausisti oculos meos, ne viderent vanitatē, cessaui de me paululum, & consopita est insania mea. Et euigilaui in te, & vidi te infinitum aliter, & visus iste non à carne Psal. 112.
trahebatur.

CAPVT XV.

Quomodo veritas & falsitas in creaturis.

1 ET respexi alia,& vidi tibi debere, quia sunt,& in te cuncta finita: sed aliter,non quasi in loco,sed quia tu es omnitenens manu veritate, & omnia vera sunt,in quantum sunt:nec quicquam est falsitas,nisi cùm putatur esse, quod non est.Et vidi,quia non solùm locis sua quæque suis conueniunt,sed etiam temporibus.Et quia tu,qui solus æternus es, non post innumerabilia spacia temporũ cœpisti operari:quia omnia spacia temporum,& quæ præterierunt,& quæ pręteribunt,nec abirent,nec venirent, nisi te operante & manente.

CAPVT XVI.

Omnia bona, licèt quibusdam non apta.

1 ET sensi,& expertus sum nõ esse mirum,quòd palato non sano pœna est panis,qui sano suauis est: & oculis ægris odiosa lux, quæ puris amabilis est. Et iustitia tua displicet iniquis:ne dum viperá & vermiculus,quæ bona creasti, apta inferioribus creaturæ tuæ partib⁹, quibus & ipsi iniqui apti sunt, quantò dissimiliores sunt tibi;apti autem superioribus,quantò similiores fiunt tibi. Et quæsiui,quid esset iniquitas, & non inueni substantiam:sed à summa substã-

tia

tia te Deo detortæ in infimam voluntatis peruersitatem, proiicientis intima sua, & tumescentis foras.

CAPVT XVII.

Quæ retardent à cognitione diuinorũ.

1 ET mirabar, quòd iam te amabam, non pro te phantasma. Et non stabã frui Deo meo, sed rapiebar ad te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista cum gemitu, & pondus hoc, consuetudo carnalis. Sed mecum erat memoria tui; neque vllo modo dubitabam esse, cui cohærerem, sed nondum esse me, qui cohærerẽ: quoniam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitãtem. Eramque certissimus, quòd inuisibilia tua à constitutione mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus & diuinitas tua. *Sap. 9.* *Rom. 1.*

2. Quærens enim, vnde approbarem pulchritudinem corporũ, siue cœlestiũ, siue terrestriũ, & quid mihi præsto esset integrè de mutabilibus iudicanti & dicẽti, hoc ita esse debet, illud non ita. Hoc ergo quærens, vnde iudicarem, cùm ita iudicarem, inueneram incommutabilem & veram veritatis æternitatẽ, supra men-

mentem meam commutabilem. Atque ita gradatim à corporibus ad ſentientem per corpus animam: atque inde ad eius interiorem vim, cui ſenſus corporis exteriora nunciaret, quouſque poſſunt beſtiæ. Atque inde rurſus ad ratiocinantem potentiam, ad quam refertur ad iudicandum, quod ſumitur à ſenſibus corporis.

3. Quæ ſe quoque in me comperiens mutabilem, erexit ſe ad intelligentiam ſuam, & abduxit cogitationem à conſuetudine, ſubtrahens ſe à contradicentibus turbis phantaſmatum, vt inueniret, quo lumine aſpergeretur: cùm ſine vlla dubitatione clamaret, incommutabile præferendum eſſe mutabili, vnde noſſet ipsũ incommutabile. Quod niſi aliquo modo noſſet, nullo modo illud mutabili certo
Rom. 1. præponeret, vt perueniret ad id, quod eſt in ictu trepidantis aſpectus. Tum verò inuiſibilia tua per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpexi, ſed aciem figere non valui: & repercuſſa infirmitate redditus ſolitis, non mecum ferebam niſi amantem memoriam, & quaſi olfacta deſiderantem, quæ comedere nondum poſſem.

CAPVT XVIII.

Solus Christus via ad ſalutem.

1 ET quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te nec inueniebam, donec amplecterer mediatorem Dei & hominum, hominem Christũ Iesum, qui est super omnia Deus benedictus in secula, vocãtem & dicentem: Ego sum via, veritas, & vita. Et cibum, cui capiendo inualidus eram, miscentem se carni; quoniã verbum caro factum est, vt infantiæ nostrę lactesceret sapientia tua, per quam creasti omnia. Non enim tenebam Dominum meum Iesum Christum, humilis humilem: nec cuius rei magistra esset eius infirmitas, noueram. Verbũ enim tuũ æterna veritas, superioribus creaturæ tuæ partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam: In inferioribus autem ædificauit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdendos deprimeret à seipsis, & ad se traijceret, sanans tumorem, & nutriens amorem. Ne fiducia sui progrederentur longiùs, sed potiùs infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam diuinitatẽ, ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ, & lassi prosternerentur in eam, illa autem surgens leuaret eos.

1. Tim. 2. *Rom. 9.* *Ioan. 14.* *Ioan. 1.*

CA-

CAPVT XIX.

Quid senserit de Christi incarnatione.

1 EGo verò aliud putabam, tantumque, sentiebã de Domino Christo meo, quantum de excellentis sapientiæ viro, cui nullus posset æquari, præsertim, quia mirabiliter natus ex virgine, ad exemplũ contemnendorum temporalium pro adipiscenda immortalitate, diuina pro nobis cura tantam autoritatem magisterij meruisse videbatur. Quid autem *Ioan 1.* sacramenti haberet verbum caro factũ, ne suspicari quidem poteram. Tantum cognoueram ex ijs, (quæ de illo scripta traderentur, quia manducauit, bibit, dormiuit, ambulauit, exhilaratus est, contristatus est, sermocinatus est) non hæsisse carnem illam verbo tuo, nisi cum anima & mente humana. Nouit hoc omnis; qui nouit incommutabilitatem verbi tui, quam ego iam noueram, quantum poteram, nec omnino quicquam inde dubitabam. Etenim nunc mouere membra corporis per voluntatem; nunc non mouere: nunc aliquo affectu affici, nũc non affici: nunc proferre per signa sapientes sententias, nunc esse in silentio: propria sunt mutabilitatis animæ & mentis. Quæ si falsa de

de illo ſcripta eſſent, etiam omnia peri-clitarentur mendacio: neque in illis lite-ris vlla fidei ſalus generi humano rema-neret.

2. Quia itaque vera ſcripta ſunt, totum hominem in Chriſto agnoſcebam: non corpus tantũm hominis, aut cum corpo-re ſine mente animum, ſed ipſum homi-nem: non perſona veritatis, ſed magna quadam naturæ humanæ excellentia, & perfectiore participatione ſapientię prę-ferri cæteris arbitrabar. Alipius autem Deum carne indutum ita putabat credi à Catholicis, vt præter Deum & carnem non eſſet in Chriſto anima, mentemque hominis non exiſtimabat in eo prædica-ri. Et quoniam bene perſuaſum tenebat ea, quæ de illo memoriæ mandata ſunt, ſine vitali & rationali creatura non fie-ri, ad ipſam Chriſtianam fidem pigrius mouebatur. Sed poſtea hæreticorũ Apo-linariſtarũ hunc errorem eſſe cognoſcẽs, Catholicæ fidei collætatus & contempe-ratus eſt. Ego autem aliquantò poſterius didiciſſe me fateor, in eo, quòd verbum caro factum eſt, quomodo Catholica veritas à Photini falſitate dirimatur. Improbatio quippe hæreticorum facit eminere, quid Eccleſia tua ſentiat, & quid

Ioan. 2.

1. Cor. 12. quid habeat sana doctrina. Oportuit enim & hæreses esse, vt probati manifesti fierent inter infirmos.

CAPVT XX.

Platonici libri varij.

1 SEd tunc lectis Platonicorum illis libris, postea quàm inde admonitus, quærerem incorpoream veritatem, inuisibilia tua per ea, quæ facta sunt, intellecta conspexi; & repulsus sensi, quid per tenebras animæ meæ contemplari non sinerer certus esse te, & infinitum esse, nec tamen per locos finitos infinitosue diffundi; & verè te esse, qui semper idem ipse esses, ex nulla parte, nulloq; motu aliter aut aliter: cętera verò ex te esse omnia, hoc solo firmissimo documento, quia sunt. Certus quidem in istis eram, nimis tamen infirmus ad fruendum te. Garriebam planè quasi peritus; & nisi in Christo saluatore nostro viam tuam quærerem, non peritus sed periturus essem. Iam enim cœperam velle videri sapiens, plenus pœna mea, & non flebam, insuper & inflabar scientia.

Rom. 1.

2. Vbi enim erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis, quod est Christus Iesus? Aut quando illi libri me docerent eam? Inter quos me propterea,

priuſ-

priusquam scripturas tuas cõsiderarem, credo voluisti incurrere; vt imprimeretur memoriæ meæ, quomodo ex eis affectus essem: Et cùm postea in libris tuis mansuefactus essem; & curantibus digitis tuis, contrectarentur vulnera mea, discernerem atque distinguerem, quid interesset inter præsumptionem & confessionem; inter videntes quò eundũ sit, nec videntes quà; & viam ducentem ad beatificam patriam, non tantùm cernẽdam, sed & inhabitandam? Nam si primò sanctis tuis literis informatus essem, & in earum familiaritate [obdulcuisses mihi, & pòst in illa volumina incidissẽ, fortasse aut abripuissent me à solidamẽto pietatis; aut si in affectu, quem salubrem imbiberam, perstitissent, putarem etiam ex illis libris eum posse concipi, si eos solos quisquam didicisset.

CAPVT XXI.

Quid in sacris libris inuenerit, non inuentum in Platonicis.

1 ITaque auidissimè arripui venerabilem stylum spiritus tui, & præ cęteris Apostolum Paulũ: & perierunt illæ quęstiones, in quibus mihi aliquando visus est aduersari sibi, & non congruere testimonijs legis & prophetarum textus sermo-

sermonis eius. Et apparuit mihi vna facies eloquiorum castorum, & exultare cum tremore didici. Et cœpi, & inueni, quicquid illic verum legeram. Hæc cum commendatione gratiæ tuæ didici, vt
1. Cor. 4. qui videt, non sic glorietur, quasi non acceperit, non solùm id, quod videt, sed etiam vt videat. Quid enim habet, quod non accepit? Et vt te, qui es semper idem, non solùm admoneatur, vt videat, sed etiam sanetur, vt teneat. Et qui de longinquo videre non potest, viam tamen ambulet, qua veniat, & videat, & teneat.
Rom. 1. Quia & si condelectetur homo legi Dei secundùm interiorem hominem, quid faciet de alia lege in membris suis repugnãte legi mentis suæ, & se captiuũ ducente in lege peccati, quæ est in mẽbris
Dan. 3. eius? Quoniam iustus es Domine, nos autem peccauimus, iniquè fecimus, impiè gessimus, & grauata est super nos manus tua, & iustè traditi sum⁹ antiquo peccatori præposito mortis: quia persuasit voluntati nostræ similitudinem voluntatis suæ, qua in veritate tua non stetit.

Rom. 7. 2. Quid faciet miser homo? Quis eum liberabit de corpore mortis huius, nisi gratia tua, per Iesum Christum Dominum,

num,

num nostrum, quem genuisti coæternū, *al. & possedisti.
*& creasti in principio viarum tuarum, Prou 8.
in quo princeps huius mundi non inuenit quicquam morte dignum, & occidit Ioan. 14.
eum, & euacuatum est chirographum, Col 2.
quod erat contrarium nobis? Hoc illæ literæ non habent. Non habent illæ paginæ vultum pietatis huius, lachrymas Psal. 50.
confessionis, sacrificium tuum, spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum, populi salutem, sponsam, ciuitatem, arrhā spiritus sancti, poculum pretij nostri. Nemo ibi cantat: Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim Psal. 61.
salutare meum. Etenim ipse est Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius.

3. Nemo ibi audit vocantem: Venitē ad me, qui laboratis Et, Dedignantur ab Mat. 11.
eo discere, quoniam mitis est, & humilis corde. Abscondisti enim hæc à sapiē- Matt. 5.
tibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et aliud est de syluestri cacumine videre patriam pacis, & iter ad eam non inuenire: & frustra conari per inuia, circum obsidentibus & insidiātibus fugitiuis desertoribus, cū principe suo leone & dracone: Et aliud tenere viā illuc ducētē, cura cœlestis Imperatoris mu-

nitam: vbi non latrocinantur, qui cœle-
stem militiam deseruerunt. Vitant enim
1. Cor. 15. eam, sicut supplicium. Hęc mihi inuisce-
Amos 3. rabantur miris modis, cùm minimum
Apostolorum tuorum legerem; & consi-
deraueram opera tua, & expaueram.

DIVI AVRELII Augustini Confeßionum Liber Octauus.

CAPVT I.

Accensus amore diuinorum, ad Simplicianum ire statuit.

DEus meus, recorder in gratiarum actione tibi, & confitear misericordias tuas super me. Perfundā-
Psal. 32 tur ossa mea dilectione tua, & dicant:
Psal. 115. Domine quis similis tibi? Dirupisti vincula mea, sacrificem tibi sacrificium laudis. Quomodo diripuisti ea, enarrabo, & dicent oēs, qui adorant te, cùm audiēt hæc. Benedictus Dominus in cœlo & in terra, magnū & mirabile nomē eius. Inhæserāt pręcordijs meis verba tua, & vn-
1. Cor. 13. diq; circūuallabar abs te. De vita tua æ-
terna

terna certus erã, quãuis eã in ęnigmate, & quasi per ſpeculum videram. Dubitatio tamen omnis de incorruptibili ſubſtantia, quòd ab illa eſſet omnis ſubſtantia, ablata mihi erat, nec certior de te, ſed ſtabilior in te eſſe cupiebam. De mea verò temporali vita nutabant omnia, & mundandum erat cor à fermento veteri, & placebat via ipſe ſaluator, & ire per eius anguſtias adhuc pigebat.

2. Et immiſiſti in mentem meam, viſumque eſt bonũ in conſpectu meo pergere ad Simplicianum, qui mihi bonus apparebat ſeruus tuus, & lucebat in eo gratia tua. Audieram etiã, quòd à iuuentute ſua deuotiſſimè tibi viueret. Iam verò tunc ſenuerat, & longa ætate in tam bono ſtudio ſectandæ viæ tuæ multa expertus, multa doctus mihi videbatur, & verè ſic erat. Vnde mihi vt proferret volebam conferẽti ſecum æſtus meos, quis eſſet aptus modus ſic affecto, vt ego erã, ad ambulandũ in via tua. Videbam enim plenam eccleſiam: & alius ſic ibat, alius autem ſic. Mihi aũt diſplicebat, quod agebam in ſeculo, & oneri mihi erat valde, non iã inflammantibus cupiditatib. vt ſolebãt, ſpe honoris & pecuniæ, ad tolerandam illam ſeruitutem tam grauẽ.

Psal.25. Iam enim me illa non delectabant præ dulcedine tua, & decore domus tuæ, quam dilexi. Sed adhuc tenaciter colli-
1.Cor.7. gabar ex femina; nec me prohibebat Apostolus coniugari, quamuis exhortaretur ad melius, maximè volens omnes homines sic esse, vt ipse erat.

3. Sed ego infirmior, eligebam molliorem locum: Et propter hoc vnum voluebar in cæteris languidus, & tabescens curis marcidis, quo & in alijs rebus, quas nolebam pati, congruere cogebar vitæ coniugali, cui deditus obstringebar. Audieram ex ore veritatis esse spadones, qui seipsos absciderunt propter re-
Mat.19. gnum cœlorum: sed qui potest (inquit) capere, capiat. Vani sunt certè omnes homines, quibus non inest Dei scientia; nec de his, quæ videntur bona, potuerunt inuenire eum qui est. At ego iam non eram in illa vanitate. Transcenderã
Ioan.1. eam, & contestante vniuersa creatura tua, inueneram te creatorem nostrum, & Verbum tuum apud te Deum, tecumque cum Spiritu sancto vnum Deum,
Rom.1. per quod creasti omnia.

4. Et est aliud genus impiorũ, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. In

hoc

hoc quoque incideram, & dextera tua Deus suscepit me, & inde ablatum posuisti, vbi conualescerem, quia dixisti homini: Ecce pietas est sapientia, & noli velle videri sapiens; quoniam dicentes se esse sapientes; stulti facti sunt. Et inueneram iam bonam margaritam, & venditis omnibus, quæ haberem, emenda erat, & dubitabam.

Psal. 17. Prou. 3. Rom. 1. Mat. 13.

CAPVT II.

De Victorino Rhetore conuerso.

1 PErrexi ergo ad Simplicianum, patrem in accipienda gratia tua tunc Episcopi Ambrosij, quem verè, vt patrem, diligebat. Narraui ei circuitus erroris mei. Vbi autem commemoraui legisse me quosdam libros Platonicorum (quos Victorinus quondam rhetor vrbis Romæ, quem Christianum defunctum esse audieram, in latinam linguam transtulisset) gratulatus est mihi, quòd non in aliorũ philosophorũ scripta incidissem, plena fallaciarum & deceptionum secundùm elementa huius mundi: in istis autem omnibus modis insinuari Deum, & eius verbum. Deinde, vt me exhortaretur ad humilitatem Christi, sapientibus absconditam,

Col. 2. Mat. 11.

& reuelatam paruulis, Victorinũ ipsum recordatus est, quem, Romæ cùm esset, familiarissimè nouerat, deque illo mihi narrauit, quod non silebo.

2. Habet enim magnam laudem gratiæ tuæ confitendam tibi, quemadmodũ ille doctissimus senex, & omnium liberalium doctrinarum peritissimus: quiq; philosophorum tam multa legerat, & dijudicauerat, & dilucidauerat, doctor tot nobilium senatorum, qui etiam ob insigne præclari magisterij, quod ciues huius mundi eximium putant, statuam in Romano foro meruerat, & acceperat, vsque ad illam ætatem venerator idolorum, sacrorumque sacrilegorum particeps; quibus tunc tota ferè Romana nobilitas inflata spirabat* populi vsiam, & omnigenûm Deûm monstra, & Anubẽ latratorem, quæ aliquando contra Neptunum & Venerem, contraque Mineruam tela tenuerunt: & à se victis iam Roma supplicabat, quę iste senex Victorinus tot annos ore terricrepo defensitauerat; nõ erubuerit esse puer Christi tui, & infans fontis tui, subiecto collo ad humilitatis iugum, & edomita fronte ad crucis opprobrium.

*al. populus etiam omni.

Psal. 17.

3. O Domine, Domine, qui inclinasti

coelos,

cœlos, & descendisti, tetigisti montes, & fumigauerunt: quibus modis te insinuasti illi pectori? Legebat, sicut ait Simplicianus, sanctam scripturam, omnesque Christianas scripturas inuestigabat studiosissimè, & perscrutabatur, & dicebat Simpliciano non palàm, sed secretius & familiarius: Noueris me iam esse Christianum. Et respondebat ille: Non credã, nec deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesia Christi te videro. Ille autem irridebat eum, dicens: Ergo parietes faciunt Christianos. Et hoc sæpe dicebat, iam se esse Christianum. Et Simplicianus illud sæpe respondebat, & sæpe ab illo parietum irrisio repetebatur. Amicos enim suos verebatur offendere superbos dæmonicolas, quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis, quasi ex cedris Libani, quas nondum contriuerat Dominus, grauiter ruituras in se inimicitias arbitrabatur. *Psal. 28.*

4. Sed postea quàm legendo & inhiando hausit firmitatem, timuitque negari à Christo coram Angelis sanctis, si eum timeret coram hominibus confiteri, reusque sibi magni criminis apparuit, erubescendo de *Matt. 10. Luc. 9.*

do de sacramētis humilitatis Verbi tui, & non erubescendo de sacris sacrilegis superborum dæmoniorum, quæ imitator superbus acceperat: depuduit vanitati, & erubuit veritati, subitoque & inopinatus ait Simpliciano, vt ipse narrabat; Eamus in ecclesiam, Christianus volo fieri. At ille non se capiens lætitia, perrexit cum eo. Vbi autem imbutus est primis instructionum sacramentis, non
Psal. 121. multò pòst etiam nomen dedit, vt per
*al. suo. baptismum regeneraretur, mirante Ro-
Psal 39. ma, gaudente Ecclesia. Superbi videbant, & irascebantur; dentibus suis stridebant & tabescebant: Seruo autem † tuo Domine Deus erat spes eius, & non respiciebat in vanitates & in insanias mēdaces.

5. Denique, vt ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis retētisq; memoriter de loco eminētiore in cōspectu populi fidelis, Romę reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiā tuā, oblatū esse dicebat Victorino a presbyteris, vt secretiùs redderet, sicut nōnullis, qui verecundia trepidaturi videbātur, offerri mos erat: illū aūt maluisse salutem suā in conspectu sanctæ multitudinis profiteri. Non enim erat salus in rhetorica, quam docebat, & tamē

eam

eam publicè professus erat. Quantò minùs ergo vereri debuit mansuetum gregem tuum, pronuncians Verbum tuum, qui non verebatur in verbis suis turbas insanorum.

6. Itaque, vbi ascendit, vt redderet omnes sibimet inuicem, quisque vt eum nouerat, instrepuerunt nomen eius strepitu congratulationis. Quis autem ibi non eum nouerat? Et sonuit presso sonitu per ora cunctorum collætantium, Victorinus, Victorinus. Citò sonuerūt exultatione, quia videbant eum; & citò siluerunt intentione, vt audirent eum. Pronuntiauit ille fidē veracē præclara fiducia, & volebant eū omnes rapere intrò in cor suum: & rapiebant amādo, & gaudendo. Hæ rapientium manus erant.

CAPVT III.

Quòd Deus & Angeli magis gaudent, in peccatorum conuersione.

1 DEus bone, quid agitur in homine, vt plus gaudeat de salute desperatæ animæ, & de maiore periculo liberatæ, quàm si spes ei semper affuisset aut periculum minus fuisset? Etenim tu quoque misericors pater, plus gaudes de vno pœnitente, quàm de nona- Luc. 15.

 ginta

ginta nouem iuſtis, quibus non eſt opus pœnitentia. Et nos cum magna iucunditate audimus, cùm audimus, quàm exultantis paſtoris humeris reportetur ouis, quæ errauerat; Et drachma referatur in theſauros tuos, collætantibus vicinis mulieri, quæ inuenit: Et lachrymas excutit gaudium ſolennitatis domus tuæ, cùm legitur in domo tua de minore filio, quoniam mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt. Gaudes quippe in nobis, & in Angelis tuis ſancta charitate ſanctis. Nam tu ſemper idem, qui ea, quæ non ſemper, nec eodē modo ſunt, eodem modo ſemper noſti omnia. Quid ergo agitur in anima, cùm ampliùs delectatur inuentis aut redditis rebus, quas diligit, quàm ſi eas ſemper habuiſſet? Conteſtantur enim & cætera, & plena ſunt omnia teſtimonijs clamantibus, ita eſt.

Ibidem. *Ibidem* *Lucæ 15.*

2. Triumphat victor Imperator; & nō viciſſet, niſi pugnauiſſet: Et quantò maius periculum fuit in prælio, tanto maius eſt gaudium in triumpho. Iactat tempeſtas nauigantes, minaturque naufragiū, omnes futura morte palleſcunt. Tranquillatur cœlum & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger eſt charus, & vena eius

malum

malum renunciat; omnes, qui eum saluum cupiunt, ægrotant simul animo. Fit ei rectè, & nondũ ambulat pristinis viribus, & fit iam tale gaudium, quale non fuit, cũ antea saluus & fortis ambularet.

3. Easque ipsas voluptates humanę vitæ, etiam non inopinatis & præter voluntatẽ irruentibus, sed institutis & voluntarijs molestijs homines acquirunt. Edendi & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi & sitiendi molestia. Et ebriosi quędã salsiuscula comedunt, quò fiat molestus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Et institutum est, vt iam pactæ sponsæ nõ tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit sponsus dilatam. Hoc in turpi & execranda lætitia, hoc in ea, quæ concessa & licita est, hoc in ipsa sincerissima honestate amicitiæ, hoc in eo, qui mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Vbique maius gaudium molestia maiori præceditur.

4. Quid est hoc Domine Deus meus, cùm tu æternum tibi tu ipse sis gaudium, & quædam de te circa te semper gaudeant? Quid est, quòd hæc rerum pars alternat defectu & profectu, offensionibus, & conciliationibus? An is est

modus earum, & tantum dedisti eis, cùm à summis cœlorum vsque ad ima terrarum, ab initio vsque in finem seculorũ, ab angelo vsque ad vermiculum, à motu primo vsque ad extremum, omnia genera bonorũ, & omnia iusta opera tua suis quæq; sedibus locares, & suis quæq; temporibus ageres? Hei mihi, quàm excelsus es in excelsis, & quàm profundus es in profundis, & nusquam recedis, & vix redimus ad te.

CAPVT IV.

Quare plus lætandum sit in magni peccatoris conuersione.

1 AGe Domine, & fac, excita, & reuoca nos, accende, & rape, flagra, dulcesce: iam amemus, & curramus. Nonne multi ex profundiore tartaro cæcitatis, quàm Victorinus, redeunt ad te, & accedunt, & illuminantur recipientes lumen? Quod si qui recipiunt, accipiunt à te potestatem, vt filij tui fiant. Sed si minùs noti sunt populis, minùs de illis gaudent, etiam qui nouerunt eos. Quando enim cum multis gaudetur, & in singulis vberius est gaudium, quia feruefaciunt se, & inflammantur ex alterutro. Deinde quòd multis noti,

multis sunt autoritati ad salutem, & multis præeunt secuturis. Ideoque multum de illis, & qui eos præcesserunt, lętantur: quia non de solis lætantur. Absit enim, vt in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur personæ diuitum, aut præ ignobilibus nobiles: quandò potiùs infirma mundi elegisti, vt confunderes fortia, & ignobilia hui⁹ mũdi elegisti, & contemptibilia: & ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt, vt ea quæ sunt euacuares. 1. Cor. 1.

2. Et tamen idem ipse minimus Apostolorũ tuorũ, per cuius linguam tu ista verba sonuisti, cũ Paulus proconsul per eius militiam debellata superbia, sub leue iugũ Christi tui miss⁹, esset regis magni prouincialis effectus, ipse quoque ex priore Saulo, Paulus vocari amauit, ob tã magnæ insigne victoriæ. Plus enim hostis vincitur in eo, quẽ plus tenet, & de quo plures tenet. Plus aũt superbos tenet nomine nobilitatis, & de his plures nomine auctoritatis. Quantò igitur gratius †cogitabatur Victorini pectus, quod tãquam inexpugnabile receptaculũ diabolus obtinuerat. Victorini lingua, quo telo grandi & acuto multos peremerat: tãtò abundantius exultare oportuit filios 1. Cor. 15. *al. cogebatur.

tuos, quia rex noster alligauit fortem; &
Matt. 22. videbant vasa eius erepta mundari, & aptari in honorem tuum, & fieri vtilia Domino ad omne opus bonum.

CAPVT V.

Quæ remorabantur eum à conuersione.

1 SEd vbi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino ista narrauit, exarsi ad imitandum. Ad hoc enim & ille narrauerat. Postquàm verò & illud addidit, quòd Imperatoris Iuliani tēporibus lege data prohibiti sunt Christiani docere literaturam & oratoriam, quam legem ille amplexus, loquacem scholam deserere maluit, quàm verbum tuũ, quo linguas infantium facis disertas, non
Sap. 10. mihi fortior, quàm fœlicior visus est, quia inuenit occasionem vacandi tibi. Cui rei ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est consuetudo. Et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quib⁹ quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, inde catenam appellaui, tenebat me obstrictum

strictum dura seruitus. Voluntas autem noua, quæ mihi esse cœperat, vt te gratis colerem, fruiq; te vellem Deus sola certa iucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratã. Ita duæ volũtates meæ, vna vetus, alia noua, illa carnalis, illa spiritalis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.

2. Sic intelligebam, meipso experimẽto, id quod legeram, quomodo caro concupisceret aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Ego quidem in vtroque, sed magis ego in eo, quod in me approbabam, quàm in eo, quod in me improbabam. Ibi enim magis iam non ego; quia ex magna parte id patiebar inuitus, quàm faciebam volens. Sed tamen consuetudo aduersus me pugnacior ex me facta erat, quoniam volens, quò nollem, perueneram. Et quis iure contradiceret, cùm peccantem iusta pœna sequeretur? Et non erat iam vlla excusatio, qua videri mihi solebam propterea me nondum contempto seculo seruire tibi, quia incerta mihi esset perceptio veritatis. Iam enim & ipsa certa erat. Ego autem adhuc obligatus militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus

Gal. 5.

ſic timebã expediri, quemadmodum impediri timendum eſt. Ita ſarcina ſeculi, velut ſomno aſſolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volẽtium: qui tamen, ſuperati ſoporis altitudine, remerguntur. Et ſicut nemo eſt, qui dormire ſemper velit, omniumque ſano iudicio vigilare præſtat: differt tamen plerumque homo ſomnum excutere, cũ grauis torpor in membris eſt, eumque iam diſplicentem carpit libentius, quamuis ſurgendi tempus aduenerit: Ita certũ habebam, eſſe melius tuæ charitati me dedere, quàm meæ cupiditati cedere.

3. Sed illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vinciebat. Non enim erat, quod tibi reſponderem dicenti mihi:
Ephes. 5. Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus: & vndique oſtendenti vera te dicere, non erat omnino, quid reſponderem veritate conuictus, niſi tantùm verba lenta, & ſomnolenta: Modò, ecce modò, ſine paululum. Sed modò, & modò, non habebant modum: & ſine paululum in longum ibat.
Rom 7. Fruſtra condelectabar legi tuæ ſecundùm interiorem hominem, cùm lex alia in mẽbris meis repugnaret legi

mentis

mentis meæ;& captiuum me duceret, in legem peccati, quæ in membris meis erat. Lex enim peccati, est violentia consuetudinis, qua trahitur & tenetur etiã inuitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur. Miserum ergo me quis liberaret de corpore mortis huius, nisi gratia tua, per Iesum Christum Dominum nostrum?

CAPVT VI.

Pontitianus narrat Antonij vitam.

1 ET de vinculo quidem desiderij concubitus, quo arctissimo tenebar, & secularium negotiorum seruitute, quemadmodum me exemeris, narrabo, & cõfitebor nomini tuo Domine, adiutor meus, & redemptor meus. Agebam solita crescente anxietudine, & quotidie suspirabam tibi: Frequentabam ecclesiã tuam, quantum vacabat ab eis negocijs, sub quorum pondere* degebam. Mecum erat Alipius, ociosus ab opere iurisperitorum post assessionem tertiam, expectans quibus iterum consilia venderet, sicut ego vendebam dicendi facultatem, si qua docendo præstari potest. Nebridius autem amicitiæ nostræ cesserat, vt omnium nostrûm familiarissimo

*al gemebam.

Vere-

Verecundo Mediolanensi & ciui & grãmatico subdoceret, vehementer desideranti, & familiaritatis iure flagitanti, de numero nostro fidele adiutorium, quo indigebat nimis

2. Non itaque Nebridium cupiditas commodorum eò traxit; maiora enim posset, si vellet de literis agere: sed officio beneuolentiæ petitionem nostram contemnere noluit amicus dulcissimus & mitissimus. Agebat autem illud prudentissimè, cauens innotescere personis, secundũ hoc sæculũ maioribus, deuitãs in eis omnẽ inquietudinẽ animi, quem volebat habere liberũ; & quã multis posset horis feriatũ, ad quærendum aliquid, vel legendũ, vel audiendũ de sapientia.

3. Quodam igitur die, non recolo caussam, qua erat absens Nebridius, cũ ecce ad nos domũ venit ad me, & Alipiũ, Põtitianus quidã ciuis noster in quantum Afer, præclarè in palatio militãs, nescio quid a nobis volebat. Et consedimus, vt colloqueremur: Et fortè supra mensam lusoriã, quæ ante nos erat, attendit codicẽ, tulit, aperuit, inuenit Apostolũ Paulũ inopinatè sanè, putauerat enim aliquid de libris, quorũ professio me cõterebat. Tum verò arridens, meque intuẽs gratu-

gratulatoriè miratus eſt, quòd eas & ſolas præ oculis meis literas repentè comperiſſet. Chriſtianus quippe & fidelis erat, & ſæpe tibi Deo noſtro proſternebatur in eccleſia, crebris & diuturnis orationibus. Cui ego cùm indicaſſem illis me ſcripturis curam maximam impendere, ortus eſt ſermo (ipſo narrante) de Antonio AEgyptio monacho, cuius nomen excellenter clarebat apud ſeruos tuos, nos autem vſque in illam horam latebat. Quod ille vbi comperit, immoratus eſt in eo ſermone, inſinuans tantum virum ignorantibus, & admirans eandem noſtram ignorantiam.

S. Antonius monachus.

4. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, & propè noſtris temporib⁹ teſtatiſſima mirabilia tua, in fide recta & Catholica eccleſia. Oẽs mirabamur, & nos, quia tã magna erant, & ille, quia inaudita nobis erant. Inde ſermo eius deuolutus eſt ad monaſteriorum greges, & mores ſuaueolentiæ tuæ, & vbera deſerta eremi, quorũ nos nihil ſciebam⁹. Et erat Monaſteriũ Mediolani plenũ bonis fratrib⁹ extra vrbis mœnia, ſub Ambroſio nutritore, & nõ noueramus. Pertẽdebat ille, & loquebatur adhuc, & nos intenti tacebamus. Vnde incidit, vt diceret

ret, nescio quando se, & tres alios contubernales suos, nimirum apud Treuiros, cùm Imperator pomeridiano Circēsium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos, atque illic, vt fortè combinati spaciabantur, vnum secum seorsum, & alios duos itidem seorsum, pariterque digressos: Sed illos vagabundos irruisse in quandam casam, vbi habitabant quidam serui tui
Matt. 5. spiritu pauperes, qualium est regnum cœlorum, inuenisse ibi codicem, in quo scripta erat vita Antonij.

5. Quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legēdū meditari arripere talē vitam, & relicta militia seculari seruire tibi. Erat autem ex eis, quos dicunt agentes in rebus. Tunc subito repletus amore sancto & sobrio pudore, iratus sibi cōiecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei causa militamus? Maior ne esse poterit spes nostra in palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumq; periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculū? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ec-

ro, ecce nunc ño.

6. Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intꝰ, vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namque dum legit, & voluit fluctus cordis sui, infremuit aliquando & discreuit, decreuitque meliora, iamq; tuus, ait amico suo: Ego iam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo seruire statui, & hoc ex hora hac in hoc loco aggredior, te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis, tantæque militiæ. Et ambo iã tui ædificabant turrim sumptu idoneo, relinquendi omnia sua, & sequendi te. Tunc Pontitianus, & qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quærẽtes eos, deuenerunt in eundem locum, & inuenientes admonuerunt, vt redirẽt, quod iam declinasset dies. At illi narrato placito & proposito suo, quoque modo in eis talis voluntas orta esset atque firmata, petiuerunt, ne sibi molesti essent, si adiungi recusarent. Isti autem nihilo mutati à pristinis, fleuerunt se tamen, vt dicebat, atque illis piè cõgratulati sunt, & commendauerunt se orationibus eorum, & trahentes cor in terram, abierunt

in palatium. Illi autem affigentes cor in cœlo, manserunt in casa. Et ambo habebant sponsas. Quæ, posteaquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipsæ virginitatem tibi. Narrabat hæc Pontitianus.

CAPVT VII.

Displicuit sibi, audito Pontitiano.

1 TV autem Domine, inter verba eius retorquebas me ad meipsum, auferens me à dorso meo, vbi me posuerā, dum nollem me attendere; & constituebas me ante faciem meam, vt viderem, quàm turpis essem, & quàm distortus, & sordidus, & maculosus, & vlcerosus. Et videbam, & horrebam, & quò à me fugerem, non erat. Et si conabar à me auertere aspectum, narrabat ille, quod narrabat. Et tu me rursus opponebas mihi, & impingebas me in oculos meos, vt † inuenirem iniquitatem meā, & odissem. Noueram eam, sed dissimulabam, & † conueniebam, & obliuiscebar. Tunc verò, quantò ardentiùs amabam illos, de quibus audiebam salubres affectus, quòd se totos tibi sanandos dederant; tantò execrabiliùs me comparatum eis oderam: Quoniam multi mei anni mecum effluxerant, forsè duodecim anni, ex quo ab vndeuigesimo

*al. viderem.
*al. assentiebā.

mo anno ætatis meæ, lecto Ciceronis Hortensio, excitatus eram studio sapiẽtiæ, & differebam, contempta fœlicitate terrena, ad eam inuestigandam vacare; cuius non inuentio, sed vel sola inquisitio iam præponẽda erat, etiam inuentis thesauris regnisque gentium, & ad nutũ circumfluẽtibus corporis voluptatibus.

2. At ego adolescens miser valde, miser in exordio ipsius adolescentiæ, etiam petieram à te castitatem, & dixeram: Da mihi castitatem & continentiam, sed noli modò. Timebam enim, ne me citò exaudires, & citò sanares à morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri, quam extingui. Et ieram per vias prauas superstitione sacrilega, non quidẽ certus in ea, sed quasi præponens eam cæteris, quæ non piè quærebam, sed inimicè oppugnabã. Et propterea putaueram me differre de die in diem, contempta spe seculi te solùm sequi, quia non mihi apparebat certũ aliquid, quò dirigerẽ cursum meum. Et venerat dies, quo nudarer mihi, & increparet me conscientia mea.

3. Vbi es lingua? Nempe tu dicebas propter incertum verũ nolle te abijcere sarcinã vanitatis. Ecce iam certũ est, & illa te adhuc premit, humerisq; liberio-

ribus

ribus pennas recipiunt;qui neque ita inquirendo attriti sunt, nec decennio & amplius ista meditati.Ita rodebar intus, & confundebar pudore horribili vehementer,cùm Pontitianus talia loqueretur.Terminato autem sermone & causa, qua venerat,abijt ille.Et ego ad me:Quę non in me dixi? quibus sententiarum verberibus non flagellaui animā meam, vt sequeretur me conātem post te ire, & renitebatur?Recusabat, & se non excusabat.Consumpta erant, & conuicta argumenta omnia.Remanserat muta trepidatio,& quasi mortem reformidabat restringi à fluxu consuetudinis, quo tabescebat in mortem.

CAPVT VIII.
In horto quid fecerit.

1 TVm in illa grandi rixa interioris domus meæ,quam fortiter excitaueram cum anima mea, in cubiculo nostro corde meo, tam vultu, quàm mente turbatus, inuado Alipium, & exclamo: Quid patimur? Quid est hoc? Quid audisti?Surgunt indocti,& cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine. An quia præcesserunt, pudet

det sequi, & non pudet nec saltem sequi?
Dixi nescio quæ talia, & abripuit me ab illo æstus meus, cùm taceret attonit⁹ me intuens. Neque enim solita sonabam: plus loquebantur animum meum, frōs, genæ, oculi, color, modus vocis, quàm verba quæ promebam.

2. Hortulus quidā erat hospitij nostri, quo nos vtebamur, sicut tota domo. Nā hospes ibi non habitabat Dominus domus. Illuc me abstulerat tumult⁹ pectoris, vbi nemo impediret ardētē litem, quam mecum aggressus eram, donec exiret, qua tu sciebas, ego autem non. Sed tantùm insaniebam salubriter, & moriebar vitaliter, gnarus quid mali essem, & ignarus quid boni post paululum futur⁹ essem. Abscessi ergo in hortū, & Alipius pedem post pedem: Neque enim secretum meum non erat, vbi ille aderat? Aut quando me sic affectum desereret? Sedimus, quantum potuimus remoti ab ædibus. Ego fremebam spiritu, indignans turbulentissima indignatione, quòd non irem in placitum & pactum tecum Deus meus, eò quòd eundum esse omnia ossa clamabant, & in cœlum tollebant laudibus, & non illuc ibatur nauibus, aut quadrigis, aut pedibus, quantum sal-

tem de domo in eum locum ieram, vbi sedebamus.

3. Nam non solùm ire, verùm etiã peruenire illuc, nihil erat aliud, quàm velle ire; sed velle fortiter & integrè; nõ semisauciam hac atque hac versare, & iactare voluntatem, hac parte assurgentem, cũ alia parte cadente, luctantem. Denique, tam multa faciebam corpore in ipsis cunctationis æstibus, quæ aliquando volunt homines, & non valent; si aut ipsa membra non habeant, aut ea vel colligata vinculis, vel resoluta languore, vel quoquo modo impedita sint. Si euulsi capillum, si percussi frontem, si consertis digitis amplexat⁹ sum genu, quia volui, feci. Potui autem velle, & non facere, si mobilitas membrorum nõ exequeretur. Tam multa ergo feci, vbi non hoc erat velle, quod posse, & non faciebam, quod & incomparabili affectu ampliùs mihi placebat, & mox, vt vellem, possem, quia mox, vt vellem, vtique vellem. Ibi enim facultas ea, quæ voluntas, & ipsum velle, iam facere erat, & tamen non fiebat. Faciliusque obtemperabat corpus tenuissimæ voluntati animæ, vt ad nutum membra mouerentur, quàm ipsa sibi anima ad voluptatem suam magnam in sola voluntate perficiendam.

CA-

CAPVT IX.

Animus quare ad bonum tardus.

1 VNde hoc monſtrum? & quare iſtud? Luceat miſericordia tua, & interrogem, ſi fortè mihi reſpondere poſſint latebræ pœnarum hominum, & tenebroſiſſimæ contritiones filiorum Adā. Vnde hoc monſtrum? & quare iſtud? Imperat animus corpori, & paretur ſtatim: imperat anim⁹ ſibi, & reſiſtitur. Imperat animus, vt moueatur manus, & tanta eſt facilitas, vt vix à ſeruitio diſcernatur imperium: Et animus animus eſt, manus aūt corpus eſt. Imperat animus, vt velit animus, nec alter eſt, nec facit tamē. Vnde hoc monſtrum? & quare iſtud? Imperat, inquam, vt velit, qui non imperaret, niſi vellet, & non fit, quod imperat.

2. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat. Nam in tātum imperat, in quantum vult: & in tātum non fit, quod imperat, in quantum non vult. Quoniā voluntas imperat, vt ſit voluntas, nec alia, ſed ipſa. Non vtique plena imperat: ideo non eſt quod imperat. Nam ſi plena eſſet, nec imperaret, vt eſſet, quia iā eſſet. Nō igitur monſtrū, partim velle, partim

nolle: sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate subleuatus, consuetudine prægrauatus. Et ideo sunt duę voluntates, quia vna earum tota non est; & hoc adest alteri, quod deest alteri.

CAPVT X.

Varia hominis voluntas.

1 PEreant à facie tua Deus, sicuti pereunt vaniloqui, & mentis seductores, qui cùm duas voluntates in deliberando animaduerterint, duas naturas duarum mentium esse asseuerant, vnam bonam, alteram malam. Ipsi verè mali sunt, cùm ista mala sentiunt, & ijdem ipsi boni erunt, si vera senserint, verisque cōsenserint, vt dicat eis Apostolus tuus; *Ephes. 5.* Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Illi enim volunt esse lux, non in Domino, sed in seipsis, putādo animæ naturam hoc esse, quod Deus est. Ita facti sunt densiores tenebræ, quoniam longiùs à te recesserunt horrenda *Ioan. 1.* arrogantia; à te vero lumine, illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum. Attendite, quid dicatis, *Psal. 33* & erubescite; & accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri nō erubescēt. Ego cùm deliberabam, vt iam seruirem Domi-

Domino Deo meo, ſicut diu diſpoſueram, ego eram, qui volebam. ego eram, qui nolebam. Ego ego eram, nec plenè volebam, nec plenè nolebam. Ideò mecum contendebam, & diſſipabar à meipſo. Et ipſa diſſipatio me inuito quidem fiebat, nec tamen oſtendebat naturam mentis alienæ, ſed pœnam meæ. Et ideò iam non ego operabar illam, ſed quod habitabat in me peccatum, de ſupplicio liberioris peccati, quia eram filius Adã. Nam ſi tot ſunt contrariæ naturæ, quot voluntates ſibi reſiſtunt: non iam duæ, ſed plures erunt. *Rom. 7.*

2. Si deliberet quiſquam, vtrum ad cõuenticulum eorum pergat, an ad theatrum, clamant iſti: Ecce duæ naturæ, vna bona hac ducit, altera mala illac reducit. Nã vnde iſta cunctatio ſibimet aduerſãtiũ voluntatũ? Ego autẽ dico ambas malas, & quæ ad illos ducit, & quæ ad theatrũ reducit. Sed non credunt niſi bonam eſſe, qua itur ad eos. Quid ſi ergo quiſquã noſtrum deliberet, & ſecũ altercantibus duabus voluntatibus fluctuet, vtrum ad theatrum pergat, an ad Eccleſiam noſtram; nonne & iſti, quid reſpondeant, fluctuabunt? Aut enim fatebuntur, quod nolunt bona voluntate pergi in Eccle-

ſiam noſtram,ſicut in eam pergunt,qui ſacramentis eius imbuti ſunt, atque detinentur:Aut duas malas naturas,& duas malas mentes in vno homine cōfligere putabunt,& non erit verū, quod ſolent dicere,vnā bonā,alterā malam: Aut cōuertentur ad verū,& non negabunt,cùm quiſq; delibérat animam vnam diuerſis voluntatibus æſtuare.Iā ergo nō dicant, cùm duas voluntates in homine vno aduerſari ſibi ſentiunt,duas cōtrarias mētes de duabus contrarijs ſubſtantijs,& de duobus contrarijs principijs contendere, vnam bonam,alteram malam.

3.Nam tu Deus verax improbas eos, & redarguis,atque cōuincis eos;ſicut in vtraq; mala voluntate,cū quiſque deliberat, vtrum hominē veneno interimat, an ferro: Vtrum fundum alienum,illum,an illum inuadat, quando vtrumque non poteſt:Vtrum emat voluptatē luxuria,an pecuniam ſeruet auaritia:Vtrum ad circum pergat,an ad theatrum, ſi vno die vtrumque exhibeatur : Addo etiam tertium,an ad furtum de domo aliena,ſi ſubeſt occaſio:Addo &quartum, an ad committendum adulterium, ſi & inde ſimul facultas aperitur, ſi omnia concurrant in vnum articulum temporis,

ris, pariterque cupiantur omnia, quæ simul agi nequeunt.

4. Discerpunt enim animum sibimet aduersantibus quatuor voluntatibus, vel etiam pluribus in tanta copia rerũ, quæ aperiuntur, nec tamen tantã multitudinẽ diuersarum substantiarum solent dicere. Ita & in bonis voluntatibus. Nam quæro ab eis, vtrum bonum sit delectari in lectione Apostoli, & vtrum bonum sit delectari Psalmo sobrio, & vtrum bonum sit Euangelium disserere? Respondebunt ad singula: Bonum. Quid si ergo pariter delectent omnia, simulque vno tempore, nonne diuersæ voluntates distendunt cor hominis, cùm deliberatur, quid potissimùm arripiamus? Et omnes bonæ sunt, & certant secum, donec eligatur vnum, quo feratur tota volũtas vna, quæ in plures diuidebatur. Ita etiã, cùm æternitas delectat superius, & temporalis boni voluptas retentat inferius, eadẽ anima est, non tota voluntate illud aut hoc volens, & ideo discerpitur graui molestia, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non ponit.

CAPVT XI.

Lucta spiritus & carnis in Augustino.

1 SIc ægrotabam & excruciabar, accusans memetipsum solito acerbiùs nimis, ac voluens, ac versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo iam exiguo tenebar, sed tenebar tamen. Et instabas tu in occultis meis Domine seuera misericordia, flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursus cessarem, & non abrumperetur idipsum exiguum & tenue, quod remanserat, & reualesceret iterũ, & me robustiùs alligaret. Dicebam enim apud me intus: Ecce modò fiat, modò fiat. Et cum verbo iam ibam in placitum. Iam penè faciebam, & non faciebam: nec relabebar tamen in pristina, sed de proximo stabã, & respirabam. Et item conabar, & paulò minùs ibi eram, & paulò minùs iam iamque attingebam & tenebam; & non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæsitans mori morti, & vitæ viuere: plusq; in me valebat deterius inolitum, quàm melius insolitum. Punctumq; ipsum temporis, quo aliud futurus eram, quanto propiꝰ admouebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem: sed non recutiebat retrò, nec auertebat, sed suspendebat.

2. Retinebant nugæ nugarũ, & vanitates vanitatũ, antiquæ amicæ meę, & succutie-

cutiebāt vestem meam carneam, & submurmurabant: Dimittis ne nos? & à momento isto non erimus tecum vltrà in æternum? & à momento isto non tibi licebit hoc & illud vltrà in æternum? Et quæ suggerebant in eo, quod dixi hoc & illud, quæ suggerebant Deus meus? auertat ab anima serui tui misericordia tua. Quas sordes suggerebant? quæ dedecora? Et audiebam eas iam lōgè minus, quàm dimidiū; non tanquam liberè cōtradicētes eūdo in obuiā, sed velut à dorso mussitātes, & discedentes quasi furtim vellicantes, vt respicerem: Retardabant tamen me recunctantem abripere, atque excutere ab eis, & transilire, quò vocabar, cùm diceret mihi consuetudo violenta: Putásne sine istis poteris?

3. Sed iam tepidissimè hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea parte, qua intēderam faciem, & quò transire trepidabā; casta dignitas cōtinentiæ, serena, & non dissolutè hilaris; honestè blandiens vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suspiciendum & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri, & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa con-

tinentia nequaquam sterilis, sed fecunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris, quod isti & istæ? An verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Proijce te in eum, noli metuere, non se subtrahet vt cadas. Proijce te securus, excipiet & sanabit te. Et erubescebã nimis, quia illarum nugarũ murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam. Et rursus illa, quasi diceret: Obsurdesce aduersus immunda illa membra tua super terram, vt mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui. Ista controuersia in corde meo, nõ nisi de me ipso aduersus meipsũ. At Alipius affixus lateri meo, inusitati motus mei exitum tacitus operiebatur

Conti-nẽtia loquitur hæc.

Psal. 118.

CAPVT XII.

Vocis admonitu quomodo totus conuersus.

1 VBi verò à fundo arcano alta consideratio contraxit, & congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens, ferens

ingen-

ingentem imbrem lachrymarũ. Et vt totũ effunderẽ cum vocibus suis, surrexi ab Alipio. Solitudo enim mihi ad negotiũ flendi aptior suggerebatur. Et secessi remotius, quàm vt posset mihi onerosa esse etiã eius præsentia. Sic tũc eram, & ille sensit, nescio quid. Aliquid enim puto dixerã, in quo apparebat son⁹ vocis meæ iam fletu grauidus, & sic surrexerã. Mansit ergo ille, vbi sedebamus, nimiè stupẽs. Ego sub quadam fici arbore straui me, nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Et tu Domine vsquequo? Vsquequo Domine irasceris in finẽ? Ne memor fueris iniquitatũ nostrarum antiquarũ. Sentiebam.n. me ab eis teneri. Iactabam enim voces miserabiles: Quamdiu? quamdiu, cras & cras? Quare non modò? quare non hac hora finis turpitudinis meæ.

Psal.6. *Psal.12.* *Ps.78 &* *Esa. 64.*

2. Dicebã hæc, & flebã amarissima cõtritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo, cũ cantu dicentis & crebrò repetentis, quasi pueri an puellæ, nescio: Tolle lege, tolle lege. Statimq; mutato vultu, intẽtissimus cogitare cœpi,

vtrū nā solerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid; nec occurrebat omnino audiuisse me vspiam. Repressoque impetu lachrymarum surrexi, nihil aliud interpretans, nisi diuinitus mihi iuberi, vt aperirē codicē, & legerē, quod primum capitulum inuenissem. Audierā enim de Antonio, quòd ex euangelica lectione, cui fortè superuenerat, admonitus fuerit, tāquam sibi
Matt.19. diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperib. & habebis thesaurū in cœlis, & veni, sequere me, & tali oraculo cōfestim ad te esse cōuersū.

3. Itaque concitus redij ad eum locum, vbi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cùm inde surrexerā. Arripui, aperui, & legi in silentio capi-
Rom.13. tulum, quo primum coniecti sunt oculi mei; Non in comessationibus, & ebrietatibus, nō in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiā ne feceritis in concupiscentijs vestris. Nec vltrà volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interiecto

aut digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi, & tranquillo iam vultu indicaui Alipio.

4. At ille, quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicauit. Petit videre, quid legissem. Ostendi, & attendit etiam vltrà, quàm ego legeram, & ignorabam, quid sequeretur. Sequebatur verò: Infirmum autem in fide recipite. Quod ille ad se retulit, mihique aperuit. Sed tali admonitione firmatus est, placitoque ac proposito bono & congruentissimo suis moribus, quibus à me in melius iam olim valde longeque distabat, sine vlla turbulenta cunctatione coniunctus est. Inde ad matrem ingredimur, indicamus, gaudet, narramus quemadmodum gestum sit. Exultat & triumphat, & benedicebat tibi, qui potens es vltrà, quàm petimus aut intelligimus facere, quia tanto amplius sibi à te concessum de me videbat, quàm petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus. Conuertisti enim ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam spem seculi huius, stās in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei reuelaueras. Et conuertisti luctum eius in gaudium multò vberius, quàm voluerat: & multò charius atque

Rom. 14.

Ephes. 3.

Psal. 29.

castius, quàm de nepotibus carnis meæ requirebat.

DIVI AVRELII Augustini Confessionum Liber Nonus.

CAPVT I.

Laudat Dei bonitatem, agnoscens suam miseriam.

Psal. 115 O Domine, ego seruus tuus, ego seruus tuus; & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacri-
Psal. 22. ficabo hostiam laudis. Laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi? Dicāt, & responde mihi; & dic animæ meæ: Sa-
Psal. 34. lus tua ego sum. Qualis ego, & qualis ego: Quid non mali ego, aut facta mea: aut si non facta, dicta mea, aut si non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem Domine bonus & misericors, & dextra tua respiciens profunditatem mortis meæ, & à fundo cordis mei exhauriens abyssū corruptionis. Et hoc erat totum nolle, quod volebas, & velle, quod nolebas.

2. Sed

2.Sed vbi erat tam annoso tempore, & de quo imo altoq; secreto euocatum est in momento liberũ arbitrium meũ, quo subderem ceruicem leni iugo tuo, *Matt.11.* & humeros leni sarcinæ tuæ Christe Iesu, adiutor meus, & redemptor meus? Quàm suaue mihi subitò factum est, carere suauitatibus nugarũ, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas: eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed nõ carni & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum: & garriebam tibi claritati meæ, & diuitijs meis, & saluti meæ, Domino Deo meo.

CAPVT II.

Deserit rhetoricæ professionem.

1 ET placuit mihi in conspectu tuo non tumultuosè abripere, sed leniter subtrahere ministerium linguæ meæ nundinis loquacitatis: ne vlterius pueri meditantes, non legem tuam, non pacem tuam, sed insanias mendaces

ces & bella forensia, mercarentur ex ore meo arma furori suo. Et opportunè iam paucissimi dies supererant ad vindemiales ferias, & statui tolerare illos, vt solēniter abscederem, & redemptus à te iam non redirem venalis. Consilium ergo nostrum erat coram te, coram hominibus autem nisi nostris non erat. Et cōuenerat inter nos, ne passim cuiquam effunderetur, quanquam tu nobis à con-
Psal. 83. Psal. 129. ualle plorationis ascendentibus, & cantantibus canticum graduum, dederas sagittas acutas, & carbones vastatores aduersus linguam subdolam, velut consulendo contradicentem, & sicut cibum assolet amando consumentem. Sagittaueras tu cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus; & exempla seruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras. Congesta in sinum cogitationis nostræ vrebant, & absumebant grauem torporem, ne in ima vergeremur. Et accēdebant nos validè, vt omnis ex lingua subdola contradictionis flatus inflammare nos acrius posset, non extinguere.

2. Verūtamē, quia propter nomē tuū, quod sanctificasti per terras, etiā laudatores

tores vtique haberet votum & propositum nostrum, iactantiæ simile videbatur, non operiri tam proximum feriarū tempus, sed de publica professione atque ante oculos omnium sita antè discedere, vt conuersa in factum meum ora cunctorum intuentium, quàm vicinum vindemialium diem præuenire voluerim, multa dicerent, quòd quasi appetissem magnus videri. Et quo mihi erat istud, vt putaretur & disputaretur de animo meo, & blasphemaretur bonum nostrum? Quinetiam, quòd ipsa æstate literario labori nimio pulmo meus cedere cœperat, & difficulter trahere suspiria, doloribusque pectoris testari se saucium, vocemque clariorem productioremue recusare, primò perturbauerat me, quia magisterij illius sarcinam, penè iam necessitate deponere cogebat, aut si curari & conualescere potuissem, certè intermittere. Sed vbi plena voluntas vacandi & videndi, quoniam tu es Deus, oborta mihi est atque firmata, nosti Deus meus: etiam gaudere cœpi, quòd hæc quoque suberat nō mendax excusatio, quæ offensionem hominum temperaret; qui propter liberos suos me liberum esse nun-

quam

quam volebant.

3. Plenus igitur tali gaudio, tolerabã illud interuallũ temporis, donec decurreret. Nescio vtrum vel viginti dies erant, sed tamen fortiter tolerabantur: quia recesserat cupiditas, quæ mecũ solebat ferre graue negocium, & ego premendus remanseram, nisi patientia succederet. Peccasse me in hoc quisquã seruorum tuorum, fratrum meorum dixerit, quòd iam pleno corde militia tua, passus me fuerim vel vna hora sedere in cathedra mendacij. At ego non contẽdo. Sed tu Domine misericordissime, nonne & hoc peccatum cum cæteris horrendis & funereis in aqua sancta ignouisti, & remisisti mihi?

CAPVT III.

Verecundus concedit illi rus suum.

1 MAcerabatur anxietudine Verecundus de isto nostro bono, quòd propter vincula sua, quibus tenacissimè tenebatur, deseri se nostro consortio videbat, nondum Christianus coniuge fideli. Ea ipsa tamen arctiore præ cæteris compede, ab itinere, quod aggressi eramus, retardabatur. Nec Christianum esse alio modo se velle dicebat, quàm illo, quo non poterat. Benignè

nignè ſanè obtulit, vt quamdiu ibi eſſemus, in rure eius eſſemus. Retribues illi Domine in reſurrectione iuſtorũ, quia iam ipſam ſortem retribuiſti ei. Quamuis enim abſentibus nobis, cùm Romæ iam eſſemus, corporali ægritudine correptus, & in ea Chriſtianus & fidelis factꝰ, ex vita hac migrauit. Ita miſertus es non ſolùm eius, ſed etiam noſtri: ne cogitantes egregiam erga nos amici humanitatem, nec eum in grege tuo numerantes dolore intolerabili cruciaremur.

2. Gratias tibi Deus noſter, tui ſumus: indicant hortationes & conſolationes tuæ, fidelis promiſſor, reddes Verecundo pro rure illo eius Caſſiciaco, vbi ab æſtu ſeculi requieuimus in te, amœnitatem ſempiternè virentis paradiſi tui; quoniã dimiſiſti ei peccata ſuper terrã, in monte incaſeato, monte tuo, monte vberi. Angebatur ergo tũc ipſe, Nebridiꝰ autem collætabatur. Quãuis enim & ipſe nondũ Chriſtianus, in illam foueam pernicioſiſſimi erroris inciderat, vt veritatis filij tui carnem phantaſma crederet, tamen inde emergens, ſic ſibi erat, nondũ vllis eccleſiæ tuæ ſacramẽtis imbutus, ſed inquiſitor ardentiſſimus verita-

ritatis. Quem non multò post conuersionem nostram, & regeneratione per baptismum tuum, ipsum etiam fidelem catholicum, castitate perfecta atq; continentia, tibi seruientem in Aphrica apud suos, cùm tota domus eius per eum Christiana facta esset, carne soluisti, & nunc ille viuit in sinu Abraham.

Luc 16.

5. Quicquid illud est, quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus viuit dulcis amicus meus, tuus autem Domine adoptiuus ex liberto filius ibi viuit. Nā quis alius tali animæ locus? Ibi viuit, vnde me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Iam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, & bibit, quantum potest, sapientiam pro auiditate sua, sine fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea, vt obliuiscatur mei, cùm tu Domine, *quem potat ille, nostri sis memor. Sic ergo eramus, Verecundum consolantes tristem, salua amicitia de tali conuersione nostra, & exhortantes ad fidem gradus sui, vitæ scilicet coniugalis. Nebridium autem operientes, quando sequeretur, quod de tam proximo poterat, & erat iam iamque facturus, cùm ecce euoluti sunt dies illi tandem

*al quo potatur.

dem. Nam longi & multi videbantur præ amore libertatis ociosæ, ad cantandũ de medullis omnibus: Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Psal. 26.

CAPVT IV.

Quæ scripserit cum Nebridio de Psalmis ac dolore dentium.

1 ET venit dies, in quo etiam actu soluerer à professione rhetorica, vnde iam cogitatu solutus eram. Et factũ est. Et eruisti linguam meam, vnde iam erueras cor meum: & benedicebam tibi gaudens, profectus in villam cum meis omnibus. Ibi quid egerim in literis, iam quidem seruientibus tibi, sed adhuc in superbiæ scholam, tanquam in pausationem anhelantibus, testantur libri disputati cum præsentibus, & cum ipso me solo coram te; quæ autem cum absente Nebridio, testantur epistolæ. Et quando mihi sufficiat tempus commemorandi omnia magna erga nos beneficia tua in illo tempore, præsertim ad alia maiora properanti? Reuocat enim me recordatio mea, & dulce mihi fit Domine confiteri tibi, quibus internis me stimulis perdomueris, & quemad-

modum

modum me complanaueris humilitatis montibus & collibus cogitationũ mearum, & tortuosa mea direxeris, & aspera lenieris. Quoque modo ipsum etiam Alipium fratrem cordis mei subegeris nomini vnigeniti tui, Domini & saluatoris nostri Iesu Christi, quòd primò dedignabatur inseri literis nostris. Magis enim eas volebat redolere gymnasiorum cedros, quas iam contriuit Dominus, quã salubres herbas ecclesiasticas aduersas serpentibus.

2. Quas tibi Deus meus voces dedi, cũ legerem Psalmos Dauid, cantica fidelia, & sonos pietatis excludentes turgidum spiritum; rudis in germano amore tuo, catechumenus in villa, cum catechumeno Alipio feriatus; matre adhærente nobis muliebri habitu, virili fide, anili securitate, materna charitate, Christiana pietate. Quas tibi voces dabam in Psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis: & accendebar eos recitare, si possem toto terrarũ orbe, aduersus typhum generis humani? Et tamen toto orbe cantantur, & non est, qui se abscondat à calore tuo. Quàm vehementi & acri dolore indignabar Manichæis; & miserabar eos rursus, quòd illa sacramenta, illa

illa medicamenta nescirent:& insani essent aduersus antidotum, quo sani esse potuissent. Vellem, vt alicubi iuxta essent ignorante me, vtrum audirent tunc, & me nesciente quòd ibi essent, intuerentur faciem meam, & audirēt voces meas, quando legi quartum Psalmum, in illo tunc ocio, quid de me fecerit ille Psalmus.

3. Cùm inuocarem, exaudisti me De⁹ iustitiæ meę in tribulatione dilatasti mihi: Miserere mei Domine, & exaudi orationē meā. Audirent ignorante me, vtrū audirent, ne me propter se illa dicere putarent, quæ inter hæc verba dixerim. Quia & reuera nec ea dicerem, nec sic ea dicerem, si me ab eis audiri viderique sētirem, nec si dicerem, sic acciperēt, quomodo mecum & mihi coram te de familiari affectu animi mei. Inhorrui timendo, ibidemque inferbui sperando, & exultando in tua misericordia pater. Et hæc omnia exibant per oculos meos & vocem meā, cùm conuersus ad nos spiritus tuus bonus, ait nobis: Filij hominū, quousq; graues corde? vt quid diligitis vanitatē, & quæritis mendaciū? Dilexerā enim vanitatē, & quæsieram mendacium. Et tu Domine iam magnificaueras

Explicatio. 4. Psalmi, Cùm inuocarem.

ras sanctum tuum, suscitans eum à mor-
Mar 16. tuis, & collocans ad dexteram tuam, vn-
Act. 2. de mitteret ex alto promissionem suam paracletum, spiritum veritatis: & miserat eum iam, sed ego nesciebam.

4. Miserat eum, quia iam magnificatus erat, resurgens à mortuis, & ascen-
Ioan. 7. dens in cœlũ. Antè aũt spiritus nondũ erat datus, quia Iesus nondum erat clarificatus. Et clamat propheta: Quousque graues corde: Vt quid diligitis vanitatẽ, & quæritis mendacium? Et scitote, quoniã Dominus mirificauit sanctum suũ. Clamat, quousque clamat, scitote? Et ego tamdiu nesciens vanitatem dilexi, & mendacium quæsiui: Et ideò audiui, & contremui, quoniam talibus dicitur, qualem mefuisse reminiscebar. In phantasmatibus enim, quas pro veritate tenueram, vanitas erat & mendacium: Et insonui multa grauiter ac fortiter in dolore recordationis meæ. Quæ vtinam audissent, qui adhuc diligunt vanitatem, & quærunt mendacium. Fortè conturbarentur, & euomuissent illud, & exaudires eos, cùm clamarent ad te: quoniam vera morte carnis mortuus est pro nobis, qui te interpellat pro nobis. Legebã, Irascimini,

& nolite peccare. Et quomodo mouebar Deus meus, qui iam didiceram irasci mihi de præteritis, vt de cætero non peccarem? Et meritò irasci, quia nō alia natura gentis tenebrarum de me peccabat, sicut dicunt, qui sibi non irascuntur, & thesaurizant sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij tui. Nec iam bona mea foris erant, nec oculis carneis in isto sole quærebantur. Volentes enim gaudere forinsecus, facilè euanescunt, & effunduntur in ea, quæ videntur, & temporalia sunt, & imagines eorum famelica cogitatione lambunt. Et, ô si fatigentur inedia, & dicant: Quis ostendet nobis bona? Et dicamus, & audiant: Signatum est in nobis lumen vultus tui Domine. Non enim lumen nos sum⁹, quod illuminat omnē hominem, sed illuminamur à te, vt qui fuim⁹ aliquando tenebræ, simus lux in te. *Ioan. 1.*

5. O si viderent internum lumen æternum, quod ego, quia gustaueram, frendebam; quoniam non eis poteram ostēdere, si afferrent ad me cor in oculis suis foris à te, & dicerent: Quis ostendet nobis bona? Ibi enim, ibi mihi iratus eram intus in cubili, vbi compunctus eram, *Ephes. 5.* *Psal. 4.*

ybi ſacrificaueram mactans vetuſtatem meam, & inchoatam meditationem renouationis meæ, ſperans in te, ibi mihi dulceſcere cœperas, & dederas lætitiam in corde meo. Et exclamabam legens hæc foris, & agnoſcens intus. Nec volebam multiplicari terrenis bonis, deuorans tempora & deuoratus temporalibus: cùm haberē in æterna ſimplicitate aliud frumentum, & vinum, & oleum.

6. Et clamabā in cōſequenti verſu clamore alto cordis mei; O in pace; O in idipſum; O quid dixit: Obdormiā & ſom-
1. Cor. 15. num capiā, quoniam, quis reſiſtet nobis, cùm fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria? Et tu es idipſum valde, qui non mutaris; & in te requies, obliuiſcens laborum omnium, quoniam nullus alius tecum. Sed nec ad alia multa adipiſcenda, quæ non ſunt quod tu; Sed tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Legebam, & ardebam, nec inueniebam, quid facerem ſurdis mortuis, ex quibus fueram peſtis, latrator amarus, & cæcus aduerſus literas de melle cœli melleas & de lumine tuo luminoſas, & ſuper ſcripturæ huius inimicos tabeſcebam, quādo recordabar omnia die-

rum

rum illorum feriatorum.

7. Sed nec oblitus sum, nec silebo flagelli tui asperitatem, & misericordiæ tuæ mirabilem celeritatem. Dolore dentiũ tũc excruciabas me; & cùm in tãtum ingrauesceret, vt non valerem loqui, ascendit in cor meum admonere omnes meos, qui aderant, vt deprecarentur te pro me, Deum salutis omnimodæ. Et scripsi hoc in cera, & dedi eis, vt legeretur. Mox, vt genua supplici affectu fiximus, fugit dolor ille. Sed quis dolor? aut quomodo fugit: Expaui fateor Domine meus, Deus meus, nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fueram. Et insinuati sunt mihi in profundo nutus tui, & gaudens in fide laudaui nomen tuum. Et ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptismum tuum remissa nondum erant.

CAPVT V.

Ambrosium consulit quid legendum.

1. RENunciaui peractis vindemialibus, vt scholasticis suis Mediolanenses venditorem verborum alium prouiderent, quòd & tibi ego seruire delegissem, & illi professioni, præ difficultate spirandi ac dolore pectoris,

non sufficerem. Et insinuaui per literas antistiti tuo, viro sancto Ambrosio, pristinos errores meos, & præsens votum meum, vt moneret, quid potissimū mihi de libris tuis legendum esset, quò percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorque fierem. At ille iussit Esaiam prophetam, credo, quòd præ cæteris euangelij vocationisque gentium sit prænunciator apertior. Veruntamen ego primam huius lectionem non intelligens, totumque talem arbitrans, distuli repetendum exercitatior in Dominico eloquio.

CAPVT VI.

Mediolani baptizatur.

Miles dat nomen, cū iurat duci suo.

1 INde, vbi tempus aduenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeauimus. Placuit & Alipio renasci in te mecum, iam induto humilitate sacramentis tuis cōgrua, & fortissimo domitori corporis, vsque ad Italicum solum glaciale nudo pede obterēdum insolito ausu. Adiunximus etiā nobis puerum Adeodatum, ex me natū carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eū. Annorū erat ferè 15. & ingenio præueniebat multos graues, & doctos viros,

ros. Munera tua tibi confiteor, Domine Deus meus, creator omnium, & multum potens reformare nostra deformia: Nam ego in illo puero præter delictum nihil habebã. Quod enim enutriebatur à nobis in disciplina tua, tu inspiraueras nobis, nullus alius. Munera tua tibi confiteor. Est liber noster, qui inscribitur de magistro: ipse ibi mecum loquitur. Tu scis illius esse sensa omnia, quæ inserũtur ibi ex persona collocutoris mei. Cũ esset in annis sedecim, multa ei⁹ alia mirabiliora expertus sum. Horrori mihi erat illud ingenium Et quis præter te talium miraculorum opifex?

2. Citò de terra abstulisti vitam eius, & securior eum recordor, nõ timens quicquam pueritiæ, nec adolescentiæ, nec omnino homini illi: Sociauimus eum coæuum nobis in gratia tua, educandum in disciplina tua: & baptizati sumus, & fugit à nobis solicitudo vitæ præteritæ. Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilij tui super salutem generis humani. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis, suaue sonantis ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur

veritas tua in cor meum, & exæstuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.

CAPVT VII.

Quæ Mediolani viderit.

1 NOn longè cœperat Mediolanensis ecclesia genus hoc consolationis & exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò ampliùs, cũ Iustina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambrosiũ persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arrianis. Excubabãt pia plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, seruo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, solicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus viuebat. Nos adhuc frigidi à calore spiritus tui excitabamur tamen ciuitate attonita atque turbata. Tunc Hymni & Psalmi vt canerentur, secundùm morem Orientalium partium, ne populus mœroris tędio contabesceret, institutum est: & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus gregibus tuis, & per cæteras orbis imitantibus.

2. Tunc memorato antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent marty-

martyrum corpora Geruasij & Protasij, *S. Protasius & Geruasius.*
quæ per tot annos incorrupta in thesau-
ro secreti tui recondideras, vnde oportu-
ne promeres, ad coërcēdam rabiem fœ-
mineam, sed regiam. Cùm enim propa-
lata & effossa digno cum honore trans-
ferrentur ad Ambrosianam basilicam,
non solùm quos immundi vexabant spi-
ritus, confessis eisdem dæmonibus sana-
bantur, verùm etiam quidam plures an-
nos cœcus ciuis ciuitatique notissimus,
cùm populi tumultuantis lætitiæ cau-
sam quæsisset atque audisset, exiliuit;
eoque se vt duceret, suum ducem roga-
uit. Quò perductus impetrauit ad-
mitti, vt sudario tangeret feretrum pre-
ciosæ in conspectu tuo mortis sancto-
rum tuorum. Quod vbi fecit, atque ad-
mouit oculis, confestim aperti sunt. *Psal. 115.*
Inde fama discurrens, inde laudes tuæ
feruenter lucentes, inde illius inimicæ a-
nimus, etsi ad credendi sanitatē non ap-
plicitus, à persequendi tamen furore cō-
pressus est. Gratias tibi Deus meus. Vn-
de, & quò duxisti recordationem meam,
vt hæc etiam confiterer tibi, quæ ma-
gna oblitus præterieram. Et tamen *Cant. 1.*
tunc, cùm ita fragraret odor vnguen-
torum tuorum, non currebamus

poſt te, & ideo plus flebam inter cantica hymnorum tuorum, olim ſuſpirans tibi; & tandem reſpirans, quantum patet aura in domo fœnea.

CAPVT VIII.

Euodij conuerſio.

Iul. 67.

1 QVi habitare facis vnanimes in domo, conſociaſti nobis & Euodium iuuenem ex noſtro municipio. Qui cùm agens in rebus militaret, prior nobis ad te conuerſus eſt, & baptizatus, & relicta militia ſeculari, accinctꝰ tua. Simul eramus, ſimul habitaturi in placito ſancto. Quærebamus, quiſnam locus nos vtilius haberet ſeruientes tibi. Pariter remeabamus in Africam. Et cùm apud oſtia Tyberina eſſemus, mater defuncta eſt. Multa pretereo, quia multum feſtino. Accipe cōfeſſiones meas, & gratiarum actiones Deus meus, de rebus innumerabilibꝰ etiam in ſilentio. Sed non præteribo, quicquid mihi anima parturit de illa famula tua, quæ me parturiuit: & carne, vt in hanc temporalem, & corde, vt in æternam lucem renaſcerer. Non eius, ſed tua dicam dona in ea. Neque enim ſeipſam fecerat, aut educauerat ſeipſam.

Monicæ mors.

2. Tu

2. Tu creasti eam, nec pater, nec mater sciebat, qualis ex eis fieret. Et erudiuit eā in timore tuo virga Christi tui, regimen vnici filij tui in domo fideli, bono mēbro ecclesiæ tuæ. Nec tantam erga suam disciplinam diligentiam matris prædicabat, quantam famulæ cuiusdam decrepitæ, quæ patrem eius infantem portauerat, sicut dorso grandiuscularum puellarum paruuli portari solent. Cuius rei gratia, & propter senectam ac mores optimos in domo Christiana satis à Dominis honorabatur. Vnde etiam curam Dominicarum filiarum cōmissam sibi diligenter gerebat, & erat in eis coërcendis, cùm opus esset, sancta seueritate vehemens, atque in docendis sobria prudentia. Nam eas præter illas horas, quibus ad mensam parentum moderatissimè alebantur, etiamsi exardescerent siti, nec aquam bibere sinebat, præcauens consuetudinem malam, & addens verbum sanum: Modò aquam bibitis, quia in potestate vinum non habetis: cū aūt ad maritos veneritis, factæ Dominæ apothecarum & cellariorum, aqua sordebit, sed mos potandi præualebit.

3. Hac ratione præcipiendi & autoritate imperandi frenabat auiditatem te-

nerioris ætatis, & ipsam puellarũ sitim formabat ad honestum modum; vt iam nec liberet, quod non deceret. Et surrepserat tamen, sicut mihi filio famula tua narrabat, surrepserat ei vinolentia. Nam cùm de more tanquam puella sobria iuberetur à parentibus de cuppa vinum depromere, submisso poculo, qua desuper patet, priusquam in laguncula m funderet merum, primoribus labris sorbebat exiguum, quia non poterat amplius sensu recusante. Non enim vlla temulenta cupidine faciebat hoc, sed quibusdam superfluentibus ætatis excessibus, qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus animis maiorum pondere premi solent.

3. Itaque ad illud modicum quotidiana modica addendo (quoniam qui modica spernit, paulatim decidit) in eam consuetudinem lapsa erat, vt propè iam plenos mero caliculos inhianter hauriret. Vbi tunc sagax anus, & vehemens illa prohibitio? Nunquid valebat aliquid aduersus latentem morbum, nisi tua medicina Domine vigilaret super nos? Absente patre & matre & nutritoribus, tu præsens qui creasti, qui vocas, qui etiam per præpositos homines boni aliquid

Eccli. 19.

quid

quid agis ad animarum salutem, quid tunc egisti Deus meus? Vnde curasti? Vnde sanasti? Nonne protulisti durum & acutum ex altera anima conuicium, tanquam medicinale ferrum, ex occultis prouisionibus tuis, & vno ictu putredinem illam præcidisti?

4. Ancilla enim, cum qua solebat accedere ad cuppam, litigans cum Domina minore, vt fit, sola cum sola, obiecit hoc crimen amarissima insultatione, vocans meribibulam. Quo illa stimulo percussa, respexit fœditatem suam, confestimque damnauit, atque exuit. Sicut amici adulantes peruertunt, sic inimici litigantes plerunque corrigunt. Nec tu, quod per eos agis, sed quod ipsi voluerunt, retribues eis. Illa enim irata exagitare appetiuit minorē Dominā, non sanare, & ideo clanculò, aut quia ita eas inuenerat locus & tēp⁹ litis: aut ne fortè & ipsa periclitaretur, quod tam serò prodidisset. At tu Domine rector cœlitum & terrenorū, ad vsus tuos contorquens profunda torrētis, fluxū seculorū ordinans turbulentum, etiam de alterius animæ insania sanasti alterā. Ne quisquam cùm hoc aduertit, potentiæ suæ tribuat, si verbo eius alius corrigatur, quē vult corrigi.

CAPVT IX.

Monica qualis erga maritum.

1 EDucata itaque pudicè ac sobriè, potiusque à te subdita parentibus, quã à parentibus tibi, vbi plenis annis nubilis facta est, tradita viro seruiuit veluti Domino; & sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem, atque mirabilem viro. Ita autẽ tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam simultatem. Expectabat enim misericordiam tuam super eum, vt in te credens castificaretur. Erat verò ille præterea, sicut beneuolentia præcipuus, ita ira feruidus. Sed nouerat hæc non resistere irato viro, non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Iã verò refracto & quieto, cùm opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si fortè ille inconsideratius commotus fuerat.

Prudens vxor, & Christiana describitur.

2. Denique cùm matronæ multæ, quarum viri mitiores erant, plagarum vestigia etiam dehonestata facie gererẽt, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam; hæc earum linguam, veluti per iocum, grauiter admonens;

ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales vocantur, recitari audiſſent, tanquam inſtrumenta, quibus ancillę factæ eſſent, deputare debuiſſe: proinde memores cōditionis, ſuperbire aduerſus dominos nō oportere. Cumque mirarentur illæ, ſcientes, quàm ferocem coniugem ſuſtineret, nunquam fuiſſe auditum, aut aliquo indicio claruiſſe, quòd Patricius ceciderit vxorem, aut quòd à ſe inuicem vel vnum diem domeſtica lite diſſenſerint, & cùm cauſam familiariter quærerent, docebat illa inſtitutum ſuum, quod ſuprà memoraui. Quæ obſeruabant, expertæ gratulabantur: quæ non obſeruabant, ſubiectæ vexabantur. *Patricius pater Augustini.*

3. Socrū etiam ſuam, primò ſuſurris malarum ancillarum aduerſus ſe irritatam, ſic vicit obſequijs, perſeuerans tolerantia & manſuetudine, vt illa vltrò filio ſuo medias linguas famularum proderet, quibus inter ſe & nurum pax domeſtica turbabatur, expeteretque vindictam. Itaq; poſteaquam ille & matri obtemperans, & curās familiæ diſciplinā, & cōcordiæ ſuorū conſulēs, proditas ad prodentis arbitriū verberib⁹ coërcuit, promiſit illa talia de ſe pręmia ſperare debere, quęcūq; de ſua nuru ſibi, quo

placeret, mali aliquid loqueretur: nullaque iam audente, memorabili inter se beneuolentiæ suauitate vixerunt. Hoc quoque illi bono mancipio tuo, in cuius vtero me creasti, Deus meus misericordia mea, munus grande donaueras, quod inter dissidentes atque discordes quaslibet animas, vbi poterat, tam se præbebat pacificam, vt cùm ab vtraque multa de inuicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque indigesta discordia, quando præsenti amicæ de absente inimica per acida colloquia cruditas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret.

4. Paruum hoc bonum mihi videretur; nisi turbas innumerabiles tristis experirer, nescio qua horrenda pestilentia peccatorũ latissimè peruagante, non solũ iratorũ inimicorũ iratis inimicis dicta prodere, sed etiã quæ non dicta sunt addere, cũ contrà animo humano parum esse debeat inimicitias hominũ nec*exagitare, nec augere malè loquendo: nisi eos etiam extinguere bene loquẽdo studuerit; qualis illa erat, docente te magistro intimo in schola pectoris. Denique etiam virum suum, iam in extrema vita

*excitare.

tempo-

temporali eius, lucrata est tibi, nec in eo iam fidelis planxit, quod in nondum fideli tolerauerat. Erat etiam serua seruorum tuorum.

5. Quisquis eorum nouerat eam, multum in ea laudabat & honorabat, & diligebat te: quia sentiebat præsentiam tuã in corde eius sanctæ conuersationis fructibus testibus. Fuerat enim vnius viri vxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suã piè tractauerat, in operibus bonis testimonium habebat. Nutrierat filios, totiẽs eos parturiens, quotiens à te deuiare cernebat. Postremò, nobis Domine omnibus, qui ex munere tuo sinis loqui seruis tuis, qui ante dormitionẽ eius in te iam consociati viuebamus percepta gratia baptismi tui, ita curã gessit, quasi oẽs genuisset: ita seruiuit, quasi ab omnibus genita fuisset.

CAPVT X.

Colloquium cum matre de regno cœlorum.

1 IMminente autem die, quo ex hac vita erat exitura, quem diem tu noueras ignorantibus nobis, prouenerat (vt credo) procurãte te occultis tuis modis, vt ego & ipsa soli staremus incumbentes ad quandam fenestram, vnde hortus

intra

intra domum, quæ nos habebat, prospectabatur, illuc apud ostia Tyberina, vbi remoti à turbis, post longi itineris laborem, instaurabamus nos nauigationi. Colloquebamur ergo soli valde dulciter, & præterita obliuiscentes, in ea,
Phil. 1. quæ antè sunt extenti, quærebamus inter nos apud præsentem veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita æterna san-
1. Cor. 2. ctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vitæ, qui est a-
Psal. 25. pud te, vt inde pro captu nostro aspersi, quoquo modo rem tantam cogitarem⁹.

2. Cumque ad eum finem sermo perduceretur, vt carnalium sensuum delectatio quantalibet, in quantalibet luce corporea, præ illius vitæ iucunditate, nõ comparatione, sed nec commemoratione quidem digna videretur, erigentes nos ardentiore affectu in idipsum, perãbulauimus gradatim cuncta corporalia, & ipsum cœlum, vnde sol & luna, & stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius cogitando, & loquendo te, & mirãdo opera tua: Et venimus ad mentes nostras, & transcẽdimus eas, vt attingerem⁹ regionẽ vbertatis indefic

deficientis; vbi pascis Israel in æternum veritatis pabulo; & vbi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, & quæ fuerunt, & quę futura sunt. Et ipsa nō fit, sed sic est, vt fuit, & sic erit semper, cùm potiùs fuisse, & futurum esse, non est in ea, sed esse solùm, quoniam æterna est. Nam fuisse, & futurum esse, non est æternum. Et dum loquimur & inhiamus illi, attingimus eam modicè toto ictu cordis, & suspirauimus, & reliquimus ibi religatas primitias spiritus, & remeauimus ad strepitū oris nostri, vbi verbū & incipitur, & finitur. Et quid simile verbo tuo Domino nostro, in se permanenti sine vetustate, atque innouāti omnia?

3. Dicebamus ergo: Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiæ terræ, & aquarum, & aëris. Sileant & poli, & ipsa sibi anima sileat, & transeat se non se cogitando. Sileant somnia & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, & omne signum, & quicquid transeundo fit, si cui sileat omnino. Quoniam, si quis audiat, dicunt hæc omnia: Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos, qui manet in æternum. Psal. 99. His dictis, si iam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum, qui fecit ea, & loquatur ipse solus, non per ea, sed

per

per seipsum, vt audiamus verbum eius, non per linguam carnis, neque per vocē angeli, nec per sonitū nubis, nec per ænigma similitudinis, sed ipsum, quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem, si continuetur hoc, & subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat & absorbeat & recondat in interiora gaudia spectatorem suum, vt talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspirauim⁹.
Matt. 25. Nonne hoc est; Intra in gaudium Domini tui? Et istud quando?

4. An cùm omnes resurgemus, sed nō
I. Cor. 15. omnes immutabimur? Dicebamus talia, & si non isto modo, & his verbis, tamen Domine tu scis, quòd illo die cùm talia loqueremur, & mūd⁹ iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis. Tūc ait illa: Fili, quātū ad me attinet, nulla iā re delector in hac vita. Quid hic faciā adhuc, & cur hic sim nescio, iā consumpta spe huius seculi. Vnū erat, propter quod in hac vita aliquantū immorari cupiebam: vt te Christianum Catholicum viderem, priusquam morerer. Cu-

rer. Cumulatiùs hoc mihi Deus meus præstitit, vt te etiam, contempta fœlicitate terrena, seruum eius videam. Quid hic facio?

CAPVT XI.
De ecstasi & morte matris.

1 AD hæc ei quid responderim, non satis recolo. Cùm intereà vix intra quinque dies, aut non multò amplius, decubuit febribus. Et cùm ęgrotaret quodam die, defectum animæ passa est, & paululum subtracta à præsentibus. Nos concurrimus, sed citò reddita est sensui; & aspexit astantes me & fratrem meum, & ait nobis, quasi quærenti similis. Vbi eră? Deinde nos intuens mœrore attonitos, ponetis hic (inquit) matrem vestram. Ego silebam, & fletum frenabă: Frater autem meus quiddam locut⁹ est, quo eam non peregrè, sed in patria sua defungi tanquam fœlicius optaret. Quo audito, illa vultu anxio reuerberans eum oculis, quòd talia saperet, atque inde me intuens: Vide, ait, quid dicit. Et mox ambobus: Ponite (inquit) hoc corpus vbicũque, nihil vos eius cura conturbet. Tantum illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei, vbi fueritis. *Cura sepulchri.*

2. Cum-

2. Cumque hanc sententiam, verbis quibus poterat, explicasset, conticuit, & ingrauescente morbo exercebatur. Ego verò cogitans dona tua Deus meus inuisibilis, quæ immittis in corda fidelium tuorum, & proueniũt inde fruges admirabiles, gaudebam, & gratias agebam tibi, recolens quòd noueram, quanta cura semper æstuasset de sepulchro, quod sibi prouiderat & præparauerat iuxta corpus viri sui. Quia enim valde concorditer vixerant, id etiam volebat, vt est animus humanus minùs capax diuinorum, adiungi ad illam fœlicitatem, & commemorari ab hominibus, concessum sibi esse post transmarinam peregrinationem, vt coniuncta terra amborum coniugum terra tegeretur.

3. Quando autem ista inanitas plenitudine bonitatis tuæ cœperat in eius corde non esse, nesciebam, & lætabar admirans, quòd sic mihi aperuisset: quãquam & illo sermone nostro ad fenestram, cùm dixit: Iam quid hic facio? non apparuit desiderare in patria mori. Audiui etiam postea, quòd iam cùm Ostijs essemus, cum quibusdam amicis meis materna fiducia colloquebatur quodam die de contẽptu vitæ huius & bono mortis,

vbi

vbi ipse non aderam: Illisque stupentibus virtutem feminæ, quam tu dederas ei; quærentibusque vtrum non formidaret tam longè à sua ciuitate corpus relinquere; Nihil (inquit) longè est Deo; neque timendum est, ne ille non agnoscat in fine seculi, vnde me resuscitet. Ergo die nono ægritudinis suæ, quinquagesimo & sexto anno ætatis suæ, trigesimo & tertio ætatis meæ, anima illa religiosa & pia corpore soluta est.

CAPVT XII.

Quomodo luxerit mortem matris.

1 PRemebam oculos eius, & cõfluebat in præcordia mea mœstitudo ingẽs, & transfluebat in lachrymas; ibidemque oculi mei, violento animi imperio, resorbebant fontem suum vsque ad siccitatem, & in tali luctamine valde malè mihi erat. Tum verò, vbi efflauit extremum spiritũ, puer Adeodatus exclamauit in planctum, atq; ab omnibus nobis coërcitus tacuit. Hoc modo etiam* meũ quiddam puerile, quod labebatur in fletus, iuuenili voce cordis coërcebatur, & tacebat. Neque enim decere arbitrabamur, funus illud questibus lachrymosis gemitibusque celebrare:

*in eum.

re:quia his plerunq; solet deplorari quędam miseria morientiū, aut quasi omnimoda extinctio. At illa nec miserè moriebatur, nec omnino moriebatur. Hoc & documentis morum eius, & fide non ficta, rationibusque certis tenebamus.

2. Quid ergo erat, quod intus mihi grauiter dolebat, nisi ex consuetudine simul viuēdi dulcissima & charissima, repētè dirupta, vuln' recēs. Gratulabar quidē testimonio eius, quòd in ea ipsa vltima ægritudine, obsequijs meis interblādiēs, appellabat me piū, & cōmemorabat grandi dilectionis affectu, nūquā se audisse ex ore meo iaculatū in se durū, aut cōtumeliosum sermonē. Sed tamē, quid tale Deus meus, qui fecisti nos, quid cōparabile habebat honor à me delatus illi, & seruitus ab illa mihi? Quoniā itaque deserebar tam magno eius solatio, sauciabatur anima mea, & quasi dilaniabatur vita, quę vna facta erat ex mea & illius.

Pius Augustinus.

3. Cohibito ergo à fletu illo puero, Psalterium arripuit Euodius, & cantare cœpit Psalmū, cui respondebamus omnis domus: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Audito aūt quid ageretur, cōuenerunt multi fratres ac religiosæ feminæ: Et de more illis, quorum

Psal. 100

rũ officiũ erat, funus curantibus, ego in parte, vbi decenter poterã, cũ eis, qui me non deserẽdũ esse censebant, quod erat tẽpori congruũ disputabã, eoque somẽto veritatis mitigabã cruciatũ tibi notũ, illis ignorantibus, & intentè audientib⁹, & sine sensu doloris me esse arbitrantibus. At ego in auribus tuis, vbi eorũ nullus audiebat, increpabam molliciem affectus mei, & constringebã fluxũ mœroris. Cedebatque mihi paululum, rursusque impetu suo ferebatur, non vsque ad eruptionem lachrymarum, nec vsque ad vultus mutationem; sed ego sciebam, quid corde premerem. Et quia mihi vehementer displicebat, tãtum in me posse hæc humana, quæ ordine debito & sorte conditionis nostræ accidere necesse est, alio dolore dolebam dolorem meũ, & duplici tristitia macerabar.

4. Cũ ecce corpus elatũ est, imus, & redimus sine lachrymis. Nã neq; in eis precib. quas tibi fudim⁹, cùm tibi offerretur pro ea Sacrificiũ pretij nostri, iuxta sepulchrũ posito cadauere, priusquã deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precib. ego fleui, sed toto die grauiter in occulto mœst⁹ erã: & mẽte turbata rogabã te, vt poterã, quo sanares dolorẽ meũ, *Missa pro defunctis.*

nec

nec faciebas, credo commendans memoriæ meæ, vel hoc vno documẽto omnis consuetudinis vinculũ, etiam aduersus mẽtẽ, quæ iã non fallaci verbo pascitur. Visum etiã mihi est, vt irẽ lauatũ, quòd audierã inde balneis nomẽ inditũ, quia Græci βαλανεῖον dixerint, quòd anxietatẽ pellat ex anima. Ecce, & hoc confiteor misericordiæ tuæ pater orphanorum, quoniam laui, & talis erã, qualis priùs, antequam lauissem. Neque enim exudauit de corde meo mœroris amaritudo.

5. Deinde dormiui & euigilaui, & non parua ex parte mitigatum inueni dolorem meum. Atque vt eram in lecto meo solus, recordatus sum veridicos versus Ambrosij tui. Tu es enim

Ambrosij carmen.

Deus creator omnium,
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem soporis gratia,
Artus solutos vt quies
Reddat laboris vsui,
Mentesque fessas alleuet,
Luctusque soluat anxios.

Atque inde paulatim reducebam in pristinum sensum ancillam tuam, conuersationemque eius piam in te & sanctam, in nos blandam atque morigeram,

rigeram, qua subitò destitutus sum: Et libuit flere in cõspectu tuo de illa & pro illa, de me & pro me. Et dimisi lachrymas, quas continebam, vt effluerent quantum vellent, substernens eas cordi meo, & requieui in eis, quoniam ibi erant aures tuæ, non cuiusquam hominis superbè interpretãtis ploratum meum.

6. Et nunc Domine confiteor tibi in literis, legat, qui volet & interpretetur, vt volet. Et si peccatum inuenerit fleuisse me matrem exigua parte horæ, matrem oculis meis interim mortuam, quæ me multos annos fleuerat, vt oculis tuis viuerẽ: non irrideat, sed potiùs, si est grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipse ad te patrem omnium fratrum Christi tui.

CAPVT XIII.

Orat pro matre defuncta.

1 EGo autem iam sanato corde ab illo vulnere, in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi Deus noster pro illa famula tua longè aliud lachrymarum genus, quod maneat de concusso spiritu, consideratione periculorũ omnis animæ, quæ in Adam moritur. Quanquam illa in Christo viuificata, 1. Cor. 15.

cata, etiam nondum à carne resoluta sic vixerat, vt laudetur nomen tuum in fide moribusque eius: Non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore ei⁹
Matt. 5. contra præceptum tuum. Et dictum est à veritate, filio tuo: Si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Vt vę etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ. Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua. O si cognoscant se homines, homines: & qui
2. Cor. 10. gloriatur, in Domino glorietur.

2. Ego itaq; laus mea & vita mea, De⁹ cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te; exaudi me per medicinā vulnerum nostrorum, quę pepēdit in ligno, & sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatā, & ex corde dimisisse debita debi-
Mat 6. torib. suis: dimitte illi & tu debita sua. Si qua etiā cōtraxit per tot annos post aquā salutis, dimitte Domine, dimitte obsé-

cro:

cro: ne intres cũ ea in iudicium. *Superexaltet misericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus. Quod vt essent, tu dedisti eis: qui misereberis, cui misertus eris, & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Et credo iam feceris, quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine.

*Superexultet.

3. Namque illa imminente die resolutionis suæ, non cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulchrum patrium. Non ista mandauit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit; cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrariũ nobis, qua triumphatus est hostis; computans delicta nostra; & quærens quid obijciat: & nihil inueniẽs in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet precium, quo nos emit, vt nos offerat ei? ad cuius precij nostri sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei.

Oratio pro defunctis ad altare.

Col. 2.

4. Nemo à protectione tua di-

rumpat eam. Non se interponat, nec vi, nec insidijs leo & draco. Neque enim respondebit illa nihil se debere, ne conuincatur & obtineatur ab accusatore callido: sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem nulli nupta est: Cui seruiuit, fructum tibi afferens cum tolerantia, vt eũ quoque lucraretur tibi. Et inspira Domine Deus meus, inspira seruis tuis, fratribus meis, filijs tuis, Dominis meis: quibus & voce, & corde, & literis seruio; vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio, quõdam eius coniuge: per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodũ nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, & fratrum meorum sub te patre in matre Catholica, & ciuiũ meorum in æterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui; ab exitu vsque ad reditum; vt quod à me illa poposcit extremum, vberius ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quàm per orationes meas.

DIVI AVRELII Auguſtini Confeſsionum Liber Decimus.

CAPVT I.

Confeſsio cordis.

COgnoſcam te Domine cognitor
meus, cognoſcam te, ſicut & à te 1.Cor.13.
cognitus ſum. Virtꝰ animę meæ
intra in eam, & coapta tibi, vt habeas, &
poſſideas ſine macula & ruga. Hæc eſt Ephes.5.
mea ſpes, ideo loquor, & in ea ſpe gaudeo,
quando ſanè gaudeo. Cætera verò
vitæ huius tantò minùs flenda, quantò
magis fletur: & tantò magis flenda, quã-
tò minùs fletur in eis. Ecce enim verita-
tem dilexiſti, quoniam qui facit eã, ve- Pſal. 50.
nit ad lucem. Volo eam facere in corde
meo coram te in confeſſione, in ſtylo
autem meo coram multis teſtibus.

CAPVT II.

Deo nota arcana.

Heb.4.
1 ET tibi quidem Domine, cuius ocu-
lis nuda eſt abyſſus humanæ con-
ſcientiæ, quid occultum eſſet in me,

etiam si nollem confiteri tibi? Te enim mihi absconderem, non me tibi. Nunc autem, quòd gemitus meus testis est, displicere me mihi, tu refulges, & places, & amaris, & desideraris; & erubescam de me, & abijciam me, atque eligam te, & nec tibi, nec mihi placeam, nisi de te.

2. Tibi ergo Domine manifestus sum, quicunque sim; & quo fructu tibi confitear, dixi: Neque enim id ago verbis carnis & vocibus, sed verbis animæ & clamore cogitationis, quem nouit auris
Psal. 5. tua. Cùm enim malus sum, nihil est aliud confiteri tibi, quàm displicere mihi: Cùm verò prius; nihil est aliud confiteri tibi, quàm hoc non tribuere mihi: quoniã tu Domine benedicis iustũ, sed prius eum iustificas impium. Confessio itaque mea Deus meus in conspectu tuo tibi tacitè fit, & non tacitè: tacet enim strepitu, clamat affectu. Neque enim dico recti aliquid hominibus, quod non à me tu prius audieris; aut etiam tu aliquid tale audis à me, quod non prius mihi tu dixeris.

CAPVT III.

Confeßio malorum ad quid conducat.

1 Quid

1 QVid mihi ergo est cum hominibus, vt audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes lāguores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendā suam. Quid à me quærunt audire, qui sim, qui nolunt à te audire, qui sint? Et vnde sciunt, cùm à meipso de meipso audiunt, an verum dicam, quandoquidē nemo scit hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Si autem à te audiant de seipsis, non poterunt dicere, mētitur Dominus. Quid est enim à te audire de se, nisi cognoscere se? Quis porrò cognoscit, & dicit, falsum est, nisi ipse mentiatur? Sed quia charitas omnia credit, inter eos vtique, quos connexos sibimet vnum facit, ego quoque Domine etiam sic tibi cōfiteor, vt audiant homines, quibus demonstrare non possum, an vera confitear, sed credunt mihi, quorum mihi aures charitas aperit.

1. Cor. 2.

1. Cor. 13.

2. Veruntamen tu medice meus intime, quo fructu ista faciam, eliqua mihi. Nam confessiones præteritorum malorum meorum, quæ remisisti & texisti, vt beares me in te, mutans animam meam fide & sacramento tuo, cùm leguntur & audiun-

audiuntur, excitant cor, ne dormiat in desperatione, & dicat, non possum: sed euigilet in amore misericordiæ tuæ, & dulcedine gratiæ tuæ, qua potens est omnis infirmus, qui sibi per ipsam fit conscius infirmitatis suæ. Et delectat bonos audire præterita mala eorum, qui iam carent eis, nec ideo delectat, quia mala sunt, sed quia fuerunt, & non sunt.

3. Quo itaque fructu Domine Deus meus, cui quotidie confitetur conscientia mea, spe misericordiæ tuæ securior, quàm innocentia sua: Quo fructu, quæso, etiam hominibus coram te confiteor per has literas, adhuc quis ego sim, non quis fuerim. Nam illum fructum vidi, & commemoraui. Sed quis adhuc sim, ecce in ipso tempore cõfessionum mearum, & multi hoc nosse cupiunt, qui me nouerunt, & non me nouerunt, qui ex me, vel de me aliquid audierunt, sed auris eorum non est ad cor meũ, vbi ego sum, quicunq; sum. Volunt ergo audire confitentem me, quid ipse intus sim; quo nec oculũ, nec aurẽ, nec mentem possunt intendere, credituri tamen volunt, nũquid cogituri: Dicit enim eis charitas, qua boni sunt, non mentiri me de me confitentem, & ipsa in eis credit mihi.

CA-

CAPVT IV.

Quòd magni sint fructus confessionis.

1 SEd quo fructu id volunt? An congratulari mihi cupiunt, cùm audierint, quantum ad te accedam munere tuo, & orare pro me, cùm audierint quantum retarder pondere meo? Indicabo me talibus. Non enim paruus est fructus Domine Deus meus, vt à multis tibi gratiæ agantur de nobis, & à multis rogeris pro nobis. Amet in me fraternus animus, quod amandum doces; & doleat in me, quod dolendum doces: Animus ille hoc faciat fraternus, non extraneus, non filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera *Psal. 143.*
iniquitatis, sed fraternus ille, qui cùm approbat me, gaudet de me; cùm autem improbat me, contristatur pro me, quia siue approbet me, siue improbet, diligit me: Indicabo me talibus: respicient in bonis meis, suspirent in malis meis. Bona mea instituta tua sunt, & dona tua: mala mea, delicta mea sũt, & iudicia tua. Respirent in illis, suspirent in his. Et hymnus & fletus ascendant in conspectum tuum de fraternis cordibus thuribulis tuis.

2. Tu autem Domine delectatus odo- *Psal. 50.*

re sancti templi tui, miserere mei secundùm magnam misericordiam tuā, propter nomen tuum, & nequaquam deserens cœpta tua, consumma imperfecta mea. Hic est fructus confessionum mearum, non qualis fuerim, sed qualis sim, vt hoc confitear, non tantùm coram te secreta exultatione cum tremore, & secreto mœrore cum spe, sed etiam in auribus credentium filiorum hominum, sociorum gaudij mei, & * consortium mortalitatis meæ, ciuium meorum, & mecum peregrinorum, præcedētium, & consequentium, & comitum vitæ meæ.

*consortum.

3. Hi sunt serui tui fratres mei, quos filios tuos esse voluisti; dominos meos, quibus iussisti, vt seruiam, si volo tecum de te viuere. Et hoc mihi verbum tuum parum erat, si loquendo præciperet, nisi & faciendo præiret. Et ego id ago factis & dictis, id ago sub alis tuis nimis cum ingenti periculo, nisi quia sub alis tuis tibi subdita est anima mea, & infirmitas mea tibi nota est. Paruulus sum, sed viuit semper pater meus, & idoneus est mihi tutor meus. Idem ipse est enim, qui genuit me, & tuetur me, & tuipse es omnia bona mea, tu omnipotens, qui mecum es, & priusquam tecum sim.

Indica-

Indicabo ergo talibus, qualibus iubes, vt ſeruiam, non quis fuerim, ſed quis iam ſim, & quis adhuc ſim. Sed neque meipſum dijudico: Sic itaque audiar. 1. Cor. 4.

CAPVT V.

Hominem ſeſe totum non noſſe, Deum in ænigmate cognoſcere.

1 TV enim Domine dijudicas me, quia & ſi nemo ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt: tamen eſt aliquid hominis, quod nec ipſe ſcit ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Tu autē ſcis eius omnia, qui feciſti eum. Ego verò quamuis præ tuo conſpectu me deſpiciam, & æſtimem me terram & cinerem; tamen aliquid de te ſcio, quod de me neſcio. Et certè nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, nōdum facie ad faciem. Et ideo quamdiu peregrinor abs te, mihi ſum præſentior, quàm tibi, & tamen te noui nullo modo poſſe violari. Ego verò quibus tentationibus reſiſtere valeam, quibuſue non valeam, neſcio. 1. Cor. 1. 1 Cor. 13. 2 Cor. 5.

2. Et ſpes eſt, quia fidelis es, qui nos nō ſinis tētari ſuprà quàm poſſumus ferre, ſed facis cum tentatione etiam exitum, 1. Cor. 10.

vt possimus sustinere. Confitear ergo, quid de me sciam, confitear, & quid de me nesciam. Quoniam, & quod de me scio, te mihi lucente scio: & quod de me nescio, tamdiu nescio, donec fiant tenebræ meæ, sicut meridies in vultu tuo.

CAPVT VI.

Deus quid sit, & quomodo cognoscitur.

1 NOn dubia, sed certa cõsciẽtia, Domine, amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cœlũ & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce vndiq; mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnib. vt sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis, cui misertus eris, & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin cœlum & terra surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cùm te amo? Nõ speciem corporis, nec decus temporis, non candorem lucis, ecce istis amicum oculis; non dulces melodias cantilenarum omnimodarũ, non florum & vnguentorum & aromatum suaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus.

Psal. 145.

Rom. 1.

2. Non hæc amo, cùm amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem,

&

& quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ meę, quod nō capit locus; & vbi sonat, quod nō rapit tēpus, & vbi olet, quod non spargit flatus; & vbi sapit, quod non minuit edacitas; & vbi hæret, quòd non diuellit satietas. Hoc est, quod amo, cùm Deum meum amo. Et quid est hoc? Interrogaui terram, & dixit: Non sum, & quæcunque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogaui mare & abyssos, & reptilia animarum viuarum, & respōderunt: Non sumus Deus tuus, quære super nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuersus aër cum incolis suis; fallitur Anaximenes, non sum Deus. Interrogaui cœlum, solem, lunam, & stellas, neque nos sumus Deus, quem quæris, inquiunt.

3. Et dixi ex omnibus his, quæ circunstant fores carnis meæ: Dixistis mihi de Deo meo, quòd vos non estis, dicité mihi de illo aliquid. Et exclamauerunt voce magna, Ipse fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea, & respōsio eorū, species eorū. Et direxi me ad me, &

dixi mihi: Tu qui es? Et respondi, homo. Et ecce corpus & anima in me mihi prę-stò sunt, vnum exterius & alterum interius. Quid horum est, vnde quærere debui Deum meum, quem iam quæsiuerā per corpus à terra vsque ad cœlum, quousque potui mittere nuncios, radios oculorum meorum? Sed melius, quod interius est. Ei quippe renunciabant omnes nuncij corporales, præsidenti & iudicanti de singulis responsionibus cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, dicentium: Non sumus Deus, sed ipse fecit nos: Homo interior cognouit hæc per exterioris ministeriū; Ego interior cognoui hæc, ego animus per sensus corporis mei.

4. Interrogaui mundi molem de Deo meo, & respondit mihi: Non ego sum, sed ipse me fecit. Nonne omnibus, quibus integer sensus est, apparet hæc species? Cur non omnibus eadem loquitur? Animalia pusilla & magna vident eā, sed interrogare nequeunt. Nō enim prę-posita est in eis nunciantibus sensib⁹ iudex ratio. Homines aūt possūt interrogare, vt inuisibilia Dei, per ea quę facta sūt, intellecta cōspiciāt. Sed amore subdūtur eis, & subditi iudicare non possūnt.

Rom. 1.

Nec

Nec reſpondent iſta interrogantibus, niſi iudicantibus; nec vocem ſuam mutant, id eſt, ſpeciem ſuam, ſi alius tantùm videat, alius autem videns interroget, vt aliter illi appareat, aliter huic; ſed eodem modo vtriſque apparens, illi muta eſt, huic loquitur: Imò verò omnibus loquitur; ſed illi intelligunt, qui eius vocem acceptam foris, intus cum veritate conferunt. Veritas enim dicit mihi: Non eſt Deus tuus cœlũ & terra, neq; omne corpus. Hoc dicit eorum natura videti: moles minor eſt in parte, quàm in toto. Iam tu melior es, tibi dico anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbẽs ei vitã, quod nullum corpus præſtat corpori, Deus autem tuus etiam tibi vitæ vita eſt.

CAPVT VII.

Corporea virtute Deus non inuenitur.

1 QVid ergo amo, cùm Deum meum amo? Quis eſt ille ſuper caput animæ meæ? Per ipſam animam meam aſcendam ad illum. Tranſibo vim meam, qua hæreo corpori, & vitaliter compagem eius repleo. Non ea vi reperio Deum meum; nam reperiet equus & mulus, quib. non eſt intellectus; *Pſal. 31.*
&

& eſt eadem vis, qua viuunt etiam eorũ corpora.

2. Eſt alia vis non ſolùm qua viuifico, ſed etiam qua ſenſifico carnem meam, quam mihi fabricauit Dominus; iubens oculo, vt non audiat, & auri, vt non videat: ſed illi, per quem videam; huic per quam audiam: & propria ſigillatim cæteris ſenſibus ſedibus ſuis, & officijs ſuis, quæ diuerſa per eos ago vnus ego animus. Tranſibo & iſtam vim meã. Nã & hanc habet equus & mulus, ſentiunt enim etiam ipſi per corpus.

CAPVT VIII.
Memoriæ vis.

1 TRanſibo ergo & iſtam vim naturę meæ, gradibus aſcendens ad eum, qui fecit me cũ ea: & venio in campos & lata prætoria memoriæ meæ, ybi ſunt theſauri innumerabiliũ imaginũ de huiuſcemodi rebus* ſenſis inuectarũ. Ibi reconditum eſt, quicquid etiam cogitam⁹, vel augendo, vel minuendo, vel vtcunq; variãdo ea, quæ ſenſ⁹ attigerit, & ſi quid aliud cõmendatũ & repoſitum eſt, quod nondũ abſorbuit & ſepeliuit obliuio. Ibi quando ſum, poſco, vt proferatur

* al. inuẽtarum.

quic-

quicquid volo; & quædam ſtatim prodeunt, quædam requiruntur diutius, & tanquam de abſtruſioribus quibuſdam receptaculis eruuntur, quædam cateruatim ſe proruunt; & dum aliud petitur & quæritur, proſiliunt in medium quaſi dicentia: Ne fortè nos ſumus? Et abigo ea manu cordis à facie recordationis meæ, donec enubiletur illud, quod volo, atque in conſpectum prodeat ex abditis. Alia faciliter atque imperturbata ſerie, ſicut poſcuntur, ſuggeruntur; & cedunt præcedentia conſequentibus, & cedendo conduntur, iterum cùm voluero proceſſura. Quod totum fit, cùm aliquid narro memoriter.

2. Ibi ſunt omnia diſtinctè generatimque ſeruata, quæ ſuo quæq; aditu ingeſta ſunt, ſicut lux, atque omnes colores, formæque corporum per oculos; per aures autē, omnia genera ſonorū: omneſque odores, per aditum nariū, omneſque ſapores, per auris aditum, ad ſenſum autem totius corporis, quid durum, quid molle, quid calidū, frigidūue, lene aut aſperū, graue ſeu leue, ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus corpori. Hæc omnia recipit recolenda, cū opus eſt, & retractāda grandis memoriæ receſſus. Et neſcio, qui

ſecreti

secreti atque ineffabiles sinus eius, quæ omnia suis quæq; foribus intrant ad eã, & reponuntur in ea. Nec ipsa tamen intrant sed rerum sensarum imagines illic præstò sunt cogitationi reminiscẽti eas.

3. Quæ quomodo fabricatæ sint, quis dicit, cùm appareat, quibus sensibus raptæ sint, interiusque reconditæ? Nam & in tenebris, atque in silentio dũ habito, in memoria mea profero, si volo, colores, & discerno inter album & nigrũ, & inter quos alios volo: Nec incurrũt soni atq; perturbant, quod per oculos haustũ considero; cùm & ipsi ibi sint, & quasi seorsum repositi lateant. Nam & ipsos posco, si placet, atque adsunt ilicò: Et quiescente lingua ac silente gutture, cãto quantum volo; imaginesq; illæ colorum, quæ nihilominus ibi sunt, non se interponunt, neque interrumpunt, cùm thesaurus alius retractatur, qui influxit ab auribus. Ita cætera, quæ per sensus cæteros ingesta atque congesta sunt, recordor, prout libet. Et auram liliorum discerno à violis, nihil olfaciens; & mel defruto, lene aspero, nihil tunc gustando neque contrectando, sed reminiscendo antepono. Intus hæc ago, in aula ingenti memoriæ meæ.

Defretũ est vinũ ex duabus partibus, ad tertiã deferuescẽdo redactũ. Nonius Marcellus.

4. Ibi

4. Ibi enim mihi cœlum & terra & mare præstò sunt cum omnibus quæ in eis sentire potui, præter illa quæ oblitus sum. Ibi & ipse mihi occurro, meq́; recolo, quid, quando, vel vbi egerim, quoq́; modo, cùm agerem, affectus fuerim. Ibi sunt omnia, quæ siue experta à me, siue credita memini. Ex eadem copia etiam similitudines rerum, vel expertarum, vel ex eis, quas expertus sum creditarũ alias atque alias, & ipse contexto præteritis, atque ex his etiã futuras actiones, & euenta, & spes, & hæc omnia rursus quasi præsentia meditor. Faciã hoc aut illud, dico apud me, in ipso ingenti sinu animi mei, pleno tot & tantarum rerum imaginibus, & hoc aut illud sequetur. O si esset hoc aut illud! Auertat Deus hoc, aut illud. Dico apud me ista. Et cùm dico, præstò sunt imagines omnium quæ dico, ex eodem thesauro memoriæ, nec omnino aliquid eorum dicerem, si defuissent.

5. Magna ista vis est memoriæ, magna nimis Deus me⁹, penetrale amplũ & infinitũ. Quis ad fundũ eius peruenit? Et vis est hæc animi mei, atq; ad meã naturã pertinet: nec ego ipse capio totũ, quod sum. Ergo animus ad habendũ seipsum angu-

angustus est, vt ibi sit quod sit non capiat. Nunquid extra ipsum, an non in ipso? Quomodo ergo non capit?

6. Multa mihi super hoc oboritur admiratio, stupor apprehendit me. Et eunt homines mirari alta montium, & ingẽtes fluctus maris, & latissimos lapsus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros syderum, & relinquunt seipsos, nec mirantur. Quin hæc omnia, cùm dicerem, non ea videbam oculis, nec tamen dicerem, nisi montes & fluctus & flumina & sidera, quæ vidi, & Oceanum, quem credidi, intus in memoria mea viderem spacijs tamen ingentibus, quasi foris viderem: Nec ea tamen videndo absorbui, quando vidi oculis; nec ipsa sunt apud me, sed imagines eorum. Et noui, quid ex quo sensu corporis impressum sit mihi.

CAPVT IX.

Memoria disciplinarum.

1 SEd non ea sola gestat immensa ista capacitas memoriæ meæ. * Hic sunt & illa omnia, quæ de doctrinis liberalibus præcepta nondum exciderunt; quasi remota interiore loco, non loco, nec eorum imagines, sed res ipsas

*al. hinc.

gero

gero. Nam quid ſit literatura, quid peritia diſputandi, quot genera quęſtionum, quicquid horum ſcio, ſic eſt in memoria mea, vt non retenta imagine rem foris reliquerim: aut ſonuerit & præterierit, ſicut vox impreſſa per aures veſtigio, quo recolitur, quaſi ſonaret, cùm iã non ſonaret: Aut ſicut odor, dum tranſit & euaneſcit in ventos, olfactum afficit: vnde traijcit in memoriam imaginem ſui, quam reminiſcendo repetamus: Aut ſicut cibus, qui certè in ventre iam non ſapit, & tamen in memoria quaſi ſapit; Aut ſicut aliquid, quod corpore tangendo ſentitur, quod etiam ſeparatum à nobis imaginatur memoria. Iſtæ quippe res non intromittuntur ad eam, ſed earum ſolæ imagines mira celeritate capiuntur, & miris tanquam cellis repo- nuntur, & mirabiliter recordando proferuntur.

CAPVT X.

Senſus res tradunt memoriæ.

1 AT verò cùm audio tria genera eſſe quæſtionum, an ſit, quid ſit, quale ſit, ſonorum quidem, quibus hæc verba confecta ſunt, imagines teneo, & eos per auras cum ſtrepitu tranſiſſe, ac

iam non esse scio. Res verò ipsas, quæ illis significantur sonis, neque vllo sensu corporis attingi, nec vspiam vidi præter animum meum, & in memoria mea recondidi, non imagines earum, sed ipsas. Quæ vnde ad me intrauerint, dicãt, si possunt. Nam percurro ianuas omnes carnis meæ, nec inuenio, quæ earum ingressæ sint.

2. Quippe oculi dicunt: Si coloratæ sunt, nos eas nunciauimus. Aures dicũt: Si sonuerunt, à nobis indicatæ sunt. Nares dicunt: Si oluerunt, per nos transierunt. Dicit etiã sensus gustandi; Si sapor non est, nihil me interroges. Tact⁹ dicit: Si corpulentum non est, nõ cõtrectaui: si non contrectaui, non indicaui. Vide vnde & quà hæc intrauerunt in memoriã meã? Nescio quomodo. Nam cùm ea didici, non credidi alieno cordi, sed in meo recognoui, & vera esse approbaui, & commendaui ei tanquam reponens, vnde proferrem, cùm vellem. Ibi ergo erant, & antequam ea didicissem, sed in memoria non erant. Vbi ergo? aut quare cùm dicerentur, agnoui & dixi: Ita est, & verum est, nisi quia iam erant in memoria, sed tam remota, & retrusa, quasi in caueis abditioribus; vt nisi admonẽte

aliquo

aliquo eruerentur, ea fortasse cogitare non possem.

CAPVT XI.

Species rerum in anima.

1 QVocirca inuenimus, nihil esse aliud discere ista, quorum non per sensus haurimus imagines, sed sine imaginibus, sicuti sunt, per seipsa intus cernim⁹; nisi ea, quæ passim atq; indispositè memoria continebat, cogitando quasi colligere, atque animaduertendo curare: vt tanquam ad manum posita in ipsa memoria, vbi sparsa priùs & neglecta latitabant, iam familiari intentioni facilè occurrant.

2. Et quàm multa huiusmodi gestat memoria mea, quæ iam inuenta sunt, & sicut dixi, quasi ad manum posita, quæ didicisse & nosse dicimur. Quæ si modò de istis temporū interuallis recolere desiuero, ita rursus demerguntur, & quasi in remotiora penetralia dilabuntur, vt denuò velut noua excogitāda sint in idē iterū. Neq; enim est alia regio eorum, & cogenda rursus, vt sciri possint, id est, velut ex quadam dispersione colligēda, vnde dictū est cogitare. Nā cogo & cogito, sic est, vt ago, & actito, facio & factito.

to. Veruntamen ſibi animus hoc verbi propriè vindicauit, vt non quod alibi, ſed quod in animo colligitur, id eſt, cogitur, cogitari propriè iam dicatur.

CAPVT XII.
Mathematicorum memoria.

1 ITem continet memoria numerorum dimenſionumque rationes & leges innumerabiles, quarum nullam corporis ſenſus impreſſit, quia nec ipſæ coloratæ ſunt, aut ſonant, aut olent, aut guſtatæ, aut contrectatæ ſunt. Audiui ſonos verborum, quibus ſignificantur, cùm de his diſſeritur: ſed illi alij, iſtæ autem aliæ ſunt. Nam illi aliter græcè, aliter latinè ſonant: iſtæ verò res, nec græcè, nec latinè ſunt, nec aliud eloquiorum genus.

2. Vidi lineas fabrorum, vel etiam tenuiſſimas, ſicut filum araneæ: ſed illæ aliæ ſunt; non ſunt imagines earum, quas mihi nunciauit carnis oculus. Nouit eas, quiſquis ſine vlla cogitatione qualiſcunque corporis, intus agnouit eas. Senſi etiam numeros omnibus corporis ſenſibus, quos numeramus; ſed illi alij ſunt, quibus numeramus; nec imagines iſtorum ſunt, & ideò valde

valde sunt. Rideat me ista dicentem, qui eos non videt, & ego doleam ridentem me.

CAPVT XIII.

Affectionum memoria.

1 HAEc omnia memoria teneo, & quomodo ea didicerim, memoria teneo. Multa etiam, quæ aduersus hæc falsissimè disputantur, audiui, & memoria teneo; quæ tametsi falsa sunt, tamen ea meminisse me non est falsũ, & discreuisse me inter illa vera & hæc falsa, quæ contradicuntur. Et hoc memini. Aliterq́; nunc video discernere me ista, aliter aũt memini sæpe me discreuisse, cũ ea sæpe cogitarem. Ergo & intellexisse me sæpius ista memini, & quod nũc discerno & intelligo, recondo in memoria, vt postea me nũc intellexisse meminerim. Ergo & meminisse me memini, sicut postea quòd hęc reminisse nũc potui, si recordabor, vtiq; per vim memoriæ recordabor.

2. Affectiones quoque animi mei eadẽ memoria continet, nõ illo modo, quo eas habet ipse animus, cũ patitur eas, sed alio multum diuerso, sicut sese habet vis memoriæ. Nã & lætatum me fuisse re-

miniſcor non lætus, & triſtitiam meam præteritam recordor non triſtis. Et me aliquando timuiſſe, recolo ſine timore, & priſtinæ cupiditatis ſine cupiditate ſum memor. Aliquando è contrario, triſtitiam meam tranſactam lætus reminiſcor, & triſtis lætitiam meam.

CAPVT XIV.

Læta non læti quomodo recordamur.

Animus pro memoria.

1 QVod mirandum non eſt de corpore. Aliud enim animus, aliud corpus. Itaque ſi præteritum dolorem corporis gaudens memini, non ita mirum eſt. Hic verò cùm animus ſit etiam ipſa memoria. Nam & cùm mandamus aliquid, vt memoriter habeatur, dicimus: vide, vt illud in animo habeas. Et cùm obliuiſcimur, dicimus, fuit in animo, & elapſum eſt animo, ipſam memoriam vocantes animum. Cũ ergo ita ſit, quid eſt hoc, quòd cùm triſtitiam meam præteritam lætus memini, animus habet lætitiam, & memoria triſtitiam; lætuſque eſt animus, ex eo quòd ineſt ei lætitia, memoria verò, ex eo quòd ineſt ei triſtitia, triſtis non eſt? Num fortè non pertinet ad animũ? Quis hoc dixerit? Nimirũ ergo memoria,-

moria, quasi venter est animi; lętitia verò atque tristitia, quasi cibus dulcis & amarus, cùm memoriæ commendantur, quasi traiecta in ventrem, recondi illic possunt, sapere non possunt. Ridiculum est hæc illis similia putare, nec tamen sunt omnimodo dissimilia.

2. Sed ecce de memoria profero, cũ dico quatuor esse perturbationes animi, cupiditatem, lætitiam, metum, tristitiã, & quicquid de his disputare potuero, diuidendo singula per species sui cuiusque generis, & definiendo; ibi inuenio quid dicam, atque inde profero: nec tamen vlla earum perturbatione perturbor, cùm eas reminiscendo commemoro, & antequam recolerentur à me, & retractarentur, ibi erant, propterea inde per recordationem potuere depromi. Fortè ergo, sicut de ventre cibus ruminando, sic ista de memoria recordando proferuntur. Cur igitur in ore cogitationis non sentitur à disputante, hoc est, à reminiscẽte lætitię dulcedo vel amaritudo mœstitię? An in hoc dissimile est, quod non vndique simile est? Quis enim talia volẽs loqueretur, si quoties tristitiam metumue nominam⁹, toties mœrere vel timere cogeremur? Et tamen non ea loquere-

mur, nisi in memoria nostra, non tantùm sonos nominum secundùm imagines impressas sensibus corporis, sed etiã rerum ipsarum notiones inueniremus, quas nulla ianua carnis accepimus, sed eas ipse animus per experiẽtiam passionum suarum sentiens memoriæ commendauit; aut ipsa sibi hæc etiam non commendata retinuit.

CAPVT XV.

Etiam quæ absunt meminimus.

1 SEd vtrum per imagines, an non, quis facilè dixerit? Nomino quippe lapidem, nomino solem, cùm res ipsæ non adsunt sensibus meis, in memoria sanè mea præstò sunt imagines earum. Nomino dolorem corporis, nec mihi adest, dum nihil dolet; Nisi tamen adesset imago eius in memoria mea; nescirem, quid dicerem, nec eum in disputando à voluptate discernerem.

2 Nomino salutem corporis, cùm saluus sum corpore, adest mihi quidem res ipsa; veruntamẽ nisi & imago eius inesset in memoria mea, nullo modo recordarer, quid huius nominis significaret sonus: Nec ægrotantes agnoscerent salute nominata, quid esset dictũ, nisi eadẽ ima-

imago vi memoriæ teneretur, quamuis ipsa res abesset à corpore. Nomino numeros, quibus numeramus: Et adsunt in memoria mea, non imagines eorum, sed ipsi. Nomino imaginem solis, & hæc adest in memoria mea. Neq; enim imaginem imaginis eius, sed ipsam recolo, ipsa mihi reminiscenti præstò est. Nomino memoriam, & agnosco, quod nomino. Et vbi agnosco, nisi in ipsa memoria? Num & ipsa per imaginem suam sibi adest, ac non per seipsam?

CAPVT XVI.

Et obliuionis memoria est.

1 QVid, cùm obliuionem nomino, atque itidem agnosco, quod nomino, vnde agnoscerem, nisi meminissem? Non eundem sonum nominis dico, sed rem quam significat. Quam si oblitus essem, quid ille valeret son⁹, agnoscere vtiq; non valerem. Ergo cùm memoriam memini, per seipsam sibi præstò est ipsa memoria: cũ verò memini obliuionẽ & memoriã, præstò est & obliuio; memoria, qua meminerim; obliuio, qua non meminerim. Sed quid est obliuio, nisi

priuatio memoriæ? Quomodo ergo adeſt, vt eã meminerim, quando cùm adeſt, meminiſſe nõ poſſum? At, ſi quid meminimus, memoria retinemus: obliuionẽ autem niſi meminiſſemus, nequaquam poſſemus audito iſto nomine, rem, quæ illo ſignificatur ſono, agnoſcere. Memoria retinetur obliuio. Adeſt ergo, ne obliuiſcamur; quę cùm abeſt, obliuiſcimur. An ex hoc intelligitur, non per ſeipſam ineſſe memoriæ, cùm eam meminimus; ſed per imaginem ſuam? Quia ſi per ſeipſam præſtò eſſet obliuio, non vt meminiſſem⁹, ſed vt obliuiſceremur, efficeret.

2. Et hoc quis tandem indagabit? Quis comprehendet, quomodo ſit? Ego certè Domine laboro hic, & laboro in meipſo; factus ſum mihi terra difficultatis, & ſudoris nimij. Neque enim nunc ſcrutamur plagas cœli, aut ſyderum interualla dimetimur, vel terræ libramenta quærimus. Ego ſum, qui memini, ego animus. Non ita mirum, ſi à me longè eſt, quicquid ego non ſum. Quid autem propinquius meipſo mihi? Et ecce memoriæ meæ vis non comprehenditur à me, cùm ipſum me non dicam præter illam. Quid enim dicturus ſum, quando mihi certum eſt meminiſſe me obli-

uio-

uionem? An dicturus sum non esse in memoria mea, quod memini? An dicturus sum ad hoc inesse obliuionem in memoria mea, vt non obliuiscar? Vtrumque absurdissimum est.

3. Quid illud tertium? Quo pacto dicã imaginẽ obliuionis teneri in memoria mea, non ipsam obliuionem, cùm tam memini? Quo pacto & hoc dicam, quandoquidem cùm imprimitur rei cuiusquam imago in memoria, priùs necesse est, vt adsit res ipsa, vnde illa imago possit imprimi? Sic enim Carthaginis memini; sic omniũ locorum, quibus interfui; sic facies hominum, quos vidi, & cæterorum sensuũ nunciata; sic ipsius corporis salutem siue dolorem. Cùm præstò essent ista, cœpit ab eis imagines memoria, quas intuerer præsentes, & retractarẽ animo, cùm illa & absẽtia reminiscerer. Si ergo per imaginem suam, non per seipsam in memoria tenetur obliuio, ipsa vtique aderat, vt eius imago caperetur. Cùm autem adesset, quomodo imaginẽ suam in memoria conscribebat, quando id etiam, quod iam notatum inuenit, præsentia sua delet obliuio? Et tamen quocunque modo, licèt sit modus iste incomprehensibilis & inexplicabilis,

etiam ipsam obliuionem meminisse me certus sum; qua id, quod meminerimus, obruitur.

CAPVT XVII.

Humanæ memoriæ vis triplex.

1 MAgna ista vis est memoriæ. Nescio quid horrẽdũ De⁹ me⁹, profũda & infinita multiplicitas, & hoc animus est, & hoc ego ipse sum. Quid ergo sum Deus meus? Quæ natura sum? Varia multimoda vita, & immensa vehementer. Ecce in memoriæ meæ campis & antris, & cauernis innumerabilibus, atque innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus; siue per imagines, sicut omnium corporum, siue per præsentiam, sicut artium, siue per nescio quas notiones, vel notationes, sicut affectionum animi, quas & cùm animus non patitur, memoria tenet, cùm in animo sit, quicquid est in memoria. Per hæc omnia discurro & volito; hac atque illac penetro etiam quantum possum, & finis nusquam. Tanta vis est memoriæ, tanta vitæ vis est in homine viuente mortaliter.

2. Quid igitur agam, tu vera mea vita Deus meus? Transibo & hanc vim meã, quæ

quæ memoria vocatur? transibo eā, vt perueniam ad te dulce lumen. Quid dicis mihi? Ecce ego ascendens per animum meum ad te, qui desuper mihi manes. Transibo & istam vim meam, quæ memoria vocatur, volens te attingere, vnde attingi potes, & inhærere tibi, vnde inhæreri tibi potest. Habent enim memoriam & pecora, & aues, alioquin non cubilia, nidosue repeterent, nō alia multa, quibus assuescunt; neque enim & assuescere valerent vllis rebus, nisi per memoriam. Transibo ergo & memoriā, vt attingam eum, qui separauit me à quadrupedibus & volatilibus cœli, sapientiorē me fecit. Transibo & memoriam. Et vbi te inueniam verè bone, & secura suauitas. Et vbi te inueniam?

CAPVT XVIII.

Reminiscentia.

1 SI præter memoriam meam te inuenio, immemor tui sum. Et quomodo iam inueniam te, si memor non sum tui? Perdiderat enim mulier dragmam, & quæsiuit eam cum lucerna, & nisi memor eius esset, non inuenisset eam. Cum enim esset inuenta, vnde sciret, vtrum *Lucæ 15.*

ipsa esset, si memor eius non esset? Multa memini me perdita quæsisse, atque inuenisse. Vnde istud scio? Quia cùm quærerem aliquid eorum, & diceretur mihi, nunquid fortè hoc est, num fortè illud? Tamdiu dicebam, non est, donec id offerretur, quod quærebam. Cuius nisi memor essem, quicquid illud esset, etiam si mihi offerretur, non inuenirem, quia non agnoscerem. Et semper ita fit, cùm aliquid perditum quærimus, & inuenimus.

2. Veruntamē, si fortè aliquid ab oculis perit, non à memoria, veluti corpus quodlibet visibile, tenetur intus imago ei9, & quæritur, donec reddatur aspectui. Quod cùm inuentum fuerit, ex imagine, quæ intus est, recognoscitur. Nec inuenisse nos dicimus quod perierat, si nō agnoscimus: nec agnoscere possumus, si non *inuenimus, sed hoc perierat quidē oculis, memoria tenebatur.

*Meminimus.

CAPVT XIX.

Quid sit reminisci.

QVid cùm ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit, cùm obliuiscimur, & quærimus, vt recordemur: vbi tandem quærimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio fortè offeratur,

ratur,

ratur, respuimus, donec illud occurrat, quod quærimus, & cùm occurrerit, dicimus, hoc est, quod non diceremus, nisi agnosceremus, nec agnosceremus, nisi meminissemus. Certè ergo obliti fueramus. An non totum exciderat? Sed ex parte qua tenebatur, pars alia quærebatur, quia sentiebat se memoria non simul voluere, quod simul solebat, & quasi detruncata consuetudine claudicans, reddi, quod deerat, flagitabat. Tanquam si homo notus, siue conspiciatur oculis, siue cogitetur, & nomen eius obliti requiramus, quicquid aliud occurrerit, nō connectitur, quia non cum illo cogitari consueuit, ideoque respuitur, donec illud adsit, vbi simul assuefacta notitia non inæqualiter acquiescat. Et vnde adest, nisi ex ipsa memoria? Nam & cùm ab alio commoniti recognoscimus, inde adest. Non enim quasi nouum credimus, sed recordantes approbamus hoc esse, quod dictum est. Si autem penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimodo adhuc obliti sumus, quod vel oblitos nos esse meminimus. Hoc ergo nec amissum quærere poterimus, quod omnino obliti fueramus.

CAPVT XX.

Beatitudinem appetunt omnes.

1 QVomodo ergo te quæro Domine? Cùm enim te Deum meum quæro, vitam beatam quæro. Quæram te, vt viuat anima. Viuit enim corpus meum de anima mea, & viuit anima mea de te. Quomodo ergo quæro vitam beatam? quia non est mihi, donec dicam, sat est illic, vbi oportet, vt dicam. Quomodo eã quæro? Vtrum per recordationem, tanquam eam oblitus sim, oblitumque me esse adhuc teneam? An per appetitũ discendi incognitam, siue quam nunquam scierim, siue quam sic oblitus fuerim, vt me nec oblitum esse meminerim? Nonne ipsa est beata vita, quam omnes volũt; & omnino, qui nolit, nemo est? Vbi nouerunt eam, quod sic volunt eam? Vbi viderunt, vt amarent eam? Nimirum habemus eam, nescio quomodo. Et est alius quidã modus, quo quisque cùm habet eam, tunc beatus est. Et sunt, qui spe beati sunt. Inferiore modo isti habent eam, quàm illi, qui iã reipsa beati sunt, sed tamẽ meliores quàm illi, qui nec re, nec spe beati sunt. Qui tamẽ etiam ipsi,

nisi

nisi aliquo modo haberent eam, non ita vellent beati esse, quòd eos velle certissimum est.

2. Nescio quomodo nouerunt eam. Ideoq; habent eam nescio qua notitia, de qua satago, vtrum in memoria sit, qui si ibi est, iam beati fuimus aliquando. Vtrum sigillatim omnes, an in illo homine, qui primus peccauit, in quo & omnes mortui sumus, & de quo omnes cum miseria nati sumus, non quæro nunc, sed quæro, vtrum in memoria sit beata vita. Neque enim amaremus eam, nisi nossemus. Audimus nomen hoc, & rem ipsam omnes nos appetere fatemur. Non enim sono delectamur. Nam hoc cùm Latinè audit Græcus, non delectatur, quia ignorat quid dictum sit, nos autem delectamur. Sicut etiam ille, si Græcè hoc audierit: quoniam res ipsa nec Græca, nec Latina est; cui adipiscendæ Græci Latinique inhiant, cæterarũque linguarũ homines. Nota est igitur omnibus; quia vna voce si interrogari possent, vtrum beati esse vellent, sine vlla dubitatione velle responderent. Quod non fieret, nisi res ipsa, cuius hoc nomen est, eorum memoria teneretur.

CAPVT XXI.

Meminimus & eorum, quæ nunquam habuimus.

1 NVnquid ita, vt meminit Carthaginem, qui vidit? Nō. Vita enim beata non videtur oculis, quia non est corpus. Nunquid sicut meminimus numeros? Non. Hos enim qui habet in notitia, non adhuc quærit adipisci: Vitam verò beatam habemus in notitia, ideoque amamus, & tamen adhuc adipisci eam volumus, vt beati simus. Nunquid sicut meminimus eloquentiam? Non. Quamuis enim & hoc nomine audito recordētur ipsam rem, qui etiam nondum sunt eloquentes, multique esse cupiant, vnde apparet eam esse in eorum notitia; tamē per corporis sensus alios eloquentiores animaduerterunt, & delectati sunt, & hoc esse desiderant; *quanquam, nisi in exteriore notitia, non delectarentur, neque hoc esse vellent, nisi delectarentur. Beatam verò vitam nullo sensu corporis in alijs experimur.

*al. qua.

2. Nunquid sicut meminimus gaudium? Fortasse ita. Nam gaudium meum etiam tristis memini, sicut vitam beatam miser. Neque vnquam cor-

corporis sensu gaudium meum vel vidi, vel audiui, vel odoratus sum, vel gustaui, vel tetigi, sed expertus sum in animo meo, quādo lætatus sum, & adhæsit ei⁹ notitia memoriæ meæ, vt id reminisci valeam aliquando cum aspernatione, aliquando cum desiderio, pro earum rerum diuersitate, de quibus me gauisum esse memini. Nam & de turpibus gaudio quodam perfusus sum, quod nunc recordans detestor atque execror. Aliquando de bonis, & honestis, quod desiderans recolo, tametsi forte non adsunt, & ideò tristis gaudium pristinum recolo. Vbi ergo, & quando expertus sum vitam meam beatam, vt recorder eam, & amem, & desiderem? Nec ego tantùm, aut cum paucis, sed beati prorsus omnes esse volumus. Quod nisi certa notitia nossemus, non tam certa voluntate vellemus.

3. Sed quid est hoc? Quòd si quæratur à duobus, vtrum militare velint, fieri possit, vt alter eorum velle se, alter nolle respondeat. Si autem ab eis quæratur, vtrum beati esse velint, fieri possit, vt vterq; statim se sine vlla dubitatione dicat optare: nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud iste nolit, nisi vt beati sint.

Nam

Nam fortè, quoniam alius hinc, alius inde gaudet, ita se omnes beatos esse velle consonant, quemadmodum consonarēt, si hoc interrogarentur, se velle gaudere, atque ipsum gaudium vitam beatam vocant. Quod & si alius hinc, alius illinc assequitur, vnum est tamen quò peruenire omnes nituntur, vt gaudeant. Quæ quoniam res est, quam se expertum nō esse nemo potest dicere, propterea reperta in memoria recognoscitur, quando beatæ vitæ nomen auditur.

CAPVT XXII.

Verum gaudium.

1 ABsit Domine, absit à corde serui tui, qui confitetur tibi; absit, vt quocūque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impijs, sed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es: Et ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est enim, & non est altera. Qui autem aliam putant esse, aliud sectantur gaudium, neque ipsum verum. Ab aliqua tamen imagine gaudij voluntas eorum non auertitur.

CA-

CAPVT XXIII.

Beata vita quid, & vbi.

1 NOn ergo certum est, quòd omnes
esse beati volunt;quoniam qui nō
de te gaudere volunt,quæ sola vita bea-
ta est,non vtique vitam beatam volūt.
An omnes hoc volunt?Sed quoniam ca- *Gal.5.*
ro concupiscit aduersus spiritum,& spi-
ritus aduersus carnem, vt non faciant,
quod volunt,cadunt in id,quod valent,
eoque contenti sunt;quia illud,quod nō
valent,non tantùm volunt,quantum sat
est,vt valeant. Nam quæro ab omnibus,
vtrum malint de veritate,quàm de falsi-
tate gaudere? Tā non dubitant dicere,de
veritate se malle;quàm non dubitant di- *Ioan.14.*
cere,beatos esse se velle.Beata quippe vi- *Psal.26.*
ta est,gaudium de veritate.Hoc est enim
gaudium de te,qui veritas es. Deus illu-
minatio mea, salus faciei meæ, Deus
meus.Hanc vitā beatā omnes volūt, hāc
vitā,quæ sola beata est, omnes volunt,
gaudiū de veritate omnes volūt.Multos
expertus sum,qui vellēt fallere;qui autē
falli,neminem. Vbi ergo nouerunt hāc
vitam beatam,nisi vbi nouerunt etiam
veritatem? Amant enim & ipsam,quia

falli nolunt. Et cùm amant beatam vitã, quod nõ est aliud quàm de veritate gaudium, vtique amant etiam veritatem; Nec amarent, nisi esset aliqua notitia eius in memoria eorum.

2. Cur ergo non de illa gaudent? Cur non beati sunt? Quia fortius occupantur in alijs, quæ potius eos faciunt miseros: quàm illud beatos, quod tenuiter meminerunt. Adhuc enim modicum lumen est in hominibus; Ambulent, ambulent, ne eos tenebræ comprehendant. Cur autem veritas parit odium, & inimicus eis factus est homo tuus verum prædicans, cùm ametur beata vita, quæ nõ est nisi gaudium de veritate, nisi quia sic amatur veritas, vt quicunq; aliud amant, hoc quod amant, velint esse veritatẽ. Et quia falli nolunt, nolunt conuinci, quòd falsi sint? Itaque propter eam rem oderũt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt, & fallere volũt, amant eam, cùm seipsam indicat, & oderunt eam, cùm eos ipsos indicat. Inde retribueretur eis, vt qui se ab ea manifestari nolunt, & eos nolentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta. Sic sic etiam, sic animus humanus, etiam

Ioan. 12.

sic

ſic cæcus & languidus, turpis atque indecens latere vult, ſed autem vt lateat, aliquid non vult. Contrà illi redditur, vt ipſe non lateat veritatem, ipſum autem veritas lateat. Tamen etiam ſic dum miſer eſt, veris mauult gaudere quàm falſis. Beatus ergo erit, ſi nulla interpellante moleſtia, de ipſa, per quam vera ſunt omnia, ſola veritate gaudebit.

CAPVT XXIV.

Deum quoque continet memoria.

ECce quantum ſpaciatus ſum in memoria mea, quærens te Domine, & non te inueni extra eam. Neque enim aliquid de te inueni, quod non meminiſſem, ex quo didici te. Nam ex quo didici te, non ſum oblitus tui. Vbi enim inueni veritatem, ibi inueni Deum meum, ipſam veritatem, quam, ex quo didici, non ſum oblitus. Itaque ex quo didici te, manes in memoria mea, & illic te inuenio, cùm reminiſcor tui, & delector in te. Hæ ſunt ſanctæ deliciæ meæ, quas donaſti mihi miſericordia tua, reſpiciens paupertatem meam.

CAPVT XXV.

In quo memoriæ gradu reperiatur Deus.

1 SEd vbi manes in memoria mea, tu Domine? Vbi illic manes? Quale cubile fabricasti illic tibi? Quale sanctuarium ædificasti tibi? Tu dedisti hanc dignationem memoriæ meæ, vt maneas in ea, sed in qua eius parte maneas, hoc considero. Transcendi enim partes eius, quas habent & bestię, cùm te recordarer, quia non ibi te inueniebam inter imagines rerum corporalium; & veni ad partes eius, vbi commendaui affectiones animi mei, nec illic inueni te. Et intraui ad ipsius animi mei sedem, quæ illic est in memoria mea, quoniam sui quoque meminit animus: nec ibi tu eras: quia sicut non es imago corporalis, nec affectio viuentis, qualis est, cùm lætamur, contristamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliuiscimur, & quicquid huiusmodi est, ita nec ipse animus es, quia Dominus Deus animi tu es. Et commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis manes super omnia, & dignatus es habitare in memoria mea, ex quo te didici. Et quid quæro, quo lo-

co eius habites, quasi verò loca ibi sint? Habitas certè in ea, quoniam tui memini, ex quo te didici, & in ea te inuenio, cùm recordor te.

CAPVT XXVI.

Vbi inuenitur Deus.

1 VBi ergo te inueni, vt discerem te? Neque enim iam eras in memoria mea, priusquam te discerem. Vbi ergo inueni te, vt discerem te, nisi in te supra me? Et nusquam locus, & recedimus & accedimus, & nusquam locus. Vbique veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus, etiam diuersa consulentibus. Liquidè tu respõdes, sed non liquidè omnes audiũt. Omnes, vnde volunt, consulunt; sed nõ semper, quod volunt, audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit; sed potiùs hoc velle, quod à te audierit.

CAPVT XXVII.

Quomodo rapiat hominem Deus.

1 SErò te amaui pulchritudo tam antiqua & tam noua, serò te amaui. Et ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quæ-

rebam,

rebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, & tecū non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ si in te non essent, non essent. Vocasti, & clamasti, & rupisti surditatem meam. Coruscasti, splenduisti, & fugasti cœcitatem meam. *Flagrasti, & duxi spiritum, & anhelo tibi. Gustaui, & esurio, & sitio. Tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.

*Fragrasti.

CAPVT XXVIII.

Miseria huius vitæ.

1 CVm inhæsero tibi ex omni me, omnino nusquam erit mihi dolor & labor: & viua erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam, quem tu imples, subleuas eum: quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætandis mœroribus: & ex qua parte stet victoria, nescio. Hei mihi Domine, miserere mei. Contendūt mœrores mei mali cum gaudijs bonis; & ex qua parte stet victoria, nescio. Hei mihi Domine, miserere mei. Hei mihi: Ecce vulnera mea non abscondo. Medicus es, æger sum; Misericors es, miser sum. Nunquid non tentatio est vita humana super terram?

Iob. 7.

2. Quis

2. Quis velit molestias & difficultates? *Tolerare iubes eas, non amari. Nemo quod tolerat amat, & si tolerare amat. Quamuis enim gaudeat se tolerare, mauult tamen non esse, quod toleret. Prospera in aduersis desidero, aduersa in prosperis timeo. Quis inter hæc medius locus, vbi non sit humanæ vitæ tentatio? Væ prosperitatibus seculi semel & iterũ, à timore aduersitatis, & à corruptione lætitiæ. Væ aduersitatibus seculi, semel & iterum & tertiò, à desiderio prosperitatis. Et quia ipsa aduersitas dura est, & naufragat tolerantia, nunquid non tentatio est vita humana super terram, sine vllo interstitio?

*Tolerari.

CAPVT XXIX.

In Deo spes.

1 ET tota spes mea, non nisi in magna valde misericordia tua Domine Deus. Da quod iubes, & iube quod vis. Imperas nobis continentiam. Et cùm scirem, ait quidam, quia nemo potest *Sap. 8.* esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum. Per continentiam quippe colligimur & redigimur in vnum, à quo in multa defluximus. Minùs enim

te

te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris: Charitas Deus meus, accende me. Cōtinētiā iubes: Da quod iubes, & iube quod vis.

CAPVT XXX.

Somniorum ludibria.

1 IVbes certè, vt continentiam à concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitione seculi. Iussisti à concubitu, & de ipso coniugio meliùs aliquid, quàm concessisti, monuisti. Et quoniam dedisti, factum est, & antequā dispensator Sacramenti tui fierem. Sed adhuc viuunt in memoria mea (de qua multa locutus sum) talium rerum imagines, quas *ibi consuetudo mea *fixit, & occursant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in somnis autem non solùm vsque ad delectationem, sed etiā vsq; ad consensionem factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima mea & in carne mea, vt dormiēti falsa visa persuadeāt, quod vigilāti vera nō possunt. Nūquid tunc ego non sum Domine Deus meus? Et tamen tantū interest

1. Ioan. 8.

*al sibi.
al. finxit.

est inter meipsum & meipsum, intra momentum, quo hinc ad soporem transeo, vel huc inde retranseo.

2. Vbi est tunc ratio, qua vigilans animus talibus suggestionibus resistit? Et si res ipsæ ingerantur, inconcussus manet. Nunquid clauditur cum oculis? Nũquid sopitur cum sensibus corporis? Et vnde sæpe etiã in somnis resistimus, nostriq; propositi memores, atq; in eo castissimè permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus assensum? Et tamen tantum interest, vt cùm aliter accidit, euigilantes ad conscientiæ requiem redeamus: ipsaque distantia reperiamus, nos nõ fecisse, quod tamen in nobis quoquo modo factum esse doleamus. Nunquid non potens est manus tua Deus omnipotẽs, sanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratia tua lasciuos motus etiam mei soporis extinguere?

3. Augebis Domine magis magisque in me munera tua, vt anima mea sequatur me ad te, concupiscentiæ visco expedita, vt non sit rebellis sibi, atque vt in somnis etiam non solùm non perpetret istas corruptelarum turpitudines per imagines animales vsq; ad carnis fluxũ, sed ne cõsentiat quidem. Nam

vt nihil tale vel tantillum libeat, quantum possit nutu cohiberi, etiam in casto dormientis affectu, non tantùm in hac vita, sed etiam in hac ætate, non magnū est omnipotenti, qui vales facere, suprà quàm petimus, & intelligimus. Nunc tamen, quid adhuc sim in hoc genere mali mei, dixi bono Domino meo, exultans cum tremore in eo, quod donasti mihi,
Ephes. 3. & lugens in eo, quod inconsummatus sum, sperans perfecturum te in me misericordias tuas, vsque ad pacem plenariam, quam tecum habebunt interiora & exteriora mea, cùm absorpta fuerit
1. Cor 13. mors in victoriam.

CAPVT XXXI.

Gulæ tentatio.

1 EST alia malitia diei, quæ vtinam sufficiat ei. Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, priusquam escas & ventrem destruas, cùm occideris indigentiam meā satietate mirifica, & corruptibile hoc indueris incorruptione sempiterna. Nunc autem suauis est mihi necessitas, & aduersus istam suauitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in ieiunijs, sæpius in seruitutem redigens

gens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames, & sitis quidam dolores sunt. Vrunt, & sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præstò est, ex consolatione munerum tuorum, in quibus nostræ infirmitati terra & aqua & cœlum seruiunt, calamitates deliciæ vocantur. Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.

2. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus, voluptas est: & non est aliàs, qua transeatur, quàm qua transire cogit necessitas. Et cùm salus sit causa edendi, ac bibendi, adiungit se tanquam pedissequa periculosa iucunditas, & plerumq; præire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causa me facere, vel dico, vel volo; nec idem modus vtriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parũ est. Et sæpe incertũ fit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidiũ petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infœlix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium,

gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis; vt obtentu salutis obumbret negocium voluptatis.

3. His tentationibus quotidie conor resistere, & inuoco dextram tuam ad salutem meam, & ad te refero æstus meos: quia consilium mihi de hac re nondum stat. Audio vocem iubentis Dei mei: Nō
Luc.21. grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Ebrietas longè est à me, misereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam surrepit seruo tuo,
Sap.8. misereberis, vt longè fiat à me. Nemo enim potest esse continens, nisi tu des. Multa nobis orantibus tribuis, & quicquid boni, antequā oremus, accipimus; à te accipimus, & vt hoc posteà cognosceremus, à te accipimus. Ebriosus nunquam fui, sed ebriosos à te sobrios factos ego noui. Ergo à te factum est, vt hoc non essent, qui nunquam fuerunt, à quo factum est, vt hoc non semper essent, qui fuerunt, à quo etiam factum est, vt scirent vtrique à quo factum est.

4. Audiui & aliam vocem tuam: Post
Eccli.18. concupiscentias tuas non eas, & à voluptate tua auertere. Audiui & illā ex munere tuo, quam multum amaui: Neq; si
1.Cor.8. manducauerimus, abundabimus: neque

si non

ſi non manducauerimus, deerit nobis. Hoc eſt dicere: Nec illa res me copioſum faciet, nec illa ærumnoſum. Audiui & alteram: Ego enim didici, in quibus ſum ſufficiens eſſe, & abundare noui, & penuriam pati noui. Omnia poſſum in eo, qui me cõfortat. Ecce mi- Phil. 4.
les caſtrorum cœleſtium, nõ puluis quod nos ſumus: ſed memento Domine, quia puluis ſumus: & de puluere feciſti hominem: & perierat, & inuentus eſt. Nec ille in ſe potuit, quia idem puluis fuit, quem talia dicentem afflatu tuæ inſpirationis adamaui. Omnia poſſum (inquit) in eo, qui me confortat. Conforta me, vt poſſim. Da quod iubes, & iube quod vis. Iſte ſe accepiſſe confitetur, & quod gloriatur, in Domino gloriatur. Audiui alium rogãtem, vt accipiat: Aufer à me, inquit concupiſcentias vẽtris: Vnde apparet sãcte Deus meus te dare, cùm fit, quod imperas fieri. Docuiſti me pater bone, omnia munda mundis. Sed malum eſſe homini, qui per offenſionẽ manducat: Et omnem creaturam tuam bonam eſſe, nihilque abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: Et, quia eſca nos non commendat Deo: Et vt nemo nos iudicet in cibo, aut in potu:

Geneſ. 3. Luc. 15. Phil. 4. 1 Cor. 1. Eccl. 23. Tit. 1. 1. Tim 4.

potu: Et, vt qui manducat, non manducantem non spernat, &, qui non manducat, manducantem non iudicet. Didici hæc, gratias tibi, laudes tibi Deo meo, magistro meo, pulsatori aurium mearum illustratori cordis mei: Eripe me ab omni tentatione.

Col. 2. *Rom. 14.*

6. Non ego immunditiam obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noë omne carnis genus, quod cibo esset vsui, manducare permissum. Heliam cibo carnis refectum; Ioannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, hoc est, locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum; & Dauid propter aquæ desiderium à seipso reprehensum. Et regem nostrum non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideoq; & populus in eremo, nō quia carnes desiderauit, sed quia escæ desiderio aduersus Dominū murmurauit, meruit improbari. In his ergo tentationib. positus, certo quotidie aduersus concupiscentiam mãducandi & bibendi. Non enim est, quod semel præcidere, & vlterius non attingere decernã, sicut de cõcubitu potui. Itaq; freni gutturis temperata relaxatione, & cõstrictione tenẽdi sunt. Et quis est domine,

Genes. 9. *3. Reg. 17.* *Matt 3.* *Genes. 25.* *2. Reg 25.* *Matth. 3.* *Num. 11.*

mine, qui nō rapiatur aliquantulū extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum. Sed & ego magnifico nomen tuum, & inter- Rom. 8.
pellat te pro peccatis meis, qui vicit seculum, numerans me inter infirma membra corporis sui, quia & imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo Psal. 138.
omnes scribentur.

CAPVT XXXII.

Nihil est securum in hac vita.

1 DE illecebra odorum non satago nimis. Cùm absunt, non requiro: cùm adsunt, non respuo, paratus etiam eis semper carere. Ita mihi videor, forsitan fallor. Sunt enim & istæ plangēdæ tenebræ, in quibus me latet facultas mea, quę in me est: vt animus meus de viribus suis ipse se interrogans, non facilè sibi credendum existimet, quia & quod nunc inest, plerunque occultum est, nisi experientia manifestetur. Et nemo securus iob 7.
esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur: vtrum qui fieri potuit ex deteriore melior, no fiat etiam ex meliore deterior. Vna spes, vna fiducia, vna firma promissio, misericordia tua.

CAPVT XXXIII.

Voluptas aurium.

1 VOluptates aurium tenaciùs me implicauerant, & subiugauerant, sed resoluisti, & liberasti me. Nunc in sonis, quos animant eloquia tua, cùm suaui & artificiosa voce cantantur, fateor, aliquantulum acquiesco; non quidem vt hæream, sed vt surgam, cùm volo. Attamen, cum ipsis sententijs, quibus viuũt, vt admittantur ad me, quærunt in corde meo nonnullius dignitatis locum, & vix eis præbeo congruentem. Aliquando enim plus mihi videor honoris eis tribuere quàm decet; cùm ipsis sanctis dictis religiosius & ardẽtius sentio moueri animos nostros in flammam pietatis, cùm ita cantantur, quàm si non ita cantarentur, & omnes affectus spiritus nostri pro sui diuersitate habere proprios modos in voce atque cantu, quorum nescio, quà occulta familiaritate excitentur.

2. Sed delectatio carnis meæ, cui mentem eneruandam non oportet dari, sæpe me fallit, dum rationem sensus non ita comitatur, vt patienter sit posterior, sed tantùm, quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere, ac

ac ducere conatur. Ita in his pecco non sentiens, sed posteà sentio. Aliquando autem hanc ipsam fallaciam immoderatiùs cauens, erro nimia seueritate. Sed valde interdum, vt melos omne cantilenarum suauium, quibus Dauidicū Psalterium frequentatur, ab auribus meis remoueri velim, atque ipsius ecclesiæ. Tutiusque mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, vt pronuncianti vicinior esset, quàm canenti.

3. Veruntamē cùm reminiscor lachrymas meas, quas fudi ad cantus ecclesiæ tuæ, in primordijs recuperatæ fidei meę, & nunc ipsum cùm moueor, non cantu, sed rebus quæ cātantur: cùm liquida voce, & cōuenientissima modulatione cantantur, magnam instituti huius vtilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentū salubritatis, magisque adducor, non quidē irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamē, cùm mihi accidit, vt me

amplius cantus, quàm res quæ canitur, moueat, pœnaliter me peccare cõfiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Ecce vbi sum, flete mecum, & pro me flete, qui aliquid boni vobiscum intus agitis, vnde facta procedunt. Nam qui non agitis, non vos hæc mouent. Tu autem Domine Deus meꝰ, respice, exaudi, & vide, & miserere, & sana me, in cuius oculis mihi quæstio factus sum, & ipse est languor meus.

CAPVT XXXIV.

Oculorum illecebræ.

1 REstat voluptas oculorum istorum carnis meæ, de qua loquor cõfessiones, quas audiant aures templi tui, aures fraternæ ac piæ, vt concludamus tentationes concupiscentiæ carnis, quæ me adhuc pulsant ingemiscentem, & habitaculum meum, quod de cœlo est,
2 Cor. 5. superindui cupientem. Pulchras formas & varias, nitidos & amœnos colores a-
Gen. 1. mant oculi. Non teneant hæc animam meam; teneat eam Deus, qui hæc fecit, bona quidem valde; sed ipse est bonum meum, non hæc. Et tangunt me vigilantem totis diebus, nec requies

ab eis datur mihi, ſicut datur à vocibus canoris aliquando ab omnibus in ſilentio. Ipſa enim regina cœlorum lux iſta, perfundens cuncta quæ cernimus, vbi per diem fuero, multimodo allapſu blãditur mihi aliud agenti, & eam non aduertenti. Inſinuat autem ſe ita vehemẽter, vt ſi repentè ſubtrahatur, cum deſiderio requiratur, & ſi diu abſit, contriſtat animum. O lux, quam videbat Tobias, cùm clauſis oculis iſtis, filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede charitatis, nuſquam errans: Aut quam videbat Iſaac, prægrauatis & opertis ſenectute carneis luminibus, cùm filios non agnoſcendo benediceret, ſed benedicendo agnoſcere meruit: Aut quam videbat Iacob, cùm & ipſe prægrandi ætate captus oculis, in filijs præſignata futuri populi genera, luminoſo corde radiauit: & nepotibus ſuis ex Ioſeph, diuexas myſticè manus, non ſicut pater eorum foris corrigebat, ſed ſicut ipſe intus diſcernebat, impoſuit. Ipſa eſt lux, vna eſt, & alia non eſt, & vnum omnes, qui vident & amant eã. At iſta corporalis, de qua loquebar, illecebroſa ac periculoſa dulcedine condit vitam ſeculi cæcis amatoribus.

Tob. 4.

Gen. 27.

Gen. 41.

Qui autem & de ipsa laudare te norunt, Deus creator omnium, absumunt eam in hymno tuo, non assumuntur ab ea in somno suo. Sic esse cupio.

3. Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viã tuã, & erigo ad te inuisibiles oculos, vt tu euellas de laqueo pedes meos. Tu subinde euellis eos, nam illaqueãtur. Tu
Psal. 24. non cessas euellere, ego autẽ crebrò hæreo vbique sparsis insidijs, quoniam non dormies neq; dormitabis, qui custodis Israel. Quã innumerabilia varijs artibus & opificijs, in vestibus, calceamentis, vasis, & huiuscemodi fabricationibus, picturis etiam, diuersisque figmentis, atq; his vsum necessarium atque moderatũ, & piam significationem longè transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum; foras sequentes, quod faciunt; intus relinquentes, à quo facti sunt: & exterminantes, quod facti sunt.

4. At ego Deus meus & decus meũ, etiam hinc tibi dico hymnum, & sacrifico laudem sanctificatori meo, quoniam pulchra traiecta per animas in manus artificiosas, ab illa pulchritudine veniunt, quæ super animas est, cui suspirat anima mea die ac nocte. Sed pul-

pulchritudinum exteriorum operatores & sectatores inde trahant approbandi modum, non autem inde trahunt vtendi modum. Et ibi est, & non vident eum, vt non eant longius, & fortitudinem suam ad te custodiant, nec eam spargãt in delitiosas lassitudines. Ego autem hæc loquens atque discernens, etiam istis pulchris gressum innecto, sed tu euellis Domine, euellis tu, quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Nam ego capior miserabiliter, & tu euellis misericorditer aliquando non sentientem, quia suspensius incideram, aliquando cũ dolore, quia iam inhæseram. Psal. 58. Psal. 25.

CAPVT XXXV.

Curiositas cognoscendi.

HVc accedit alia forma tentationis, multiplicius periculosa. Præter eam enim concupiscentiam carnis, quæ inest in delectatione omnium sensuum & voluptatum, cui seruientes depereunt, qui longè se faciunt à te, inest animæ per eosdem sensus corporis quædam non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem vana & curiosa cupiditas, nomine cognitionis & scientiæ

palliata. Quæ quoniam & in appetitu noſcendi eſt, oculi autem ſunt ad cognoſcendum in ſenſibus principes, cõcupiſcentia oculorum eloquio diuino appellata eſt. Ad oculos enim propriè videre pertinet. Vtimur autem hoc verbo etiam in cæteris ſenſibus, cùm eos ad cognoſcendum intendimus. Neque enim dicimus, audi, quàm rutilet, aut olfac, quàm niteat, aut guſta, quàm ſplendeat, aut palpa, quàm fulgeat. Videri enim dicuntur hæc omnia. Dicimus autem nõ ſolùm, vide quid luceat, quod ſoli oculi ſentire poſſunt: ſed vide etiam, quid ſonet, vide, quid oleat, vide, quid ſapiat, vide, quàm durum ſit. Ideoque generalis experientia ſenſuum, concupiſcentia (ſicut dictum eſt) oculorum vocatur, quia videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam cęteri ſenſus ſibi de ſimilitudine vſurpant; cùm aliquid cognitionis explorant. Ex hoc autem euidentius diſcernitur, quid voluptatis, quid curioſitatis agatur per ſenſus, quod voluptas, pulchra, canora, ſuauia, ſapida, lenia ſectatur.

1. Ioan. 2.

Videre refertur ad omnes ſenſus.

2. Curioſitas aũt etiã his contraria tẽtandi cauſa, non ad ſubeundã moleſtiã, ſed ad experiendi noſcendiq; libidinem.

Quid

Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadauere, quod exhorreas? & tamē sicubi iaceat, cōcurrūt, vt contristentur, vt palleant. Timent etiam, ne in sōnis hoc videant, quasi quisquam eos vigilantes videre coëgerit, aut pulchritudinis vlla fama persuaserit. Ita & in cæteris sensibus, quæ persequi longum est. Ex hoc morbo cupiditatis in spectaculis exhibentur quæque miracula. Hinc ad perscrutanda naturæ (quæ preter nos est) operta proceditur, quæ scire nihil prodest, & nihil aliud quàm scire homines cupiū. Hinc etiam, si quid eodē peruersæ scientiæ fine, per artes magicas quæritur. Hinc etiam in ipsa religione Deus tentatur, cùm signa & prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solā experientiam desiderata.

3. In hac tam immensa sylua plena insidiarum & periculorum, ecce quàm multa præciderim, & à meo corde dispulerim, sicuti donasti me facere Deus salutis meæ. Attamen quando audeo dicere, cùm circumquaque quotidianam vitam nostram tam multa huius generis rerum circumstrepant; quando audeo dicere, nulla re tali me intentum fieri ad spectandum, & vana cura capien-

piendum? Sanè me iam theatra non rapiunt; nec curo nosse transitus syderum, nec anima mea vnquam responsa quæsiuit vmbrarum; omnia sacrilega sacramenta detestor. A te Domine Deus me⁹, cui humilem famulatum ac simplicem debeo, quantis mecum suggestionum machinationibus agit inimicus, vt signũ aliquod petam.

4. Sed obsecro te per Regem nostrum, & patriam Hierusalem, simplicem, castam; vt quemadmodum à me longè est ista consensio, ita sit semper longè atque longius. Pro salute autem cuiusquam cũ te rogo, alius multum differens finis est intentionis meæ, & te facientem quod vis, das mihi, & dabis libenter sequi. Veruntamen in quàm multis minutissimis & contemptibilibus rebus curiositas quotidie nostra tentatur, & quàm sæpe labamur, quis enumerat? Quoties narrantes inania, primò quasi toleramus, ne offendamus infirmos, deinde paulatim libenter aduertimus. Canem currentem post leporem iam non specto, cùm in circo fit: at verò in agro si casu transeam, auertit me fortassis, & ab aliqua magna cogitatione, atque ad se conuertit illa venatio; non deuiare

cogens

cogens corpore iumẽti, ſed cordis inclinatione. Et niſi iam mihi demonſtrata infirmitate mea cito admoneas, aut ex ipſa viſione, per aliquam conſideratione̅ in te aſſurgere, aut totum contemnere atque tranſire, vanus hebeſco.

5. Quid cùm me domi ſedentem ſtellio muſcas captãs, vel aranea retibus ſuis irruentes implicans, ſæpe intentũ facit? Num quia parua ſunt animalia, ideo nõ res eadem geritur? Pergo inde ad laudandum te creatorem mirificum, atque ordinatorem rerum omnium, ſed non inde intentus eſſe incipio. Aliud eſt cito ſurgere, aliud eſt non cadere. Et talibus vita mea plena eſt, & vna ſpes mea in magna valde miſericordia tua. Cùm enim huiuſmodi rerum conceptaculum fit cor noſtrum, & portat copioſæ vanitatis cateruas, hinc & orationes noſtræ ſæpe interrumpuntur atque turbantur, & ante conſpectum tuum, dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, neſcio vnde irruentibus nugatorijs cogitationibus, res tanta præciditur.

CAPVT XXXVI.

Superbiæ vitium.

1. Nun-

1 NVnquid etiam hoc inter contemnenda deputabam, aut aliquid nos reducet in ſpem, niſi tota miſericordia tua, quoniam cœpiſti mutare nos? Et tu ſcis, quantæ ex parte mutaueris, qui me primitus ſanas à libidine vindicandi me; vt propitius fias etiam cæteris omnibus iniquitatibus meis, & ſanes omnes languores meos, & redimas de corruptione vitam meam, & corones me in miſeratione & miſericordia, & ſaties in bonis deſiderium meum: quia compreſſiſti à timore tuo ſuperbiam meam, & manſuefeciſti iugo tuo ceruicem meam. Et nunc porto illud, & leue eſt mihi, quoniam ſic promiſiſti, & feciſti; & verè ſic erat, & neſciebam, quando id ſubire metuebam.

Pſal. 108.

2. Sed nunquid Domine, qui ſolus ſine typho dominaris, quia ſolus ver9 Dominus es, qui nō habes Dominum, nunquid hoc quoque tertium tentationis genus ceſſauit à me, aut ceſſare in hac tota vita poteſt, timeri, & amari velle ab hominibus, nō propter aliud, ſed vt inde ſit gaudium, quod nō eſt gaudiū? Miſera vita eſt, & fœda iactantia. Hinc fit vel maximè non amare te, nec caſtè timere te. Ideoque tu ſuperbis reſiſtis, humilibus

Iac. 4.

milibus autem das gratiam, & intonas super ambitiones seculi, & contremiscunt fundamenta montium. Itaque nobis, quoniam propter quędā humanę societatis officia necessariū est amari & timeri ab hominib. instat aduersarius verę beatitudinis nostræ, vbique spargens in laqueis, euge, euge; vt dum auidè colligimus, incautè capiamur: & à veritate tua gaudium nostrum deponamus, atque in hominum fallacia pónamus, libeatque nos amari & timeri, non propter te; sed pro te, atque isto modo sui similes factos secum habeat, non ad concordiam charitatis, sed ad consortium supplicij, qui statuit sedem suam ponere in aquilone, vt te peruersa & distorta via imitantes, tenebrosi frigidiue seruirent. *Esa. 14.*

3. Nos autem Domine, pusillus grex tuus ecce sumus, tu nos posside. Prætende alas tuas, & fugiamus sub eas. Gloria nostra tu esto, propter te amemur, & verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus iudicante te, nec eripietur damnante te. Cùm autem non peccator laudatur, in desiderijs animæ suæ: nec qui iniqua-

gerit

gerit, benedicitur, sed laudatur homo propter aliquod bonum, quod dedisti ei: at ille plus gaudet sibi laudari se, quàm ipsum donum habere, vnde laudatur: etiam iste, te vituperāte laudatur. Et melior iam ille, qui laudauit, quàm iste, qui laudatus est: Illi enim placuit in homine donum Dei, huic amplius placuit donū hominis quàm Dei.

CAPVT XXXVII.

Laudes & vituperatio mouent.

1 TEntamur his tētationibus quotidie Domine, sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax nostra, est humana lingua. Imperas nobis & in hoc genere continentiam: Da quod iubes, & iube quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum. Neque enim facilè colligo, quàm sim ab ista peste mundacior, & multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. Est enim qualiscunque in alijs generibus tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc penè nulla est. Nam & à voluptatibus carnis, & à curiositate superuacanea cognoscendi, video quantum assecutus sim posse refrenare animum

meum,

meum, cùm eis rebus careo, vel voluntate, cùm absunt, vel necessitate, cùm desunt. Tunc enim me interrogo, quàm magis minusue mihi molestum sit non habere. Diuitię verò, quæ ob hoc expetuntur, vt alicui istarum trium cupiditatum, vel duabus earum, vel omnibus seruiant, si persentiscere non potest anim⁹, vtrum eas habens contemnat, possunt & dimitti, vt se probet.

2. Laude verò vt careamus, atque in eo experiamur, quid possumus, nunquid malè viuendum est; & tam perditè atque immaniter, vt nemo nos nouerit, qui nō detestetur? Quæ maior demētia dici, aut cogitari potest? At si bonæ vitæ bonorumque operum comes & solet, & debet esse laudatio, tam comitatum eius quàm ipsam bonam vitam deseri non oportet. Non autem sentio, sine quo esse, aut æquo animo, aut ægrè possim, nisi cùm absuerit. Quid igitur tibi in hoc genere tētationis Domine cōfiteor? Quid? nisi delectari me laudib. sed amplius ipsa veritate, quā laudib⁹. Nā si mihi proponatur, vtrū malim furēs, aut in omnibus rebus errās, ab omnibus hominib. laudari, an cōstās & in veritate certissimus, ab omnibus vituperari, video quid eligā,

3. Ve-

3. Veruntamen nollem, vt vel augeret mihi gaudium cuiuslibet boni mei suffragatio oris alieni. Sed auget fateor, nō solùm, sed & vituperatio minuit. Et cùm ista miseria mea perturbor, subintrat mihi excusatio, quæ qualis sit, tu scis Deus, nam me incertum facit. Quia enim nobis imperasti non tantùm continentiam, id est, à quibus rebus amorem cohibeamus, verùm etiam iustitiam, id est, quò eum conferamus: Nec te tantùm voluisti à nobis, verùm etiam proximū diligi; sæpe mihi videor de profectu aut spe proximi delectari, cùm bene intelligentis laude delector, & rursus eius malo contristari, cùm eum audio vituperare, quod aut ignorat, aut bonum est. Nam & contristor aliquando laudibus meis, cùm vel ea laudātur in me, in quibus mihi ipse displiceo, vel etiam bona minora & leuia pluris æstimātur, quàm æstimanda sint.

4. Sed rursus vnde scio? An propterea sic afficior, quia nolo de meipso à me dissentire laudatorem meum, non quia illius vtilitate moueor, sed quia eadem bona, quæ mihi in me placent, iucundiora mihi sunt, cùm & alteri placent? Quodammodo enim

non ego laudor, cùm de me ſententia mea non laudatur, quandoquidem aut illa laudantur, quæ mihi diſplicent, aut illa ampliùs, quæ mihi minùs placent. Ergone de hoc incertus ſum mei? Ecce in te veritas video, nō me laudibus meis propter me, ſed propter proximi vtilitatem moueri oportere. Et vtrum ita ſit, neſcio. Minùs mihi in hac re notus ſum ipſe, quàm tibi.

5. Obſecro te Deus meus, & meipſum mihi indica, vt confitear oraturis pro me fratribus meis, quòd in me ſaucium compere ro. Iterum me diligentiùs interrogem: Si vtilitate proximi moueor in laudibus meis, cur minùs moueor, ſi quiſquam alius iniuſte vituperetur, quā ſi ego? Cur ea contumelia magis mordeor, quæ in me, quàm quæ in alium eadem iniquitate coram me iacitur? An & ego hoc neſcio? Etiam ne id reſtat, vt ipſe me ſeducam, & verum non faciam coram te in corde & lingua mea? Inſaniam iſtam Domine longè fac à me, *Pſal. 140.*
ne oleum peccatoris mihi ſit os meum, *Pſal. 108.*
ad impinguandum caput meum. Egenus & pauper ego ſum, & melior in occulto gemitu diſplicēs mihi, & quærens miſericordiam tuā, donec reficiatur defectus

meus,

mens, & perficiatur vſque in pacem, quam neſcit arrogantis oculus.

CAPVT XXXVIII.

Et virtuti periculum à vana gloria.

1 SErmo autem ore procedens, & facta, quæ innoteſcunt hominibus, habent tentationem perículoſiſſimam ab amore laudis, qui ad priuatam quandam excellentiam contrahit, & emendicata ſuffragia tentat; & cùm à me in me arguitur, eo ipſo quo arguitur. Et ſæpe homo de ipſo vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur: ideoque non iam de ipſo vanę gloriæ contemptu gloriatur. Non enim eam contemnit, cùm gloriatur intus.

CAPVT XXXIX.

Φιλαυτία.

1 ETiam intus eſt aliud in eodem genere tentationis malum, quo inaneſcunt, qui placent ſibi de ſe, quamuis alijs vel placeant, vel diſpliceant, nec placere affectant cæteris. Sed ſibi placentes, multum tibi diſplicent; non tantùm de non bonis quaſi bonis; verum etiam de bonis tuis, quaſi ſuis: Aut etiam ſicut de tuis, ſed tanquam ex meri-

meritis ſuis: Aut etiam ſicut ex tua gratia, ſed non* ſua merita, non tamen ſocialiter gaudentes, ſed alijs inuidentes eam. In his omnibus atque huiuſcemodi periculis, & laboribus, vides tremorem cordis mei, ſed & vulnera mea magis ſubinde à te ſanari, quàm mihi non infligi ſentio.

*ſecundùm.

CAPVT LX.

Contra vitia lucta.

1 VBi nō mecum ambulaſti veritas, docens quid caueam, & quid appetam, cùm ad te referrem inferiora viſa mea, quæ potui, teque conſulerem? Luſtraui mundum foris ſenſu, quo potui, & attendi vitam corporis mei de me, ſenſuſque ipſos meos. Inde ingreſſus ſum in receſſus memoriæ meæ multiplices amplitudines, plenas miris modis copiarum innumerabilium; & conſideraui, & expaui, & nihil eorum diſcernere potui ſine te, & nihil eorum eſſe te inueni. Nec ego ipſe inuentor, qui peragraui omnia, & diſtinguere & pro ſuis quæque dignitatibus æſtimare conatus ſum; excipiens alia nunciantib⁹ ſenſibus, & interrogans alia mecum commixta ſentiens, ipſoſque nuncios

dignoſcens atque dinumerans; iamque in memoria elatis opibus alia pertractans, alia recondens, alia eruens.

2. Nec ego ipſe, cùm hæc agerem, id eſt, vis mea, qua id agebam, nec ipſa eras tu, quia lux es tu permanens, quam de omnibus conſulebam, an eſſent, quid eſſent, quanti pendenda eſſent. Et audiebã docentem ac iubentem; & ſæpe iſtud facio. Hoc me delectat, & ab omnibus actionibus neceſſitatis, quantum relaxari poſſum, ad iſtam voluptatem refugio. Neque in his omnibus, quæ percurro cõſulens te, inuenio tutũ locũ animę meæ, niſi in te, quo colligantur ſparſa mea, nec à te quicquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectũ multum inuſitatum introrſus, ad neſcio quã dulcedinem; quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit, quod vita iſta non erit. Sed recido in hæc ærumnoſis ponderib9, & reſorbeor ſolitis, & teneor, & multum fleo, ſed multum teneor. Tantum conſuetudinis ſarcina digna eſt. Hic eſſe valeo, nec volo: illic volo, nec valeo, miſer vtrobique.

CAPVT XLI.

Triplex cupiditas carnis.

1 Ideo-

1 IDeo que consideraui languores peccatorum meorum in cupiditate triplici;& dexteram tuam inuocaui ad salutem meam. *Vidi enim* splendorem tuũ corde saucio,& repercussus dixi: Quis illuc potest? Proiectus sum à facie oculorũ tuorum. Tu es veritas super omnia præsidens. At ego per auaritiam meam nõ amittere te volui, sed volui tecum possidere mendacium: sicut nemo vult ita falsum dicere, vt nesciat ipse, quid verũ sit. Itaque amisi te, quia non dignaris cum mendacio possideri.

CAPVT XLII.

Remedia vitiorum à dæmonibus.

1 QVem inuenirem, qui me reconciliaret tibi? An obeũdum mihi fuit ab Angelo? Qua prece? quibus sacramentis? Multi conantes ad te redire, neq; per seipsos valentes, sicut audio, tentauerũt hæc,& inciderunt in desideriũ curiosarũ visionum,& digni habiti sunt illusionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ fastu, exerentes potiùs, quàm tundẽtes pectora,& adduxerunt sibi per similitudinem cordis sui conspirantes & socias

Ephes.2. ſuperbiæ ſuæ, poteſtates aëris huius, à quibus per potentias magicas deciperẽtur, quærentes mediatorem, per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat, transfigurans ſe in angelum lucis.

2. Et multum illexit ſuperbam carnẽ, quòd carneo corpore ipſe non eſſet. Erãt enim illi mortales & peccatores; tu autẽ Domine, cui reconciliari ſuperbè quærebant, immortalis & ſine peccato.
1. Tim 2. Mediator autẽ inter Deum & homines, oportebat vt haberet aliquid ſimile Deo, aliquid ſimile hominibus, ne in vtroq; hominibus ſimilis, longè eſſet à Deo: aut in vtroque Deo ſimilis, longè eſſet ab hominibus, atq; ita mediator non eſſet. Fallax itaque ille mediator, quo per ſecreta iudicia tua, ſuperbia meretur illudi, vnum cum hominibus habet, id eſt, peccatum, aliud videri vult habere cum
Rom. 6. Deo: vt quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortali ſe oſtentet. Sed quia ſtipendium peccati mors eſt, hoc habet commune cum hominibus, vnde ſimul damnetur in mortem.

CAPVT XLIII.

Chriſtus interceſſor efficax.

1 VErax autem mediator, quem secreta tua misericordia demonstrasti humilibus, & misisti, vt eius exemplo etiam ipsam discerent humilitatem, mediator ille Dei & hominum, homo Christus Iesus, inter mortales peccatores & immortalem iustum apparuit, mortalis cū hominibus, iustus cū Deo: Vt quoniam stipendium iustitiæ vita & pax est, per iustitiam coniunctā Deo euacuaret mortem iustificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. Hic demonstratus est antiquis sanctis; vt ita ipsi per fidem futuræ passionis eius, sicut nos per fidem præteritæ, salui fierent. In quantum enim homo, in tātum mediator: in quantum autem verbum, non medius, quia æqualis Deo: & Deus apud Deū, & simul cum Spiritu sancto vnus Deus.

Mortales & peccatores mortalis & iustus.

2. Quomodo nos amasti pater bone, qui filio tuo vnico non pepercisti, sed pro nobis impijs tradidisti eū? Quomodo nos amasti? pro quibus ille, qui non rapinam arbitratus est esse æqualis tibi, factus est subditus vsque ad mortem, mortem aūt crucis, vnus ille in mortuis liber, potestatē habens ponēdi animā suā, & potestatem habens iterum sumendi

Rom 8.

Phil. 2.

Psal. 87.

Ioan. 10.

eam: pro nobis tibi victor & victima, & ideo victor, quia victima: pro nobis tibi sacerdos & sacrificium, & ideo sacerdos, quia sacrificiũ, faciens tibi nos de seruis filios, de te nascendo, nobis seruiendo: Meritò mihi spes valida in illo est, quòd sanabis omnes languores meos per eum, qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, alioquin desperarem. Multi enim & magni sunt ijdem lãguores mei: multi sunt & magni, sed amplior est medicina tua.

Psal. 102. Rom. 8.

3. Potuimus putare verbum tuum remotum esse à coniunctione hominis, & desperare de nobis: nisi caro fieret, & habitaret in nobis. Conterritus peccatis meis, & mole miseriæ meæ, agitaueram in corde, meditatusque fueram fugã in solitudinem, sed prohibuisti mihi, & cõfirmasti me dicens: Ideo pro omnibus Christus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Ecce Domine iacto in te curam meã, vt viuã, & cõsiderabo mirabilia de lege tua. Tu scis imperitiam meã & infirmitatẽ meã, doce me, & sana me. Ille tuus vnicus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, redemit me sanguine suo. Non calumnientur mih

Ioan. 1. Psalm. 54. 2. Cor. 5. Psal. 118. Col. 2.

mihi superbi : quoniam cogito pretium Psal. 118.
meum, & manduco, & bibo, & erogo; & pauper cupio saturari ex eo, inter illos, qui edunt & saturantur; & laudabunt Psa. 21.
Dominum, qui requirunt eum.

DIVI AVRELII Augustini Confessionum Liber Vndecimus.

CAPVT I.

Cur confitemur Deo scienti.

NVnquid Domine, cùm tua sit æternitas, ignoras, quæ tibi dico, aut ad tempus vides, quod fit in tempore? Cur ergo tibi tot rerum narrationes digero? Non vtique, vt per me noueris ea, sed affectum meum excito in te, & eorum, qui hæc legunt, vt dicamus omnes: Magnus Dominus, & laudabilis valde. Psal. 95.
Iam dixi, & dicam, amore amoris tui facio istud. Nam & oramus, & tamẽ veritas ait: Nouit pater vester, Matth. 6.
quid vobis opus sit, priùs quàm petatis ab eo. Affectum ergo nostrum patefacimus in te, confitendo tibi mise-

miserias nostras, & misericordias tuas
Matt. 5. super nos: vt liberes nos omnino; quoniam cœpisti, vt desinamus esse miseri in nobis, & beatificemur in te: quoniam vocasti nos, vt simus pauperes spiritu, & mites, & lugentes, & esurientes ac sitientes iustitiam, & misericordes, & mūdi corde, & pacifici. Ecce narraui tibi
Psal. 117. multa, quæ potui, & quæ volui, quoniā tu prior voluisti, vt confiterer tibi Domino Deo meo, quoniam bon⁹ es, quoniam in seculum misericordia tua.

CAPVT II.

Petit liberari à peccato & ab erroribus, & duci ad veram cognitionem.

QVando autem sufficio calami lingua enunciare omnia hortamenta tua, & omnes terrores tuos, & consolationes & gubernationes, quib⁹ me perduxisti prædicare verbum tuum, & sacramentū tuum dispensare populo tuo? Et si sufficio hæc enunciare ex ordine, caro mihi valent stillæ temporum, & olim inardesco meditari in lege tua, & in ea tibi confiteri scientiā & imperitiam meam, primordia illuminationis tuæ, & reliquias tenebrarum mearum,

quous-

quouſque deuoretur à fortitudine infirmitas. Et nolo, defluant in aliud horæ, quas inuenio liberas à neceſſitatibus reficiendi corporis, & intentionis animi, & ſeruitutis, quam debemus hominibus, & quam non debemus, & tamen reddimus.

2. Domine Deus meus intēde orationi meæ, & miſericordia tua exaudiat deſiderium meum: quoniam nō mihi ſoli æſtuat, ſed vſui vult eſſe fraternæ charitati, & vides in corde meo, quia ſic eſt, vt ſacrificem tibi famulatum cogitationis, & linguæ meæ, & da, quod offerā tibi. *Pſal. 85.*
Inops enim & pauper ſum, tu diues in omnes inuocantes te, qui ſecurus curam noſtri geris. Circumcide ab omni temeritate, omnique mendacio interiora & exteriora labia mea. Sint caſtæ delitiæ meæ, ſcripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Domine attende, & miſerere Domine Deus meus, lux cœcorum, & virtus infirmorum, ſtatimque lux videntium, & virtus fortium, attende animam meam, & audi clamantem de profundo. Nam niſi adſint & in profundo aures tuæ, quò ibimus? quò clamabim⁹? Tuus eſt dies, & tua eſt nox. Ad nutum tuum momenta tranſuolant. *Rom. 10.* *Pſal. 73.*

3. Largire inde ſpacium meditationibus noſtris in abdita legis tuæ, neque aduerſus pulſantes claudas eam. Neque enim fruſtra ſcribi voluiſti tot paginarum opaca ſecreta. Aut non habent illæ ſyluæ ceruos ſuos, recipientes ſe in eas, & reſumentes, & ambulantes, & paſcẽtes, recumbentes, & ruminantes? O Domine perfice me, & reuela mihi eas. Ecce vox tua, gaudium meum; vox tua, ſuper affluentiam voluptatum. Da, quod
Pſal. 118. amo: Amo enim, & hoc tu dediſti. Nec dona tua deſeras, nec herbam tuam ſpernas ſitientem. Confitear tibi, quicquid inuenero in libris tuis, & audiam vocem laudis, & te bibam, & conſiderem mirabilia de lege tua, ab vſque principio, in quo feciſti cœlum & terram, vſque ad regnum tecum perpetuum ſanctæ ciuitatis tuæ. Domine miſerere mei, & exaudi deſiderium meum. Puto enim, quòd non ſit de terra, non de auro & argento, & lapidibus, aut decoris veſtibus, aut honoribus & poteſtatibus, aut voluptatibus carnis, neque de neceſſarijs corpori, & huic vitæ peregrinationis noſtræ: quæ omnia apponuntur nobis quærentibus regnum, & iuſtitiam tuam. Vide Domine Deus

meus,

meus, vnde ſit deſiderium meum. Narrauerunt mihi iniuſti delectationes ſuas, ſed non ſicut lex tua Domine. Ecce vnde eſt deſiderium meum. *Pſal. 118.*

3. Vide pater, aſpice, & approba, & placeat in conſpectu miſericordiæ tuæ, inuenire me gratiam ante te, vt aperiãtur pulſanti mihi interiora ſermonum tuorum. Obſecro per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum filium tuum, virum dexteræ tuæ, filium hominis, quem confirmaſti tibi mediatorem tuum & noſtrum, per quem nos quæſiſti, non quęrentes te; Quæſiſti autem, vt quæreremus te verbum tuum, per quod feciſti omnia, in quibus & me, vnicum tuum, per quem vocaſti in adoptionem populum credentium, in quo & me: per eum te obſecro, qui ſedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Ipſum quæro in libris tuis; Moyſes de illo ſcripſit; Hoc ipſe ait, hoc veritas ait. *Ioan. 1.* *Rom. 8.* *Col. 2.* *Deut. 18.* *Ioan. 5.*

CAPVT III.

Creatio cœli & terræ.

1 AVdiam & intelligam, quomodo in principio feciſti cœlum & terram. Scripſit hoc Moyſes, ſcripſit, & abijt, tranſijt hinc ad te. Neque *Geneſ. 1.*

enim nunc ante me est: nam si esset, tenerem & rogarem eum, & per te obsecrarem, vt mihi ista panderet, & præberem aures corporis mei sonis erumpentibus ex ore eius. Et si Hebræa voce loqueretur, frustra pulsaret sensum meũ, nec inde mentem meam quicquam tangeret. Si autem Latinè, scirem quid diceret.

2. Sed vnde scirem, an verum diceret? Quod si & hoc scirem, num & ab illo scirem? Intus vtique mihi, intus in domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara vox, sed veritas, sine oris, & linguæ organis, sine strepitu syllabarum diceret, verum dicit, & ego statim certus confidenter illi homini tuo dicerem, verum dicis. Cùm ergo illum interrogare non possim, te, quo plenus vera dixit, veritas te rogo Deus me', rogo parce peccatis meis, & qui illi seruo tuo dedisti hæc dicere, da & mihi hæc intelligere.

CAPVT IV.

Creatura clamat creatorem Deum.

1 ECce sunt cœlum & terra, clamant, quòd facta sint. Mutantur enim, atque variantur. Quicquid enim factum non est, & tamen est, non est in eo

quic-

quicquam, quod ante non erat. quod est mutari atque variari. Clamant etiam, quòd seipsa non fecerint, ideo sumus, quia facti sumus. Non ergo eramus, antequam essemus, vt fieri possemus à nobis. Et vox dicentium est, ipsa euidentia. Tu ergo Domine fecisti ea, qui pulcher es, pulchra sunt enim: qui bonus es, bona sunt enim, qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum: cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. Scimus hæc, gratias tibi. Et scientia nostra scientiæ tuæ comparata, ignorantia est.

CAPVT V.

Ex nihilo conditus mundus.

1 IN principio fecit Deus cœlum & terram. Quomodo autem fecisti cœlum & terram, & quæ machina tã grandis operationis tuæ? Non enim sicut homo artifex formans corpus de corpore, arbitratu animæ volentis imponere vtcunque speciem, quam cernit in semetipsa interno oculo. Et vnde hoc valeret, nisi quia tu fecisti eam? Et imponit speciem iam existenti, & habenti vt esset, veluti terræ, aut lapidi, aut ligno, aut au- *Genes. 1.*

ro, aut id genus rerum cuilibet. Et vnde i-
sta essent, nisi tu instituisses ea? Tu fabro
corpus, tu animum membris imperitan-
tem fecisti; tu materiam, vnde facit ali-
quid: tu ingenium, quo artem capiat, &
videat intus, quid faciat foris. Tu sensum
corporis, quo interprete traijciat ab ani-
mo ad materiam id, quod facit, & renũ-
ciet animo, quid factum sit, vt ille intus
consulat præsidentem sibi veritatem, an
bene factum sit. Te laudent hæc omnia,
creatorem omnium.

2. Sed tu quomodo facis ea? Quomo-
do fecisti Deus cœlum & terram? Non v-
tique in cœlo, neque in terra fecisti cœ-
lum & terram, neque in aëre, aut in a-
quis, quoniam & hæc pertinent ad cœlũ
& terram: Neque in vniuerso mundo fe-
cisti vniuersum mundum, quia nõ erat,
vbi fieret, antequam fieret, vt esset: Nec
manu tenebas aliquid, vnde faceres cœ-
Psal. 32. lum & terram. Nam vnde tibi hoc, quod
tu nõ feceras, vnde aliquid faceres? Quid
enim est, nisi quia tu es? Ergo dixisti, &
facta sunt, atque in verbo tuo fecisti ea.

CAPVT VI.

Verbo æterno Deus condidit omnia.

1 Sed

1 SEd quomodo dixisti? Nunquid illo modo, quo facta est vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus? Illa e- *Matt. 3.* nim vox acta atque transacta est, cœpta & finita. Sonuerunt syllabæ, atque transierunt; secunda post primam, tertia post secundam, atque inde ex ordine, donec vltima post cæteras, silentiumque post vltimam. Vnde claret atque eminet, quòd creaturæ motus expressit eam, seruiens æternæ voluntati tuæ ipse temporalis. Et hæc ad tempus facta verba tua nunciauit auris exterior menti prudenti, cuius auris interior posita est ad æternum verbum tuum. At illa comparauit hęc verba tēporaliter sonātia, cū æterno in silentio verbo tuo, & dixit: Aliud est, longè aliud est. Hæc longè infra me sunt, nec sunt, quia fugiunt & prætereūt: verbum autem Dei supra me manet in *Psal. 118.* æternum.

2. Si ergo verbis sonantibus & prætereuntibus dixisti, vt fieret cœlum & terra, atque ita fecisti cœlum & terram, erat iam creatura corporalis ante cœlum & terram, cuius motibus temporalibus temporaliter vox illa percurreret, nullum autem corpus ante cœlum & terram. Aut si erat, id certè

sine transitoria voce feceras, vnde transitoriam vocem faceres, qua diceres, vt fieret cœlum & terra. Quicquid enim illud esset, vnde talis vox fieret, nisi abs te factum esset, omnino non esset. Vt ergo fieret corpus, vnde ista verba fierent, quo verbo à te dictum est?

CAPVT VII.

Filius Dei verbum patris coæternum.

1 VOcas itaque nos ad intelligendum verbum Deum apud te Deum, quod sempiternè dicitur, & eo sempiternè dicuntur omnia. Neque enim finitur, quod dicebatur; & dicitur aliud, vt possint dici omnia, sed simul ac sempiternè omnia. Alioquin iam tempus, & mutatio, & non vera æternitas, nec vera immortalitas. Hoc noui Deus meus, & gratias ago. Noui, confiteor tibi Domine, mecumque nouit, & benedicit te, quisquis ingratus non est certæ veritati.

2. Nouimus Domine, nouimus, quoniam in quantum quicquid nō est, quod erat, & est, quod non erat, in tantum moritur & oritur. Non ergo quicquam verbi tui cedit atque succedit, quoniam verè immortale atque æternum est. Et ideo verbo tuo tibi coæterno, simul & sempi-

sempiterno dicis omnia, quæ dicis, & fit, quicquid dicis, vt fiat. Nec aliter, quàm dicendo, facis, nec tamen simul & sempiterna fiunt omnia, quæ dicendo facis.

CAPVT VIII.

Verbo Dei docemur in omnibus.

1 CVr quæso te, Domine Deus meus? Vtcunque video, sed quomodo id eloquar, nescio, nisi quia omne, quod esse incipit, & esse desinit; tunc esse incipit, & tunc desinit, quando debuisse incipere vel desinere in æterna ratione cognoscitur, vbi nec incipit aliquid, nec desinit? Ipsum est verbum tuũ, quod & principium, qui & loquitur nobis. Sic in euãgelio per carnem ait, & hoc insonuit foris auribus hominum, vt crederetur, & intus quæreretur, & inueniretur in æterna veritate, vbi omnes discipulos bonus & solus magister docet. Ibi audio (Domine) vocem tuam dicentem mihi, quoniam ille loquitur nobis, qui docet nos. Qui autem non docet nos, etiam si loquitur, non nobis loquitur. *Ioan. 8.*

2. Quis porrò nos docet, nisi stabilis veritas? Quia & per creaturam mutabilem cùm admonemur, ad veritatem stabilem ducimur, vbi verè

dil-

discimus, cùm stamus, & audimus eum,
Ioan 3. & gaudio gaudemus propter vocem
sponsi, reddentes nos vnde sumus. Et ideo principium, quia nisi manerèt, cùm erraremus, non esset, quò rediremus. Cùm autem redimus ab errore, cognoscendo vtique redimus. Vt autem cognoscamus, docet nos, quia principium est, & loquitur nobis.

Ioan. 8.

CAPVT IX.

Quomodo verbum Dei loquatur cordi.

1 IN hoc principio Deus fecisti cœlum & terram, in verbo tuo, in filio tuo, in virtute tua, in sapientia tua, in veritate tua, miro modo dicens, & miro modo faciens. Quis comprehendet? Quis enarrabit? Quid est illud, quod interlucet mihi, & percutit cor meum sine læsione, & inhorresco, & inardesco? Inhorresco, in quantum dissimilis ei sum, inardesco, in quantum similis ei sum.

Genes. 1.

2. Sapientia, sapientia ista est, quæ interlucet mihi; discindens nubilum meũ, quod me rursus cooperit deficientem ab ea caligine atq; aggere pœnarum mearum. Quoniam sic infirmatus est in egestate vigor meus, vt non sufferant bonũ meũ, donec tu Domine, qui propitius fa-

Psal. 108.

ctus es omnibus iniquitatibus meis, etiã
sanes languores meos. Quia & redimes
de corruptione vitam meam, & corona-
bis me in miseratione & misericordia, Psal 102.
& satiabis in bonis desiderium meum,
quoniam renouabitur iuuentus mea, si-
cut aquilæ. Spe enim salui facti sumus, Rom. 8.
& promissa tua per patientiam expecta-
mus. Audiat te intus sermocinãtem, qui
potest. Ego fidenter ex oraculo tuo cla-
mabo: Quàm magnificata sunt opera Psal. 103.
tua Domine, omnia in sapientia fecisti,
& illa est principium, & in eo principio
fecisti cœlum & terram.

CAPVT X.

Voluntas Dei principium nescit.

1 NOnne ecce pleni sunt vetustatis
suæ, qui nobis dicunt: Quid fa-
ciebat Deus, antequam faceret cœlum,
& terram? Si enim vacabat, inquiunt,
& non operabatur aliquid, cur non
sic semper & deinceps, quemadmodum
retro semper cessauit ab opere? Si e-
nim vllus motus in Deo nouus extitit,
& voluntas noua, vt conderet creatu-
ram, quam nunquam antè condiderat,
quomodo iam vera æternitas, vbi ori-
tur voluntas, quæ non erat? Neque
enim

enim voluntas Dei creatura est, sed ante creaturam, quia nō crearetur aliquid, nisi creatoris voluntas præcederet.

CAPVT XI.

AEternitas Dei nescit tempora.

1 AD ipsam ergo Dei substantiā pertinet voluntas eius. Quod si exortū est aliquid in Dei substantia, quod priùs non erat; non veraciter dicitur æterna illa substantia. Si autem voluntas Dei sēpiterna erat, vt esset creatura, cur non sēpiterna & creatura? Qui hæc dicunt, nōdum te intelligunt (ô sapientia Dei, lux mentium) nondum intelligunt, quomodo fiant, quæ per te atque in te fiunt, & conantur æterna sapere, sed adhuc in præteritis & futuris rerum motibus cor eorum volitat, & adhuc vanum est.

2. Quis tenebit illud, & affiget illud, vt paululū stet, & paululū rapiat splendorē semper stātis æternitatis, & comparet cū tēporibus nūquā stantibus, & videat esse incomparabilem, & videat longum tempus, nisi ex multis prætereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt, longum non fieri, non tamen præterire

quic-

quicquam in æterno, ſed totum eſſe præſens, nullum verò tempus totū eſſe præſens, & videat omne præteritum propelli, ex futuro, & omne futurum, ex præterito conſequi, & omne præteritum, ac futurum, ab eo, quod ſemper eſt præſens, creari, & excurrere? Quis tenebit cor hominis, vt ſtet, & videat, quomodo ſtans dictet futura & præterita tempora, nec futura nec præterita æternitas? Nunquid manus mea valet hoc, aut manus oris mei per loquelas agit tam grandem rem?

CAPVT XII.

Quid Deus fecerit ante mundi creationem.

1 ECce reſpōdeo dicenti, quid faciebat Deus, antequam faceret cœlum & terram? Reſpondeo non illud, quod quidam reſpondiſſe perhibetur iocularitér, eludens quæſtionis violentiam. Alta, inquit, ſcrutantibus gehennas parabat. Aliud eſt videre, aliud eſt ridere. Hæc nō reſpondeo. Libentius enim reſpōderim, neſcio, quod neſcio, quàm illud, vnde irridetur, qui alta interrogauit, & laudatur, qui falſa reſpondebit. Sed dico te Deus noſter, omnis creaturæ creatorem.

rem. Et si cœli & terræ nomine omnis creatura intelligitur, audenter dico: Antequam faceret Deus cœlum & terram, non faciebat aliquid. Si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat? Et vtinam sic sciam, quicquid vtiliter scire cupio, quemadmodum scio, quòd nulla fiebat creatura antequam fieret vlla creatura.

CAPVT XIII.

Quòd ante tempora à Deo creata nulla fuerint tempora.

1 AT si cuiusdam volatilis sensus vagatur per imagines retro temporum, & te Deum omnipotentem, & omnia creantem, & omnitenentem, cœli & terræ artificem, ab opere tanto, antequàm id faceres, per innumerabilia secula cessare miratur, euigilet atque attendat, quia falsa miratur. Nam vnde poterant innumerabilia secula præterire, quæ ipse non feceras, cùm sis omnium seculorum autor & conditor? Aut quæ tempora fuissent, quæ abs te condita non essent? Aut quomodo præterirent, si nunquam fuissent? Cùm ergo sis operator omnium temporum, si fuit aliquod tempus, antequam faceres cœlum & terram,

cur

cur dicitur, quòd ab opere ceſſabas? Idipſum enim tempus tu feceras; nec præterire potuerunt tempora, antequam faceres tempora. Si autem ante cœlū & terram nullum erat tempus, cur quæritur, quid tunc faciebas. Non enim erat tunc, vbi non erat tempus, nec tu tempore tēpora præcedis, alioquin nō omnia tempora præcederes.

2. Sed præcedis omnia tempora præterita, celſitudine ſemper præſentis æternitatis, & ſuperas omnia futura, quia & illa futura ſunt; & cùm venerint, præterita erunt, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Anni tui nec eunt, nec veniunt: iſti enim noſtri, & eunt, & veniunt, vt omnes veniant. Anni tui omnes ſimul ſtant, quoniam ſtant: nec euntes à venientibus excluduntur, quia non tranſeunt: iſti autem noſtri omnes erunt, cùm omnes non erunt. Anni tui dies vnus, & dies tuus non quotidie, ſed hodie: quia hodiernus tuus non cedit craſtino, neque ſuccedit heſterno. Hodiernus tuus æternitas, ideo coæternum genuiſti, cui dixiſti: Ego hodie genui te. Omnia tempora tu feciſti, & ante omnia tempora tu es, nec aliquo tempore non erat tempus.

Pſal. 101
Pſal. 109.

CA-

CAPVT XIV.

Temporis differentiæ tres.

1 NVllo ergo tempore non feceras aliquid, quia ipſum tempus tu feceras: & nulla tempora tibi coæterna ſunt, quia tu permanes. At illa ſi permanerẽt, non eſſent tempora. Quid enim eſt tempus? Quis hoc facilè breuiterq́ue explicauerit? Quis hoc ad verbum de illo proferendum vel cogitatione comprehenderit? Quid autem familiarius & notius in loquendo commemoramus, quàm tempus? Et intelligimus vtique, cùm id loquimur, intelligimus etiam, cùm alio loquente id audimus.

2. Quid ergo eſt tempus? Si nemo ex me quærat, ſcio, ſi quęrenti explicare velim, neſcio: Fidenter tamen dico ſcire me, quod ſi nihil præteriret, non eſſet præteritum tempus, & ſi nihil adueniret, non eſſet futurum tempus, & ſi nihil eſſet, non eſſet præſens tempus. Duo ergo illa tempora, præteritum & futurum, quomodo ſunt, quando & præteritũ iam non eſt, & futurum nondum eſt? Præſens autẽ ſi ſemper eſſet præſens, nec in præteritũ tranſiret, iã non eſſet tempus, ſed æternitas. Si ergo præſens vt tempus ſit, ideo

ideo fit, quia in præteritum transit, quomodo & hoc esse dicimus, cui causa, vt sit, illa est, quia non erit, vt scilicet non verè dicamus tempus esse, nisi quia tendit ad non esse.

CAPVT XV.

Mensura temporis in quo.

1 ET tamen dicimus longum tempus & breue tempus, neque hoc nisi de præterito aut futuro dicimus. Præteritum tempus longum (verbi gratia) vocamus ante centum annos, futurum itidem longum post centum annos. Breue autem pręteritum (sicut puta) dicimus ante decem dies, & breue futurum post decem dies. Sed quo pacto longum est aut breue, quod non est? Pręteritum enim iam non est, & futurum nondum est. Non itaque dicamus, longum est, sed dicamus de præterito longum fuit, & de futuro longum erit. Domine Deus meus, lux mea, nonne & hic veritas tua deridebit hominem? Quod enim longum fuit præteritum tempus, cùm iam esset præteritum, longum fuit, an cùm adhuc præsens esset? Tunc enim poterat esse longum, quando erat, quod esset longum. Præteritū verò iā nō erat,

vnde nec longum esse poterat, quod omnino non erat. Non ergo dicamus, lōgum fuit præteritum tempus, neque enim inueniemus, quid fuerit longum, quādo ex quo præteritum est, nō est. Sed dicamus, lōgū fuit illud præsens temp⁹, quia cùm præsens esset, longum erat. Nondum enim præterierat, vt non esset, & ideo erat, quod longum esse posset. Postea verò quàm præterijt, simul & longum esse destitit, quod esse destitit.

2. Videamus ergo anima humana, vtrum & præsens tempus possit esse longum. Datum enim tibi est sentire moras, atq; metiri. Quid respondebis mihi? An centum anni præsentes, longū tēpus est? Vide priùs, vtrum possint præsentes esse centum anni. Si enim primus eorū annus agitur, ipse præsens est, nonaginta verò & nouem futuri sunt, & ideò nondū sunt. Si autem secūdus annus agitur, iā vnus est præteritus, alter præsens, cæteri futuri: Atq; ita si mediorū quēlibet centenarij huius numeri annū præsentē posuerimus, ante illum præteriti erunt, post illum futuri. Quocirca centum anni præsentes esse non potuerūt. Vide saltē vtrum qui agitur, vnus ipse sit præsens,

&

& eius enim si primus agitur mensis, futuri sunt cæteri. Si secundus, iam & primus præterijt, & reliqui nondum sunt. Ergo nec annus, qui agitur, totus est pręsens: & si non totus est præsens, non est annus præsens. Duodecim enim menses annus est, quorum quilibet vnus mēsis, qui agitur, ipse præsens est, cęteri autem præteriti aut futuri. Quanquam neque mensis, qui agitur, præsens est, sed vnus dies. Si primus, futuris cæteris; si nouissimus, præteritis cæteris; si mediorum quilibet, inter præteritos & futuros.

3. Ecce præsens tempus, quod solùm inueniebamus longum appellandum, vix ad vnius diei spatium contractū est: Sed discutiamus etiam ipsum, quia nec vnus dies totus est pręsens. Nocturnis enim & diurnis horis omnibus viginti quatuor expletur. Quarum prima cęteras futuras habet, nouissima pręteritas, reliqua verò interiectarum ante se pręteritas, post se futuras. Et ipsa vna hora fugitiuis particulis agitatur. Quicquid eius auolauit, pręteritum est: quicquid eius restat, futurum. Si quid intelligitur temporis, quod in nullas iam, vel imminutissimas momentorum partes diuidi possit, id solū est, quod pręsens dicatur.

Quod tamen ita raptim à futuro in præteritum transuolat, vt nulla morula extendatur: Nam si extenditur, diuiditur in præteritum, & futurum. Præsens autem nullum habet spacium. Vbi est ergo tẽpus, quod longum dicamus? An futurũ? Non quidem dicimus longum est, quia nondum est, quod longum sit, sed dicimus, longum erit. Quando igitur erit? Si enim & tunc, cùm adhuc futurum erit, non erit longum, quia quid sit longum, nondum erit. Si autem tunc erit longũ, cùm ex futuro, quod nondum est, esse iam cœperit, & præsens factum erit, vt possit esse, quod lõgum sit, iam superioribus vocibus clamat præsens tempus, longum se esse non posse.

CAPVT XVI.

Quale tempus metiri liceat, & quale non

ET tamen Domine sentimus interualla temporum, & comparamus sibimet, & dicimus alia longiora, & alia breuiora. Metimur etiam, quantò sit breuius an longius illud tempus, quàm illud, & respondemus duplum esse hoc, vel triplum, illud autem simplum, aut tantum hoc esse, quantum illud. Sed

præ-

prætereuntia metimur tempora, cùm sentiendo metimur. Præterita verò, quæ iam non sunt; aut futura, quæ nondum sunt, quis metiri potest, nisi fortè audebit quis dicere, metiri potest, quod non est? Cùm ergo præterit tempus, sentiri & metiri potest: cùm autem præterierit, quoniam non est, non potest.

CAPVT XVII.

Tempus præteritum & futur vbi sint.

1 QVæro pater, non affirmo, Deus meus præside mihi, & rege me. Quisnam est, qui dicat mihi non esse tria tempora, sicut pueri didicimus, puerosq; docuimus, præteritum, præsens & futurum, sed tantùm præsens, quoniam illa duo non sunt? An & ipsa sunt, sed ex aliquo procedit occulto, cùm ex futuro fit presens, & in aliquod recedit occultũ, cùm ex præsenti fit præteritum? Nam vbi ea viderunt, qui futura cecinerunt, si nondum sunt? Neque enim potest videri, id quod non est. Et qui narrarent præterita, non vtique vera narrarent, si animo illa non cernerent. Quæ si nulla essent, cerni omnino non possent. Sunt ergo & futura, & præterita.

CAPVT XVIII.

Quomodo præterita & futura tempora, præsentia sunt.

1. SIne me Domine amplius quærere: Spes mea, non conturbetur intentio mea. Si. n. sunt futura & præterita, volo scire, vbi sint. Quod si nondũ valeo, scio tamen, vbicunq; sunt, non ibi ea futura esse, aut præterita, sed præsentia. Nam si & ibi futura sunt, nondum ibi sunt: Si & ibi præterita sunt, iam ibi non sunt. Vbicunque ergo sunt, quæcunque sunt, non sunt nisi præsentia: quanquam præterita, cùm vera narrantur, ex memoria proferuntur, non res ipsæ, quæ præteriertũt; sed verba concepta ex imaginibus earũ, quæ in animo velut vestigia per sensus prætereundo fixerunt. Pueritia quippe mea, quæ iam non est, in tempore præterito est, quod iam non est. Imaginem verò eius, cùm eam recolo, & narro, in præsenti tempore intueor, quia est adhuc in memoria mea.

2. Vtrũ similis sit causa etiã prædicẽdorũ futurorum, vt rerum, quæ nondũ sunt, iam existentes præsententur imagines, confiteor Deus meus, nescio. Illud sanè scio, non plerunque præmeditari futuras actiones nostras, eamque præmedi-

meditationē esse præsentem; actionem autem, quam præmeditamur, nondum esse, quia futura est. Quam cùm aggressi fuerimus, & quod præmeditamur, agere cœperimus, tunc erit illa actio; quia tūc non futura, sed præsens est. Quoquomodo se itaque habeat arcana præsensio futurorum, videri, nisi quod est, non potest. Quod autem iam est, non futurum, sed pręsens est. Cùm ergo videri dicuntur futura, non ipsa quę nondum sunt, id est, quę futura sunt, sed eorum causę vel signa forsitan videntur, quę iam sunt. Ideo non futura, sed pręsentia sunt iam videntibus, ex quibus futura prędicantur animo concepta. Quæ rursus conceptiones iam sunt, & eas pręsentes apud se intuentur, qui illa prædicunt.

3. Loquatur mihi aliquod exemplum tanta rerum numerositas. Intueor auroram, oriturum solem prænuncio. Quod intueor, pręsens est, quod pręnuncio, futurum. Non sol futurus, qui iam est, sed ortus eius, qui nondum est. Tamen etiam ortum ipsum nisi animo imaginarer, sicut modò, cùm id loquor, non eum possem prędicere. Sed nec illa aurora, quam in cœlo video, solis ortus est, quamuis eum pręcedat; nec illa ima-

imaginatio in animo meo, quæ duo præsentia cernuntur, vt futurus ille antedicatur. Futura ergo nondum sunt. Et si nondum sunt, non sunt: & si non sunt, videri omnino non possunt, sed prædici possunt ex præsentibus, quæ iam sunt, & videntur.

CAPVT XIX.

Quomodo præsciantur futura.

TV autem regnator creaturæ tuæ, quis est modus, quo doces animas, ea quæ futura sunt? Docuisti enim prophetas tuos. Quisnam ille modus est, quo doces futura, cui futurum quicquam nō est; vel potiùs de futuris doces præsentia? Nam quod non est, nec doceri vtique potest. Nimis longè est modus iste ab acie mea. Inualuit ex me, non potero ad illum: potero autem ex te, cùm dederis tu dulce lumen occultorum oculorum meorum.

CAPVT XX.

Differentiæ temporum quomodo nominandæ.

QVod autem nunc liquet, & claret, nec futura sunt, nec præterita. Nec propriè dicitur, tempora sunt tria, præteritum, præsens, & futurum: Sed fortasse

tasse propriè diceretur, tempora sunt tria: præsens de præteritis, præsens de præsentibus, præsens de futuris. Sunt enim hæc in anima tria quædam, & alibi ea non video. Præsens de præteritis memoria, præsens de præsentibus contuitus, præsens de futuris expectatio. Si hæc permittimus dicere, tria tempora video, fateorque, tria sunt. Dicatur etiã, tempora sunt tria; præteritum, pręsens, & futurum, sicut abutitur consuetudo, dicatur: Ecce non curo, non resisto, nec reprehendo, dum tamen intelligatur, quod dicitur, neque id, quod futurum est, esse iam, neque id, quod præteritum est. Pauca sunt enim, quæ propriè loquimur, plura non propriè: sed agnoscitur, quid velimus.

CAPVT XXI.

Quomodo tempus liceat metiri.

1 DIxi ergo paulò antè, quòd prætereuntia tempora metimur, vt possimus dicere duplum esse hoc temporis ad illud simplum; aut tantum hoc, quantum illud, & siquid aliud de partibus tẽporum possumus renunciare, metiendo. Quocirca, vt dicebam, prætereuntia metimur tempora. Et si quis mihi

dicat, Vnde scis? respondeam, scio, quia metimur; nec metiri, quæ non sunt, possumus: & non sunt præterita, vel futura. Præsens verò tempus quomodo metimur, quando non habet spacium? Metimur ergo dum præterit: cùm autē præterierit, non metimur. Quid enim metiatur, non erit.

2. Sed vnde, & qua, & quò præterit, cùm metitur? Vnde, nisi ex futuro? Qua, nisi per præsens? Quo, nisi in præteritū? Ex illo ergo, quod nondum est, per illud quod spacio caret, in illud, quod iam nō est. Quid autē metimur, nisi tempus in aliquo spacio? Neque enim dicimus simpla, & dupla, & tripla, & æqualia, & si quid hoc modo in tempore dicimus, nisi inter spacia temporū. In quo ergo spacio metimur tempus præteriens? Vtrum in futuro, vnde præterit? Sed quod nondū est, non metimur. An in præsenti, quà præterit? Sed nullū spacium nō metimur. An in præterito, quò præterit? Sed quod iam non est, non metimur.

CAPVT XXII.

Petit ænigmatis solutionem à Deo.

1 EXarsit animus meus nosse istud implicatissimū ænigma. Noli claudere Domine Deus, bone pater; per Christum

obse-

obſecro, noli claudere deſiderio meo iſta & vſitata, & abdita, quò minùs in ea penetret; & dilucescant allucente miſericordia tua Domine. Quem percunctabor de his? Et cui fructuoſius confitebor imperitiam meam, niſi tibi, cui non ſunt moleſta ſtudia mea, flammantia vehementer in ſcripturas tuas? Da, quod amo, amo enim, & hoc tu dediſti. Da pater, qui verè noſti data bona dare filijs tuis. Da, quoniam ſuſcepi cognoſcere te, & labor eſt ante me, donec aperias. *Matt.7.* *Pſal.72.*

2. Per Chriſtum obſecro, in nomine eius ſancti ſanctorum, nemo mihi obſtrepat. Et ego credidi, propter quod & loquor. Hæc eſt ſpes mea, ad hanc* viuo, vt contempler delectationes Domini. Ecce veteres poſuiſti dies meos, & tranſeunt, & quomodo, neſcio. Et dicimus tempus & tempus, tempora & tempora. Quamdiu dixit hoc ille, quamdiu fecit hoc ille: & quàm longo tempore illud non vidi; & duplum temporis habet hæc ſyllaba ad illam ſimplam breuem. Dicimus hæc, & audimus hæc, & intelligimur, & intelligimus. Manifeſtiſſima & vſitatiſſima ſunt, & eadem rurſus nimis latent, & noua eſt inuentio eorum. *Pſal.115.* *al. inhio.* *Pſal.38.*

CAPVT XXIII.

Quid sit tempus.

1 AVdiui à quodam homine docto, quòd solis, ac lunæ, ac syderum motus, ipsa sint tempora, & non anni. Cur enim non potiùs omnium corporum motus sint tempora? An verò, si cessarēt cœli lumina, & moueretur rota figuli, non esset tempus, quo metiremur eos gyros, & diceremus, aut æqualibus morulis agi; aut si aliàs tardius, aliàs velocius moueretur, alios magis diuturnos esse, alios minùs? Aut cùm hoc diceremus, non & nos in tempore loqueremur? Aut essent in verbis nostris aliæ lōgæ syllabæ, aliæ breues, nisi quia illę lōgiore tempore sonuissent, istæ breuiore? Deus dona hominibus videre in paruo communes notitias rerum paruarum atque magnarum.

Genes. 1. 2. Sunt & sydera & luminaria cœli in signis, & in temporibus, & in annis, & in diebus. Sunt verò, sed nec ego dixerim circuitum illius ligneolę rotæ diem esse, nec tamen ideo tempus non esse. Ille dixerit. Ego scire cupio vim naturamque temporis, quo metimur corporum motus, & dicimus illum motum, verbi gratia, tempore duplo esse diuturniorem

quàm

quàm iſtũ. Nam quæro, quoniã dies dicitur nõ tantùm morula ſolis ſuper terrã, ſecundùm quod aliud eſt dies, aliud nox, ſed etiam totus eius circuitus, ab oriente vſque ad orientem, ſecundùm quod dicimus, tot dies tranſierunt. Cum ſuis enim noctibus dicuntur tot dies, nec extra reputantur ſpacia noctium. Quoniam ergo dies expletur motu ſolis, atq; circuitu, ab oriente vſque ad orientẽ, quæro vtrũ motꝰ ipſe ſit dies, an mora ipſa, quãta peragitur, an vtrũq; . Si enim primũ, dies eſſet: dies ergo eſſet, etiã ſi tãto ſpacio tẽporis ſol curſũ illũ peregiſſet, quãtũ eſt horæ vnius. Si ſecundũ, non ergo eſſet dies, ſi ab ortu ſolis vſque in ortum alterum tã breuis mora eſſet, quàm eſt horæ vnius, ſed vicies & quater circumiret ſol, vt expleret diem. Si vtrumq;, nec ille appellaretur dies, ſi horæ ſpacio ſol totum ſuum gyrum circũiret, nec ille, ſi ſole ceſſante tantum temporis præteriret, quanto peragere ſol totum ambitum de mane ad mane aſſolet.

3. Non itaque nunc quæram, quid ſit illud, quod vocatur dies: ſed quid ſit tempus, quo metientes ſolis circuitum, diceremus eum dimidio ſpacio temporis peractum minùs quàm ſo-

let, si tanto spacio tēporis peractus esset, quanto peraguntur horæ duodecim. Et vtrumque tempus comparantes diceremus illud simplum, hoc duplum, etiam si aliquando illo simplo, aliquādo isto duplo, sol ab oriente vsque ad oriētem circumiret. Nemo ergo mihi dicat, cœlestium corporū motus esse tempora, quia & cuiusdā voto, cùm sol stetisset, vt victoriosum prælium perageret, sol stabat, sed tempus ibat. Per suum quippe spaciū temporis, quod ei sufficeret, illa pugna gesta atque finita est. Video igitur tempus, quandam esse distensionem: Sed video, an videre mihi videor? Tu demonstrabis lux, veritas.

Iosu.12.

CAPVT XXIV.

Tempus est, quo metimur motum corporis.

1 IVbes, vt approbem, si quis dicat tempus esse motum corporis? Non iubes. Nam corpus nullum, nisi in tempore moueri audio. Tu dicis, ipsum autem corporis motum, tempus esse non audio. Non tu dicis. Cùm enim mouetur corpus, tempore metior, quamdiu moueatur, ex quo moueri incipit, donec desinat. Et si non vidi, ex quo cœpit, & perseuerat moueri, vt non videam, cùm de-

finit, non valeo metiri; nisi fortè ex quo videre incipio, donec desinam. Quòd si diu video, tantummodo longũ tempus esse renuncio, non autem quantum sit: quia & quãtũ cũ dicimus, collatione dicimus, velut tãtũ hoc, quantũ illud, aut duplũ hoc ad illud, & si quid aliud isto modo: Si aũt notare potuerimus locorũ spacia, vnde & quò veniat corpus, quod mouetur, vel partes eius, si tãquã in torno mouetur, possumus dicere, quãtũ sit temporis, ex quo ab illo loco vsque ad illum locum motus corporis vel partis eius effectus est.

2. Cũ itaq; aliud sit motus corporis, aliud quo metimur, quamdiu sit: quis nõ sentiat, quid horũ potiùs tempus dicẽdũ sit: Nã & si variè corpus aliquãdo mouetur, aliquando stat, non solũ motũ eius, sed etiã statũ tẽpore metimur: & dicim⁹, tantũ stetit, quantũ motũ est, aut duplo vel triplo stetit ad id, quod motũ est, & si quid aliud nostra dimẽsio siue cõprehẽderit, siue existimauerit, vt dici solet pl⁹ min⁹. Nõ est ergo tẽpus, corporis motus.

CAPVT XXV.

Rursus orat.

ET confiteor tibi (Domine) ignorare me adhuc, quid sit tempus, & rursus

confiteor tibi Domine ſcire me in tempore iſta dicere, & diu me iam loqui de tempore, atque idipſum diu, non eſſe niſi moram temporis. Quomodo igitur hoc ſcio, quando quid ſit tempus neſcio? An fortè neſcio, quemadmodum dicam, quod ſcio? Hei mei, qui neſcio ſaltem quid neſciam. Ecce Deus meus coram te, quia non mentior, ſicut loquor, ita eſt cor meum. Tu illuminabis lucernam
Pſal. 17. meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.

CAPVT XXVI.

Menſura pedum & ſyllabarum.

1 NOnne tibi confitetur anima mea confeſſione veridica, metiri me tempora? Itane Deus meus metior; & quid metiar, neſcio? Metior motum corporis in tempore, item ipſum tempus non metior? An verò corporis motũ metirer, quãdiu ſit, & quamdiu hinc illuc perueniat, niſi tempus, in quo mouetur, metirer? Ipſum ergo tẽpus vnde metior? An tempore breuiore metimur longius, ſicut ſpacio cubiti ſpacium tranſtri? Sic enim videmur ſpacio breuis ſyllabæ metiri ſpacium longæ ſyllabæ, atque id duplum dicere. Ita metimur ſpacia carminũ ſpacijs verſuum, & ſpacia verſuũ

ſpacijs

ſpacijs pedum, & ſpacia pedum ſpacijs ſyllabarum,& ſpacia longarum ſpacijs breuium,non in paginis. Nam eo modo loca metimur,nõ tempora,ſed cùm voces pronuntiando tranſeunt, & dicimus, longum carmen eſt; nam tot verſibus contexitur:longi verſus , nam tot pedibus conſtant:longi pedes,nam tot ſyllabis tenduntur:longa ſyllaba, nam dupla eſt ad breuem.

2.Sed neque ita comprehenditur certa menſura temporis : quandoquidem fieri poteſt,vt ampliori ſpacio temporis perſonet verſus breuior,ſi productius pronuncietur,quàm longior, ſi correptius. Ita carmen,ita pes,ita ſyllaba. Inde mihi viſum eſt,nihil eſſe aliud tempus quàm diſtenſionem,ſed cuius rei neſcio:& mirum,ſi non ipſius animi.Quid enim metior,obſecro Deus meus,& dico aut indefinitè,longius eſt hoc tempus quàm illud,aut etiam definitè, duplum eſt hoc ad illud? Tẽpus metior,ſcio. Sed nõ metior futurũ,quia nondum eſt.Nõ metior præſens,quia nullo ſpacio traditur.Non metior præteritum , quia iam non eſt.Quid ergo metior? An prætereuntia tempora,non præterita? Sic enim dixeram.

CA-

CAPVT XXVII.

Quomodo metimur tempus.

Psal 93 1 INsiste anime meus, & attende fortiter, De⁹ adiutor noster, ipse fecit nos, & nō ipsi nos. Attende, vbi albescit veritas. Ecce puta, vox corporis incipit sonare, & sonat, & adhuc sonat, & ecce desinit sonare, iāq; silentium est, & vox illa præterita est, & non est iā. Vox futura erat, antequā sonaret, & nō poterat metiri, quia nondum erat: & nunc nō potest, quia iā non est. Tunc ergo poterat, cùm sonabat, quia tunc erat, quæ metiri posset. Sed & tunc nō stabat, ibat enim, & præteribat. An ideo magis poterat? Præteriens igitur tendebatur in aliquod spaciū tēporis, quo metiri posset, quoniā præsens nullū habet spaciū. Si ergo tunc poterat, ecce puta, altera cœpit sonare, & adhuc sonat, continuato tenore, sine vlla distinctione, metiamur eā, dū sonat. Cū enim sonare cessauerit, iam præterita erit, & non erit, quæ possit metiri.

2. Metiamur planè, & dicamus, quāta sit. Sed adhuc sonat, nec metiri potest, nisi ab initio sui, quo sonare cœpit, vsque ad finem, quo desinit. Ipsum quippe interuallum metimur ab aliquo initio vsque ad aliquem finem.

Quapro-

Quapropter vox, quę nondum finita est, metiri non potest, vt dicatur, quàm longa vel breuis sit: nec dici aut æqualis alicui, aut ad aliquã simpla, vel dupla, vel quid aliud. Cùm autem finita fuerit, iã non erit. Quo pacto igitur metiri poterit? Et metimur tamen tempora, nec ea, quæ nondum sunt, nec ea, quæ iam non sunt, nec ea, quæ nulla mora extenduntur, nec ea, quæ terminos non habent. Nec futura ergo, nec præterita, nec præsentia, nec prætereuntia tempora metimur, & metimur tamen tempora.

3. Deus creator omnium, versus iste octo syllabarum breuibus & longis alternat syllabis. Quatuor itaque breues, prima, tertia, quinta, septima, simplæ sunt ad quatuor longas, secundam, quartam, sextam, & octauam. Hæ singulæ ad illas singulas duplum habent temporis, pronuncio & renuncio: & ita est, quantũ sentitur sensu manifesto. Quãtũ sensus manifestus est, breui syllaba lõgã metior, eamq; habere bis tãtum sentio. Sed cùm altera post alterã sonat, si prior breuis, longa posterior, quomodo tenebo breuẽ, & quomodo eã longè metiẽs applicabo, vt inueniã, quòd bis tantũ habeat, quandoquidem longa sonare non incipit,

incipit,niſi breuis ſonare deſtiterit? Ipsã quoq; longam non præſentem metior, quando niſi finitã non metior. Eius autem finitio,præteritio eſt.Quid ergo eſt, quod metior?Vbi eſt,quam metior,breuis?Vbi eſt longa,quã metior?Ambæ ſonuerunt,& volauerunt,præterierunt, iã non ſunt,& ego metior? Fidenterq; reſpondeo, quantum exercitato ſenſu fiditur,illam ſimplam eſſe,illam duplam,in ſpacio ſcilicet temporis.Neque hoc poſſum,niſi quia præterierunt,& finitę sũt. Non ergo ipſas,quę iam non ſunt, ſed aliquid in memoria mea metior, quod infixum manet.In te anime meus tempora metior.Noli mihi obſtrepere,quod eſt,noli tibi obſtrepere turbis affectionũ tuarum.In te,inquam,tempora metior, affectionem,quam res prętereuntes in te faciunt,& cũ illæ præterierint,manet.Ipſam metior præſentem, non eas quæ præterierunt,vt fieret.Ipſam metior, cũ tempora metior.Ergo aut ipſa ſunt tempora,aut non tempora metior.

4.Quid cùm metimur ſilentia,& dicimus illud ſilentium tãtum tenuiſſe temporis,quantum illa vox tenuit, nonne cogitationem tendimus ad menſuram vocis, quaſi ſonaret, vt aliquid de inter-

uallis

uallis silentiorum in spacio temporis renunciare possimus? Nam & voce atque ore cessante, peragimus cogitando carmina, & versus, & quemque sermonem, motionumque dimensiones quaslibet, & de spacijs temporum, quantum illud ad illud sit, renunciamus, non aliter, ac si ea sonando diceremus. Si voluerit aliquis edere longiusculam vocem, & constituerit premeditando, quâm longa futura sit, egit vtique iste spacium temporis in silentio, memoriæque commendans, cœpit edere illam vocem, quæ sonat, donec ad propositum terminum perducatur. Imò sonuit, & sonabit. Nam quod eius iã peractum est, vtique sonuit, quod autem restat, sonabit, atque ita peragitur, dũ presens intentio futurum in preteritum traijcit, diminutione futuri crescẽte preterito, donec consummatione futuri sit totum preteritum.

CAPVT XXVIII.

Animo metimur tempora.

1 SEd quomodo minuitur aut consumitur futurum, quod nondum est? Aut quomodo crescit preteritum, quod iam non est, nisi quia in animo, qui illud agit, tria sunt. Nã expectat, & attendit, & meminit; vt id quod expectat, per

id

id, quod attendit, trãſeat in id, quod meminerit. Quis igitur negat futura nondũ eſſe? Sed tamen iã eſt in animo expectatio futurorũ. Et quis negat præterita iã non eſſe? Sed tamen adhuc eſt in animo memoria præteritorum. Et quis negat præſens tempus carere ſpacio, quia in puncto præterit? Sed tamen perdurat attentio, per quam pergat abeſſe, quod aderit. Non igitur longum tempus futurũ, quod non eſt, ſed longũ futurũ, longa expectatio futuri eſt. Neq; lõgũ præteritum tempus, quod non eſt, ſed longum præteritum, lõga memoria præteriti eſt.

2. Dicturus ſum canticum, quod noui. Antequam incipiam in totũ expectatio mea tenditur: Cùm autem cœpero, quãtum ex illo in præteritum decerpſero, tantum tenditur in memoria mea, atque diſtenditur vita huius actionis meæ in memoriam, propter quod dixi, & in expectationẽ, propter quod dicturus ſum, præſens tamen adeſt attentio mea, per quam traijcitur, quod erat futurum, vt fiat præteritum. Quod quantò magis agitur & agitur, tantò breuiata expectatione prolongatur memoria, donec tota expectatio conſumatur, cùm tota illa actio finita tranſierit in memoriam.

Et

Et quod in toto cantico, hoc in ſingulis particulis eius fit, atque in ſingulis ſyllabis eius, hoc in actione longiore, cuius fortè particula eſt illud canticum. Hoc in tota vita hominis; cuius partes ſunt omnes actiones hominis. Hoc in toto ſeculo filiorum hominum, cuius partes ſunt omnes vitæ hominum.

CAPVT XXIX.

Animi extenſio.

SEd quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, ecce diſtenſio eſt vita *Pſal. 62.* mea, & me ſuſcepit dextra tua, in Domino meo, mediatore filio hominis, inter te vnum & nos multos, in multis per *1. Tim 2.* multa, vt per eum apprehendam, in quo & apprehenſus ſum, & à veteribus diebus colligar ſequens vnum, pręterita oblitus: non in ea, quæ futura & tranſitura ſunt, ſed in ea, quæ antè ſunt, non diſtentus, ſed intentus, non ſecundùm diſtenſionem, ſed ſecundùm intentionem ſequor ad palmam ſupernæ vocationis: vbi audiam vocem laudis tuæ, & cõtempler delectationem tuam, nec venientem, nec prætereuntem. Nunc verò anni mei in gemitib. & tu ſolatiũ meũ Domine pater meus æternus es. At ego in tempora diſſilui, quorum ordinem

neſcio

nescio, & tumultuosis varietatibus dilaniantur cogitationes meæ, intima viscera animę meę, donec in te confluam purgatus & liquidus igne amoris tui.

CAPVT XXX.

ET stabo atque solidabor in te, in forma mea veritate tua; nec patiar quęstiones hominum, qui pœnali morbo plus sitiunt quàm capiunt, & dicunt: Quid faciebat Deus, antequam faceret cœlum & terram? Aut quid ei venit in mentem, vt aliquid faceret, cùm antea nũquam aliquid fecerit? Da illis Domine bene cogitare, quid dicant, & inuenire, quia non dicitur nunquam, vbi non est tempus. Quod ergo dicitur nunquã fecisse, quid aliud dicitur, nisi nullo tẽpore fecisse? Videant itaque nullum tempus esse posse sine creatura tua, & desinant istam vanitatem loqui. Extendãtur etiã in ea, quę antè sunt, & intelligant te ante omnia tempora ęternũ creatorem omnium temporum: neq; vlla tempora tibi esse coęterna, nec vllam creaturam, etiam si est aliqua supra tempora.

CAPVT XXXI.

Quomodo cognoscitur Deus, quomodo creatura.

1 Do-

DOmine Deus meus, quis ille sinus est alti secreti tui; & quàm longè inde me proiecerunt consequentia delictorum meorum? Sana oculos meos, vt congaudeam luci tuæ. Certè si est tam grandi scientia, & præscientia pollens animus, cui cuncta præterita & futura ita nota sint, sicut mihi vnum canticum notissimum; nimirum mirabilis est anim⁹ iste, atque ad horrorem stupẽdus. Quippe, quem ita non lateat, quicquid peractum, & quicquid reliquum seculorum est, quemadmodum me non latet cantãtem illud canticum, quid & quantum eius abierit ab exordio, quid & quantum restet ad finem. Sed absit, vt tu conditor vniuersitatis, conditor animarũ & corporum, absit, vt ita noueris omnia futura & præterita. Longè tu, longè mirabilius, longeque secretius. Neque enim sicut nota cantantis, notumue canticum audientis, expectatione vocum futurarum, & memoria præteritarum variatur affectus sensusq; distenditur, ita tibi aliquid accidit incommutabiliter æterno; hoc est verè æterno creatori mentiũ. Sicut ergo nosti in principio cœlum & terram, sine varietate notitiæ tuæ: ita fecisti in principio cœlum & terram, sine Genes. 1.

distinctione actionis tuæ. Qui intelligit, confiteatur tibi: & qui non intelligit, confiteatur tibi. O quàm excelsus es, & humiles corde sunt domus tuæ. Tu enim erigis elisos, & non cadunt, quorum fortitudo tu es.

DIVI AVRELII Augustini Confessionum Liber Duodecimus.

CAPVT I.

Difficilis inquisitio veri.

MVlta satagit cor meum, Domine, in hac inopia vitæ meæ, pulsatū verbis sanctæ scripturæ tuæ. Et ideò plerumque in sermone, copiosa est egestas humanæ intelligentiæ: quia plus loquitur inquisitio, quàm inuentio, & longior est impetratione petitio; & operosior est manus pulsans, quàm sumens. Tenemus promissum, quis corrumpet illud? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: Pulsate,
Rom. 8. & aperietur vobis. Omnis enim, qui
Matt. 7. petit, accipit: & quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Promissa tua sunt. Et

quis falli timeat, cùm promittit veritas?

CAPVT II.

De duplici cœlo & terra.

Confitetur altitudini tuæ humilitas linguæ meæ, quoniam tu fecisti cœlum & terram: hoc cœlum, quod video, terrámq́; quã calco. Vnde est hæc terra, quã porto: tu fecisti. Sed vbi est cœlũ cœli Domino, de quo audiuimus in voce Psalmi: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum? Vbi est cœlum, quod non cernimus? cui terra est hoc omne, quod cernimus. Hoc enim totum corporeum, non vbique totum ita accepit speciem pulchram in nouissimis, cuius fundus est terra nostra; sed ad illud cœlum cœli, etiam terræ nostræ cœlum, terra est. Et hoc vtrumque magnum corpus, non absurdè terra est, ad illud nescio quale cœlum, quod Domino est, non filijs hominum. Psal. 113.

CAPVT III.

Tenebræ super faciem abyssi.

Et nimirum hæc terra erat inuisibilis, & incõposita, & nescio, quæ profunditas abyssi, super quam nõ erat lux, quia nulla species erat illi. Vnde iussisti, vt scriberetur, quod tenebræ erant super abyssum, quid aliud, quàm lucis absentia? Gen. 1.

ſentia? Vbi enim lux eſſet, ſi eſſet, niſi ſupereſſet eminēdo & illuſtrando? Vbi ergo lux nondum erat, quid erat adeſſe tenebras, niſi ab eſſe lucem? Super itaque erant tenebræ, quia lux ſuper aberat; ſicut ſonus vbi non eſt, ſilentium eſt. Et quid eſt eſſe ibi ſilentiū, niſi ſonum ibi non eſſe? Nonne tu Domine docuiſti hāc animam, quæ tibi confitetur? Nonne tu Domine docuiſti me, quòd priuſquam iſtam informem materiam formares atque diſtingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non ſpiritus? Non tamen omnino nihil; erat quædam informitas, ſine vlla ſpecie.

CAPVT IV.

Materia prima Hyle.

QVid ergo vocaretur, quo etiam ſenſu tardioribus vtcunque inſinuaretur, niſi vſitato aliquo vocabulo? Quid autem in omnibus mundi partibus reperiri poteſt propinquius informitati omnimodæ, quàm terra & abyſſus? Minùs enim ſpecioſa ſunt pro ſuo gradu infimo, quàm cætera ſuperiora, perlucida & luculenta omnia. Cur ergo non accipiam informitatem materiæ, quam ſine ſpecie feceras, vnde ſpecioſum mundum faceres, ita commodè homi-

hominibus intimatam, vt appellaretur terra inuisibilis & incomposita.

CAPVT V.

Hyle qualis.

CVm in ea quęrit cogitatio, quid sensus attingat, & dicit sibi, non est intelligibilis forma, sicut vita, sicut iustitia, quia materies est corporum: neque sensibilis est, quoniam quid videatur, & quid sentiatur in inuisibili & incomposita, non est. Dum sibi hæc dicit humana cogitatio, conetur eam vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo.

CAPVT VI.

Quid senserit aliquando de materia prima, & quid modò.

1 EGo verò Domine, si totum cõfitear tibi ore meo, & calamo meo, quicquid de ista materia docuisti me: cuius antea nomen audiens & non intelligens narrantibus mihi eis, qui non intelligerent eam, cũ speciebus innumeris & varijs cogitabam: Et ideò non eam cogitabã, fœdas & horribiles formas perturbatis ordinibus voluerat animus, sed formas tamen: & informe appellabam, nõ quod careret forma, sed quod talem haberet: vt si appareret insolitum & in-

congruum, auersaretur sensus meus, & conturbaretur infirmitas hominis. Verũ autem illud, quod cogitabam, non priuatione omnis formæ, sed cõparatione formosiorum erat informe, & suadebat vera ratio, vt omnis formæ qualescunq; reliquias omnino detraherem, si vellem prorsus informe cogitare, & non poterã. Citius enim non esse censebã, quod omni forma priuaretur, quã cogitabã quiddã inter formã & nihil, nec formatum, nec nihil, informe propè nihil.

2. Et cessauit mens mea interrogare hinc spiritum meum, plenum imaginibus formatorum corporum, & eas pro arbitrio mutantem atque variantem. Et intendi in ipsa corpora, eorumque mutabilitatẽ alterius inspexi, qua desinunt esse, quod fuerant; & incipiũt esse, quod non erant. Eundemq; transitum de forma in formam per informe quiddã fieri suspicatus sum, non per omnino nihil, sed nosse cupiebam, non suspicari. Et si totum tibi confiteatur vox & styl⁹ meus, quicquid de ista quæstione enodasti mihi, quis legentium capere durabit? Nec ideo tamen cessabit cor meum dare tibi honorem & canticulum laudis, de his, quæ dictare non sufficit. Mutabilitas

enim rerum mutabilium capax ipsa est formarum omniũ, in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid est? Nũquid animus? Nunquid corpus? Nunquid species animi vel corporis? Si dici posset, nihil aliquid est, & non est, hoc eam dicerem, & tamen iam vtrumque erat, vt species caperet istas visibiles, & compositas.

CAPVT VII.

Cœlum terra maius.

1 ET vnde vtrumque erat, nisi esset abs te, à quo sunt omnia, in quantũcũq; sunt? Sed tantò à te longius, quãto dissimilius. Neq; enim locis. Itaq; tu Domine, qui nõ es aliàs aliud, & aliàs aliter: sed idipsum, & idipsum, & idipsum. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotẽs, in principio, quod est in te, in sapientia tua, quæ nata est de substantia tua, fecisti aliquid, & de nihilo. *Esa. 6.*

2. Fecisti enim cœlum & terram, non de te: nam esset æquale vnigenito tuo, ac per hoc & tibi: & nullo modo iustũ esset, vt æquale tibi esset, quod de te non esset. Et aliud præter te nõ erat, vnde faceres *Psal. 113.* ea Deus, vna trinitas, & trina vnitas. Et ideo de nihilo fecisti cœlũ & terrã, magnum quiddã & paruũ quiddã, quoniam omnipotens & bonus es ad faciẽda om-

nia bona, magnū cœlū, & paruā terram. Tu eras, & aliud nihil, vnde fecisti cœlū & terrā, duo quædā, vnum propè te, alterum propè nihil. Vnum quo superior tu esses; alterum quo inferior nihil esset.

CAPVT VIII.

Materia prima ex nihilo, ex hac omnia.

Psal. 113. 1 SEd illud cœlum cœli tibi Domine, terrā aūt, quā dedisti filijs hominum cernendā atque tangendā, non erat talis,
Genes. 1. qualē nunc cernimus & tangimus. Inuisibilis enim erat, & incōposita, & abyssus erat, super quā nō erat lux, aut tenebræ erāt super abyssum, id est, magis quā in abysso. Ista quippe abyssus aquarū iā visibiliū etiam in profundis suis habet speciei suæ lucē vtcunque sensibilē piscibus & repentibus in suo fundo animātibus. Illud autem totum propè nihil erat, quoniam adhuc omnino informe erat. Iam tamen erat, quod formari poterat. Tu enim Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re penè nullam rem, vnde faceres magna, quæ miramur filij hominum.

2. Valde enim mirabile hoc cœlū corporeū, quod firmamētū inter aquam & aquam, secundo die post conditionē lucis

cis dixisti: Fiat, & sic factū est. Quod firmamentum vocasti cœlum, sed cœlum terræ huius & maris, quæ fecisti tertio die dādo speciē visibilē informi materię, quā fecisti ante omnē diē. Iā enim feceras & cœlū ante omnē diē: sed cœlū cœli huius, quia in principio feceras cœlū & terram: Terra aūt ipsa, quam feceras, informis materies erat, quia inuisibilis erat, & incomposita, & tenebræ super abyssum. De qua terra inuisibili & incōposita, de qua informitate, de quo penè nihilo faceres hæc omnia, quibus iste mutabilis mundus constat, & nō cōstat, in quo ipsa mutabilitas apparet, & in quo sentiri & dinumerari possunt tempora; Quia rerum mutationibus fiunt tempora, dum variantur & vertuntur species, quarum materies prædicta est terra inuisibilis.

CAPVT IX.

Cœlum cœli quid.

IDeoq; spiritus doctor famuli tui, cū te cōmemorat fecisse in principio cœlū & terrā, tacet de tēporibus, silet de diebus. Nimirū .n. cœlū cœli, quod in principio fecisti, creatura est aliqua intellectualis, quāquā nequaquā tibi Trinitati coæterna: particeps tamē æternitatis tuæ

valde mutabilitatem suam præ dulcedine fœlicissimæ contemplationis tuæ cohibet;& sine vllo lapsu, ex quo facta est, inhærendo tibi, excedit omnem volubilem vicissitudinem temporum. Ista verò informitas terræ inuisibilis & incompositæ, nec ipsa in diebus numerata est. Vbi enim nulla species, nullus ordo, nec venit quicquam, nec præterit. Et vbi hoc non fit, non sunt vtique dies, nec vicissitudo spaciorum temporalium.

CAPVT X.

Credere Scripturis.

O Veritas lumen cordis mei, non tenebræ meæ loquantur mihi. Defluxi ad ista, & obscuratus sum, sed hinc etiam hinc adamaui te. Erraui, & recordatus sum tui. Audiui vocem tuam post me, vt redirem, & vix audiui, propter tumultus peccatorum. Et nunc ecce redeo, æstuans & anhelans ad fontem tuum. Nemo me prohibeat; hunc bibam, & tũc viuam. Nam non ego vita mea. Si malè vixi, ex me mors mihi fui, & in te reuiuisco. Tu me alloquere, tu mihi sermocinare. Credidi libris tuis, & verba eorum arcana valde.

CAPVT XI.

Quid à Deo didicerit.

1 IAm dixisti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quia tu æternus es, solus habens immortalitatem; quoniam ex nulla specie motuve mutaris, nec temporibus variatur voluntas tua, quia non est immortalis voluntas, quæ alia & alia est. Hoc in conspectu tuo claret mihi, & magis magisque clarescat, oro te, atque in ea manifestatione persistam sobrius sub alis tuis. Itē dixisti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quòd omnes naturas atque substātias, quæ non sunt, quod tu es, & tamen sunt, tu fecisti, & hoc solùm à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te, qui es, ad id, quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est: Et quod nullius peccatum, aut tibi nocet, aut perturbat ordinem imperij tui, vel in primo, vel in imo. Hoc in conspectu tuo claret mihi, & magis magisque clarescat, oro te, atque in ea manifestatione persistam sobrius sub alis tuis. 1 *Tim.* 3.

2. Item dixisti mihi voce forti in aurē interiorem, quòd nec illa creatura tibi coæterna est, cuius voluntas tu solus es, teq; perseuerantissima castitate hauriēs, mutabilitatem suam nusquam & nun-

quam exerit, & te sibi semper præsentes ad quem toto affectu se tenet, non habẽ- futurum, quod expectet, nec in præteritum traijciẽs, quod meminerit; nulla vice variatur, nec in tempora vlla distenditur. O beata, si qua ista est, inhærendo beatitudini tuæ, beata sempiterno inhabitatore te atque illustratore suo. Nec inuenio, quid libentius appellandum existimem, cœlum cœli Domino, quàm domum tuam contemplantem delectationem tuam, sine vllo defectu egrediẽdi in aliud, mentẽ purã, concordissimè vnã stabilimento pacis sanctorũ spirituum, ciuiũ ciuitatis tuæ in cœlestibus, super ista cœlestia. Vnde intelligat anima, quantũ peregrinatione longinqua facta

Psal. 41. est, si iam sitit tibi; si iam factæ sunt ei lachrymæ suæ panis, dum dicitur ei per

Psal. 26. singulos dies, vbi est Deus tuus: Si iam petit à te vnã, & hanc requirit, vt inhabitet in domo tua, per oẽs dies vitæ suæ.

3. Et quæ vita eius, nisi tu? Et qui dies tui, nisi æternitas tua, sicut anni tui, qui

Psal. 10. non deficiunt, quia idem ipse es? Hinc ergo intelligat anima, quæ potest, quàm longè super omnia tempora sis æternus, quando tua domus, quę peregrinata nõ est, quamuis non sit tibi coę-

terna,

terna tamen indesinēter, & indeficiēter tibi cohærendo, nullā patitur vicissitudinē temporū. Hoc in conspectu tuo claret mihi, & magis magisq; clarescat, oro te, atq; in hac manifestatione persistā sobrius, sub alis tuis. Ecce, nescio quid informe in istis mutationib. rerū extremarū atque infimarū. & quis dicet mihi, nisi quisquis per inania cordis sui cū suis phantasmatibus vagatur & voluitur? Quis nisi talis dicet mihi, quod diminuta atque consumpta omni specie, si sola remaneat informitas, per quam de specie in speciem res mutabatur & vertebatur, possit exhibere vices temporū? Omnino enim non potest, quia sine varietate motionum non sunt tempora: & nulla varietas, vbi nulla species.

CAPVT XII.

Creatura duplex.

1 QVibus consideratis, quantum donas Deus meus, quantum me ad pulsandum excitas, quantumque pulsanti aperis: Duo reperio, quæ fecisti carentia temporibus, cùm tibi neutrum coæternum sit. Vnum, quod ita formatum est, vt sine vllo defectu contemplationis, sine vllo interuallo mutationis, quamuis mutabile, tamen non mutatū,

tua æternitate atq; incommutabilitate perfruatur. Alterum, quod ita informe erat, vt ex qua forma, in quam formã vel motionis, vel stationis mutaretur, quo tẽpori subderetur, non haberet. Sed hoc, vt informe esset, non reliquisti; quoniã fecisti ante omnem diem, in principio cœlum & terram, hæc duo quæ dicebam.

2. Terra autem inuisibilis erat & incomposita, & tenebræ super abyssum. Quibus verbis insinuatur informitas, vt gradatim excipiantur, qui omnimodam speciei priuationem, nec tamen ad nihilum peruentionem cogitare nõ possunt, vnde fieret aliud cœlum, & terra visibilis atque composita, & aqua speciosa, & quicquid deinceps in constitutione huius mundi, non sine diebus factum cõmemoratur; quia talia sunt, vt in eis agantur vicissitudines temporum, propter ordinatas commutationes motionum atque formarum.

CAPVT XIII.

Creatura spiritualis qualis.

HOc interim sentio Deus meus, cùm audio loquentem scripturam tuã: Gen. 1. in principio fecit Deus cœlum & terrã: terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, neque

que commemorantem quoto die feceris hæc. Sic interim sentio, propter illud cœlũ cœli, cœlũ intellectuale, vbi est intellectus nosse simul, non ex parte, nõ in ænigmate, non per speculum, sed ex toto in manifestata facie ad faciem: non modò hoc, modò illud, sed quod dictum est, nosse simul sine vlla vicissitudine tẽporum, & propter inuisibilem atque incompositã terrã, sine vlla vicissitudine temporum, quæ solet habere modò hoc & modò illud, quia vbi nulla species, nusquam est hoc aut illud. Propter duo hæc primitus formatum & penitus informe illud cœlum, sed cœlum cœli, hoc verò terrã, sed terrã inuisibilẽ & incompositam; propter duo hæc interim sentio sine cõmemoratione dierũ, dicere scripturam tuam: In principio fecit De⁹ cœlum & terrã. Statim quippe subiecit, quam terram dixerit. Et quod secundo die commemoratur factum firmamentũ, & vocatum cœlum, insinuat, de quo cœlo priùs sine dieb. sermo locutus sit.

1. Cor. 13.

Gen. 1.

CAPVT XIV.

Scripturæ profunditas.

MIra profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis, sed

profun-

profunditas Deus meus, mira profunditas. Horror est, intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris. Odi hostes eius vehementer. O si occidas eos gladio bis acuto, & non sint hostes eius. Sic enim amo eos occidi sibi, vt viuant tibi: Ecce autem alij non reprehensores, sed laudatores libri Geneseos: Non, inquiūt, hoc voluit in his verbis intelligi spiritus Dei, qui per Moysen famulum eius ista conscripsit: nō hoc voluit intelligi, quod tu dicis, sed aliud, quod nos dicimus. Quibus ego te arbitro Deus omnium nostrorum, ita respondeo.

CAPVT XV.

Quantum intersit inter conditorem & condita.

1 NVm dicetis falsa esse, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit, de vera æternitate creatoris, quòd nequaquam eius substantia per tempora varietur, nec eius voluntas extra eius substantiam sit? Vnde non eum modò velle hoc, modò velle illud; sed semel & simul & sēper velle omnia, quæ vult: non iterum, & iterum: neq; nunc ista, nunc illa, nec velle postea, quod nolebat, aut nolle, quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis est, & omnis

ne mutabile æternum non est: Deus autem noster æternus est. Item, quod mihi dicitur in aurem interiorem, expectatio rerum venturarum fit cõtuitus, cùm venerint, idemque contuitus fit memoria, cùm præterierint. Omnis porrò intẽtio, quæ ita variatur, mutabilis est, & omne mutabile æternum non est. Deus autem noster æternus est. Hæc colligo, atq; coniũgo, & inuenio Deũ meum, Deum æternum, non aliquam tali noua voluntate condidisse creaturam, nec scientiam eius transitorium aliquid pati.

2. Quid ergo dicetis contradictores? An falsa sunt ista? Non, inquiunt. Quid illud? Num falsum est omnem naturam formatam materiamue formabilem nõ esse, nisi ab illo, qui summè bonus est, quia summè est? Neque hoc negamus, inquiunt. Quid igitur? An illud negatis, sublimem quandam esse creaturam, tam casto amore cohærentem Deo vero & verè æterno, vt quamuis ei coæterna nõ sit, in nullã tamen temporum varietatem & vicissitudinem ab illo se resoluat ac defluat, sed in eius solius veracissima contemplatione requiescat? Quoniam tu Deus diligenti te, quantum præcipis, ostendis ei te, & sufficis ei, & ideo

ideò non declinat à te, nec ad se. Hæc est domus Dei non terrena, neque vlla cœlesti mole corporea, sed spiritualis & particeps æternitatis tuæ, quia sine labe in æternũ. Statuisti .n. eã in seculũ, & in
Psal. 148. seculũ seculi: prçceptũ posuisti, & nõ prçteribit. Nec tamen tibi Deo coæterna, quoniam non sine initio, facta est enim. Nã & si non inuenimus tempus ante illã,
2. senten. prior quippe omniũ creata est sapiẽtia,
distin. 2. nec vtique illa sapientia tibi Deus noster, patri suo plane coæterna & æqualis, & per quam creata sunt omnia, & in quo principio fecisti cœlum & terram, sed profectò sapientia, quæ creata est, intellectualis natura scilicet, quæ contẽplatione luminis lumen est: Dicitur enim & ipsa, quamuis creata, sapientia.

3. Sed quãtũ interest inter lumẽ, quod illuminat, & quod illuminatur; tantum inter sapientiam, quæ creat, & istam, quæ creata est, sicut inter iustitiam iustificantem, & iustitiam, quæ iu-
2 Cor. 5. stificatione facta est. Nam & nos dicti sumus iustitia tua. Ait enim quidã seru⁹ tuus, vt nos simus iustitia Dei in ipso.
Eccle. 1. Ergo, quia prior omnium creata est quædam sapientia, quæ creata est mens
Gal. 4. rationalis & intellectualis castæ ciuita-

tis

tis tuæ, matris nostræ, quæ sursum est, & libera est, & æterna in cœlis: Quibus cœlis, nisi qui te laudant cœli cœlorum? Quia hoc est, & cœlum cœli Domino: Psal. 148.
Et si non inuenimus tempus ante illam, quia & creaturam temporis antecedit, quæ prior omnium creata est, ante illā tamen est ipsius creatoris æternitas, à quo facta sumpsit exordium, quamuis non temporis, quoniam nondum erat tempus, ipsius tamen conditionis suæ. Vnde ita est abs te Deo nostro, vt aliud sit planè, quàm tu, & non idipsum. Quoniam & si non solum ante illam, sed nec in illa inuenimus tempus, quia est idonea faciem tuam semper videre, nec vspiam deflectitur ab ea. Quo fit, vt nulla mutatione varietur. Inest ei tamen ipsa mutabilitas, vnde tenebresceret & frigesceret, nisi amore grandi tibi cohærens, tanquam semper meridies luceret, & ferueret ex te.

4. O domus luminosa & speciosa, dilexi decorē tuū. & locū habitationis gloriæ Domini mei, fabricatoris & possessoris tui. Psal. 25. Tibi suspiret peregrinatio mea, & dico ei, qui fecit te, vt possideat, & me in te, quia fecit & me. Erraui sicut ouis Psal. 118. perdita, sed in humeris pastoris mei stru-

ctoris

Luc.15. ctoris tui, ſpero me reportari tibi. Quid dicitis mihi, quos alloquebar contradictores; qui tamen & Moyſen pium famulum Dei, & libros eius oracula ſancti ſpiritus creditis? Eſt ne iſta domus Dei, non quidē Deo coæterna, ſed tamen ſecundùm modum ſuum æterna in cœlis, vbi vices temporū fruſtra quæritis, quia non inuenietis? Superegreditur enim omnem diſtenſionem, & omne ſpacium ætatis volubile, cui ſemper inherere Deo bonum eſt. Eſt, inquiunt. Quid igitur ex

Pſal.72. his, quæ clamauit cor meum ad Deum meum, cùm audiret interius vocem laudis eius, quid tandem falſum eſſe contēditis? An quia erat informis materies, vbi propter nullam formam nullus ordo erat? Vbi autem nullus ordo erat, nulla eſſe viciſſitudo temporum poterat, & tamen hoc penè nihil. In quantum non omnino nihil erat, ab illo vtique erat, à quo eſt, quicquid eſt, quod vtcunque aliquid eſt. Hoc quoque aiunt, non negamus.

CAPVT XVI.

Aduerſus eos, qui contradicunt veritati diuinæ.

CVm his enim volo coram te aliquid colloqui Deus meus, qui hæc omnia,

omnia, quæ intus in mente mea non tacet veritas tua, vera esse concedunt. Nā qui hæc negant, latrent quantum volunt & obstrepant sibi, persuadere conabor, vt quiescant, & viam præbeant ad se verbo tuo. Quod si noluerint, & repulerint me, obsecro te Deus meus, ne tu sileas à me. Tu loquere in corde meo veraciter, solus enim tu sic loqueris: Et dimittam eos foris sufflantes in puluerem, & excitantes terram in oculos suos: & intrem in cubile meum, & cantem tibi amatoria, gemens inenarrabiles gemitus in peregrinatione mea, & recordans Hierusalē, extēto in eā sursum corde, Hierusalem patriam meam, Hierusalem matrē meam, teque super eam regnatorem, illustratorē, patrem, tutorem, maritum, castas & fortes delicias, & solidum gaudium, & omnia bona ineffabilia, simul & omnia, quia vnum summum & verum bonum: & non auertar, donec in eius pacem matris charissimæ, vbi sunt primitiæ spiritus mei, vnde mihi ista certa sunt, colligas totum quod sum, à dispersione, & deformitate hac, & cōformes atque confirmes in æternum, Deus meus, misericordia mea. Cum his autem, qui cuncta illa, quæ vera sunt,

Psal. 27.

ſunt, falſa eſſe non dicunt, honorantes, & in culmine ſequendæ autoritatis nobiſcum conſtituentes illam per ſanctum Moyſen editã ſanctam ſcripturam tuã; & tamen nobis aliquid contradicunt, ita loquor: Tu eſto Deus noſter arbiter, inter confeſſiones meas, & contradictiones eorum.

CAPVT XVII.

Quid cœli & terræ nominibus ſignificatum.

1 DIcunt enim, quamuis vera ſint hęc, non ea tamen duo Moyſes intue-
b atur, cum ſpiritu reuelante diceret: In
Gen. 1. Principio fecit Deus cœlum & terram. Non cœli nomine ſpiritalem, vel intellectualem illam creaturam, ſemper faciem Dei contemplantem ſignificauit; nec terrę nomine informem materiam. Quid igitur? Quod nos dicimus, inquiũt, hoc ille vir ſenſit, hoc verbis iſtis elocutus eſt. Quid illud eſt? Nomine aiunt cœli & terrę totum iſtum viſibilem mundum priùs vniuerſaliter & breuiter ſignificare voluit, vt poſtea digereret dierum enumeratione, quaſi articulatim vniuerſa, quę ſancto ſpiritui placuit ſic enunciare. Tales quippe homines erant, rudis ille atque carnalis

populus, cui loquebatur; vt eis opera Dei, non nisi sola visibilia commendãda indicaret: terram verò inuisibilem, & incõpositam, tenebrosamque abyssum. Vnde consequenter ostenditur, per illos dies facta atque disposita esse cuncta ista visibilia, quę nota sunt omnibus, non incongruenter informem istã materiam intelligendam esse consentiunt.

2. Quid si dicat alius, eandem informitatem, confusionemque materię cœli & terrę nomine priùs insinuatam, quòd ex ea mundus iste visibilis, cum omnibus naturis, quę in eo manifestissimè apparent, qui cœli & terrę nomine sępe appellari solet, conditus atque perfectus est? Quid si dicat & alius, cœlum & terram quidem inuisibilem, visibilẽque naturam non indecenter appellatam, ac per hoc vniuersam creaturam, quam fecit in sapientia, id est, in principio Deus, huiuscemodi duobus vocabulis esse comprehensam. Veruntamen, quia non de ipsa substantia Dei, sed ex nihilo cuncta facta sunt, quia non sunt idipsum quod Deus, & inest quędã mutabilitas omnibus, siue maneant, sicut ęterna domus Dei, siue mutentur, sicut anima hominis & corpus, communem

om-

omnium rerum inuiſibilium viſibiliumque materiem adhuc informem, ſed certè formabilem, vnde fieret cœlum & terra, id eſt, inuiſibilis atque viſibilis iam vtraque formata creatura, his nominib' enunciata, quibus appellaretur terra inuiſibilis & incōpoſita, & tenebræ ſuper abyſſum: ea diſtinctione, vt terra inuiſibilis, & incompoſita intelligatur materies corporalis, ante qualitatem formæ. Tenebræ autem ſuper abyſſum ſpiritualis materies ante cohibitionem quaſi fluentis immoderationis, & ante illuminationem ſapientiæ.

3. Eſt adhuc quod dicat, ſi quis aliud velit, non ſcilicet iam perfectas atque formatas inuiſibiles viſibileſque naturas cœli & terræ nomine ſignificari, cū legitur: In principio fecit Deus cœlum & terram, ſed ipſam adhuc informem inchoationem rerum, formabilem creabilemque materiam his nominibus appellatam, quòd in ea iam eſſent iſta cōfuſa, nondum qualitatibus formiſque diſtincta, quæ nunc iam digeſta ſuis ordinibus, vocantur cœlum & terra; illa ſpiritualis, hæc corporalis creatura.

Geneſ. 1.

CA-

CAPVT XVIII.

Quis error innoxius in scripturis.

QVibus omnibus auditis & considerratis, nolo verbis contendere. Ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionē audientium. Ad ædificationem autem bona est lex, si quis ea legitimè vtatur, quia finis eius est charitas, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Et nouit magister noster, in quibus duobus præceptis totam legem, prophetasque suspenderit. Quæ mihi ardenter confitenti Deus meus, lumen oculorum meorum in occulto, quid mihi obest, cùm diuersa in his verbis intelligi possint, quæ tamen vera sint? Quid inquam mihi obest, si aliud ego sensero, quàm sensit alius eum sensisse, qui scripsit? Omnes quidem, qui legimus, nitimur hoc indagare atque comprehendere, quod voluit ille, quem legim⁹. Et cùm eum veridicum credimus, nihil quod falsum esse vel nouimus vel putamus, audemus eum existimare dixisse. Dum ergo quisquis conatur id sentire in scripturis sanctis, quod in eis sensit ille, qui scripsit, quid mali est, si hoc sentiat, quod tu lux omniū viridicarum mētiū ostendis verum esse, etiā si hoc nō sensit,

2 Tim. 2.
2. Tim. 1.
Matt. 22.

ille, quem legit, cùm & ille verum, nec tamen hoc senserit.

CAPVT XIX.

Quæ liquidò vera.

*Gen.*1. VErum est enim Domine, fecisse te cœlum & terram; & verum est, Prin-
Psal. 103. cipium esse sapientiam tuam, in qua fecisti omnia. Itē verū est, quòd mundus iste visibilis habet magnas partes suas cœlū & terrā, breui complexione factarū omniū conditarūq; naturarum. Et verū est, quòd omne mutabile insinuat notitiæ nostræ quandam informitatem, qua formam capit, vel qua mutatur & vertitur. Verum est, nulla tempora perpeti, quod ita cohæret formæ incommutabili, vt quamuis sit mutabile, non mutetur. Verum est, informitatem, quæ propè nihil est, vices temporum habere non posse. Verum est, quòd vnde fit aliquid, potest quodam genere locutionis habere iam nomen eius rei, quæ inde fit. Vnde potuit vocari cœlū & terra quælibet informitas, vnde factum est cœlū & terra. Verum est, omniū formatorum nihil esse informi vicinius, quàm terram & abyssum. Verū est, quòd non solùm creatū atque formatum, sed etiam quicquid creabile atque formabile est, tu fe-

cisti

cisti, ex quo sunt omnia. Verum est, omne quod ex informi formatur, priùs esse informe, deinde formatum.

CAPVT XX.

In principio creauit, &c. variè intellectum. Gen. 1.

1 EX his omnibus veris, de quibus non dubitant, quorum interiori oculo talia videre donasti; & qui Moysen famulum tuum, in spiritu veritatis locutum esse immobiliter credunt. Ex his ergo omnibus aliud sibi tollit, qui dicit: In principio fecit Deus cœlum & terram; id est, in verbo suo sibi coæterno, fecit Deus intelligibilem atque sensibilem, vel spiritalem corporalemque creaturam. Aliud, qui dicit: In principio fecit Deus cœlum & terram, id est, in verbo suo sibi coæterno, fecit Deus vniuersam istam molem corporei mundi huius, cum omnibus, quas continet, manifestis notisque naturis. Gen. 1. Ibidem.

2. Aliud, qui dicit: In principio fecit Deꝰ cœlū & terrā, id est, in verbo suo sibi Ibidem.

coæterno, fecit Deus informē materiam creaturæ ſpiritualis & corporalis. Aliud, qui dicit: In principio fecit Deus cœlum & terram, id eſt, in verbo ſuo ſibi coæterno, fecit Deus informē materiam creaturæ corporalis, vbi cōfuſum adhuc erat cœlum & terra, quæ nunc iam diſtincta atq; formata in iſtius mundi mole ſentimus. Aliud, qui dicit: In principio fecit Deus cœlum & terrā, id eſt, in ipſo exordio faciēdi atque operādi, fecit Deus informē materiā, confuſè habentē cœlum & terrā, vnde formata nunc eminent & apparent, cum omnibus, quæ in eis ſunt.

Ibidem.

Ibidem.

CAPVT XXI.

Terra erat inanis: variè intellectum.

Gen. 1.

1 ITem quod attinet ad intellectū verborū ſequentiū, ex illis omnibus veris aliud ſibi tollit, qui dicit: Terra aūt erat inuiſibilis & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſsū, id eſt, incorporale illud, quod fecit De⁹, adhuc materies erat corporearū rerū informis, ſine ordine, ſine luce. Aliud, qui dicit: Terra autē erat inuiſibilis & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum; id eſt, hoc totū, quod cœlū & terra appellatū eſt, adhuc informis & tenebroſa materies erat, vnde fieret cœlū corporeū & terra corporea, cū

Gen. 1.

om-

omnibus, quæ in eis sunt, corporeis sensibus nota. Aliud, qui dicit: Terra aūt erat inuisibilis & incōposita, & tenebræ erāt super abyssum, id est, hoc totū, quod cœlū & terra appellatū est, adhuc informis & tenebrosa materies erat, vnde fieret cœlū intelligibile, quod alibi dicitur cœlū cœli, & terra, scilicet omnis natura corporea, sub quo nomine intelligatur etiā hoc cœlū corporeū, id est, vnde fieret omnis inuisibilis visibilisq; creatura.

2. Aliud, qui dicit: Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erāt super abyssum, non illā informitatē nomine cœli & terræ Scriptura appellauit; sed iam erat, inquit, ipsa informitas quā terrā inuisibilem & incompositam tenebrosamq; abyssum nominauit, de qua cœlum & terrā Deum fecisse prædixerat, spiritualē scilicet, corporalemq; creaturam. Aliud, qui dicit: Terra autē erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, id est, informitas quædam iam materies erat, vnde cœlū & terram Deum fecisse Scriptura prædixit; totam scilicet corpoream mūdi molē, in duas maximas partes, superiorē atq; inferiorē distributā, cū omnibus quæ in eis sūt, vsitatis, notisq; creaturis,

CAPVT XXII.

Et aqua nomine cœli ac terræ significantur.

1 CVm enim duabus istis extremis sententijs resistere quisquam ita tentauerit, si non vult istam informitatem materiæ cœli & terræ nomine appellatam videri, erat ergo aliquid, quod non fecerat Deus, vnde cœlum & terrã faceret. Neq; enim scriptura narrauit, quòd istam materiam Deus fecerit, nisi vt intelligamus eam cœli & terræ, aut solius terræ vocabulo significatam, cùm diceretur: In principio fecit Deus cœlum & terram, vt id, quod sequitur: Terra autẽ erat inuisibilis, & incomposita, quamuis informem materiam sic placuerit appellare, non tamen intelligamus nisi eam, quam fecit Deus, in eo quod scriptum est: Fecit Deus cœlum & terram.

Genes.1.

2. Respondebunt assertores duarum istarum sententiarum, quas extremas posuimus, aut illius, aut illius, cùm hæc audierint, & dicent: Informem quidem istam materiam non negamus à Deo factam, à quo sunt omnia bona valde. Quia sicut dicimus amplius bonum esse, quod creatum atque formatum est, ita fatemur minus bonum esse, quod fa-

factum est creabile atque formabile, sed tamen bonum. Non autem commemoraffe scripturam, quòd hanc informitatē fecerit Deus, sicut alia multa non commemorauit, vt Cherubin, & Seraphin, & quæ Apostolus distinctè ait, sedes, dominationes, principatus, potestates, quæ tamen omnia Deū fecisse, manifestū est.

3. Aut si in eo, quod dictum est: Fecit cœlum & terram, comprehensa sunt omnia, quid de aquis dicimus, super quas ferebatur spiritus Dei? Si enim terra nominata simul intelliguntur, quomodo iam terræ nomine materies informis accipitur, quando tam speciosas aquas videmus? Aut si ita accipitur, cur ex eadē informitate scriptum est, factum firmamentum & vocatum cœlum, neque scriptum est factas esse aquas? Non enim adhuc informes sunt & inuisæ, quas ita decora specie fluere cernimus. Aut si tūc acceperunt istam speciem, cùm dixit Deus: Congregetur aqua, quæ est sub firmamento: vt congregatio sit ipsa formatio, quid respondebitur de aquis, quæ super firmamentum sunt? Quia neque informes tam honorabilem sedem accipere meruissent, nec scriptum est, qua voce formatæ sint.

4. Vnde si aliquid Genesis tacuit Deũ fecisse, quod tamen Deum fecisse, nec sana fides, nec certus ambigit intellectus. Nec ideo vlla sobria doctrina dicere audebit, istas aquas coæternas Deo, quia in libro Geneseos commemoratas quidem audiuimus, vbi autem factæ sint, non inuenimus. Cur non informem quoque illam materiem, quam scriptura hæc terram inuisibilem & incompositam, tenebrosamque abyssum appellat, docente veritate intelligamus à Deo factã esse de nihilo: ideoque illi non esse coæternam, quamuis, vbi facta sit, omiserit enunciare ista narratio.

CAPVT XXIII.

A sensu scripturæ aberrare leuius est, quàm scripturam dicere falsam.

HIs ergo auditis atque perfectis, pro captu infirmitatis meæ, quam tibi confiteor scienti Deo meo, duo video dissensionum genera oboriri posse, cùm aliquid à nuncijs veracibus per signa enunciatur. Vnum, si de veritate rerum; alterum, si de ipsius, qui annunciat, voluntate dissensio est. Aliter enim quærimus de creaturæ conditione, quid verũ sit; aliter autem, quid in his verbis Moyses egregius domesticus fidei tuæ intel-

intelligere lectorem auditoremque voluerit. In illo primo genere diſcedant à me omnes, qui ea, quæ falſa ſunt, ſe ſcire arbitrantur. In hoc item altero diſcedant à me omnes, qui ea, quę falſa ſunt, Moyſen dixiſſe arbitrantur. Coniungar autē illis Domine in te, & delecter cum eis in te, qui veritate tua paſcuntur in latitudine charitatis, & accedamus ſimul ad verba libri tui, & quæramus in eis voluntatem tuam, per voluntatem famuli tui, cuius calamo diſpenſaſti ea.

CAPVT XXIV.

Verax eſt ſcriptura, etiam ſi non intelligatur.

1 SEd quis noſtrum ſic inueniet eam inter tam multa verba, quæ in illis verbis aliter atque aliter intellectis occurrunt quærentibus, vt tam fidenter dicat hoc ſenſiſſe Moyſen, atque hoc in illa narratione voluiſſe intelligi, quàm fidenter dicit hoc verū eſſe, ſiue ille hoc ſenſerit, ſiue aliud: Ecce enim Deus meꝰ, ego ſeruus tuus, qui volui tibi ſacrificiū cõfeſſionis in his literis, & oro, vt ex miſericordia tua reddam tibi vota mea.

2. Ecce ego quàm fidenter dico, in tuo verbo incommutabili omnia te feciſſe inuiſibilia & viſibilia. Nunquid

tam fidenter dico, non aliud quàm ho-
attendisse Moysen, cùm scriberet: In
Gen. I. principio fecit Deus cœlum & terram.
Quia non sicut in tua veritate hoc certum video, ita in eius mente video id eũ cogitasse, cùm hæc scriberet. Potuit enim cogitare in ipso faciendi exordio, cùm diceret: In principio: potuit & cœlũ & terram hoc loco nullam iam formatam perfectamque naturam, siue spiritualem siue corporalem, sed vtramque inchoatam & adhuc informem velle intelligi.

3. Video quippe verè potuisse dici, quicquid horum diceretur, sed quid horũ in his verbis ille cogitauerit, non ita video. Quamuis siue aliquid horum, siue aliquid aliud, quod à me commemoratum non est, tantus vir ille mẽte conspexerit, cùm hæc verba promeret, verũ vidisse, apteq; id enunciasse non dubitẽ. Nemo mihi iam molestus sit dicendo mihi: Nõ hoc sensit Moyses, quod tu dicis, sed hoc sensit, quod ego dico. Si enim mihi diceret: vnde scis hoc sensisse Moysen, quod de his verbis eius eloqueris, æquo animo ferre deberẽ, & responderẽ fortasse, quæ superiùs respondi, vel aliquanto vberius, si essem durior.

CAPVT XXV.

Obſcuritas Geneſeos.

1 CVm verò dicit; Non hoc ille ſenſit, quod tu dicis, ſed quod ego dico; neque tamen negat, quod vterq; noſtrũ dicit, vtrumq; verũ eſſe. O vita pauperũ Deus meus, in cuius ſinu non eſt contradictio, plue mihi mitigationes in cor, vt patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quia diuini ſunt, & in corde famuli tui viderunt, quod dicunt. Sed quia ſuperbi ſunt, nec nouerunt Moyſi ſententiã, ſed amant ſuã, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt. Alioquin & aliã verã pariter amarẽt, ſicut & ego amo, quod dicunt, quando verũ dicunt, non quia ipſorũ eſt, ſed quia verũ eſt, & ideo iam nec ipſorum eſt, quia verum eſt. Si autẽ ideo amant illud, quia verum eſt; iam & ipſorum eſt, & meũ eſt, quoniã in commune omnium eſt veritatis amatorũ.

2. Illud autem, quod contendunt non hoc ſenſiſſe Moyſen, quod ego dico, ſed quod ipſi dicunt, nolo, non amo: quia & ſi ita eſt, tamen iſta temeritas non ſcientiæ, ſed audaciæ eſt: nec viſus, ſed typhus eam peperit. Ideoque Domine, tremenda ſunt iudicia tua, quoniam veritas tua nec mea eſt, nec illius, aut

illius, ſed omnium noſtrũ, quos ad eius cõmunionem publicè vocas, terribiliter admonẽs nos, vt nolimus eã habere priuatã, ne priuemur ea. Nam quiſquis id, quod tu omnibus ad fruendũ proponis, ſibi propriè vindicat, & ſuum vult eſſe, quod omniũ eſt, à communi propellitur ad ſuã, hoc eſt, à veritate ad mẽdaciũ. Qui .n. loquitur mendaciũ, de ſuo loquitur. Ioan.8.

3. Attẽde iudex optime Deus, ipſa veritas attende, quid dicam contradictori huic, attende, coram te enim dico, & coram fratribus meis, qui legitimè vtũtur lege vſque ad finem charitatis: attende, & vide, quid ei dicam, ſi placet tibi. Hanc enim vocem huic refero fraternam & pacificam. Si ambo videmus verum eſſe, quod dicis, & ambo videmus verũ eſſe, quod dico, vbi quæſo id videmus? Nec ego vtique in te, nec tu in me, ſed ambo in ipſa, quæ ſupra mentes noſtras eſt, incommutabili veritate. Cùm ergo de ipſa Domini Dei noſtri luce non contendamus, cur de proximi cogitatione cõtendimus? Quam ſic videre non poſſumus, vt videtur incommutabilis veritas, quando ſi ipſe Moyſes apparuiſſet nobis, atque dixiſſet, hoc cogitaui, nec ſic eam videremus, ſed crederemus.

4. Non

4. Non itaque suprà quàm scriptum
est, vnus pro altero inflétur aduersus al- 1 Cor 4.
terum. Diligamus Dominum Deum no- Deut. 6.
strum, ex toto corde, ex tota anima, &
ex tota mente nostra, & proximum si-
cut nosmetipsos. Propter quæ duo præ-
cepta charitatis sensisse Moysen, quic-
quid in illis libris sensit, nisi crediderimus, mendacem faciemus Deum, cùm
de animo conserui aliter quàm ille docuit, opinamur. Iam vide, quàm stultũ
sit in tanta copia verissimarum sententiarum, quæ de illis verbis erui possunt,
temerè affirmare, quam earum Moyses
potissimum senserit, & perniciosis contentionibus ipsam offendere charitatẽ,
propter quam dixit omnia, cuius dicta
conamur exponere.

CAPVT XXVI.

Qui sermo deceat scripturam.

1 ET tamen ego Deus meus, celsitudo
humilitatis meæ, & requies laboris
mei, qui audis confessiones meas, & dimittis peccata mea, quoniam tu mihi
præcipis, vt diligam proximum sicut meipsum, non possum minùs
credere de Moyse fidelissimo famulo
tuo, quàm mihi optarem ac desidera-

rem abs te dari aliquid muneris, si tempore illo natus essem, quo ille, eoque loci me constituisses, vt per seruitutem cordis, ac linguæ meæ, literæ illæ dispēsarentur: quæ tantò post essent omnibus gentibus profuturæ, & per vniuersum orbem tanto autoritatis culmine omnium falsarum superbarumque doctrinarum verba superaturæ.

2. Vellem quippe, si tunc ego essem Moyses, ex eadem namque massa omnes venimus: & quid est homo, nisi quia memor es eius? Vellem ergo, si tunc ego essem, quod ille: & mihi abs te Geneseos liber scribendus iniungeretur, talē mihi eloquendi facultatem dari, & eum texendi sermonis modum, vt neque illi, qui nondum queunt intelligere, quemadmodum creat Deus, tanquam excedētia vires suas dicta recusarent: & illi, qui hoc iam possunt, in quamlibet veram sententiam cogitando venissent, eam nō prætermissam in paucis verbis tui famuli reperirent: & si alius aliam vidisset in luce veritatis, nec ipsa in eisdem verbis intelligenda deesset.

Psal. 2.

CAPVT XXVII.

Ex fonte melius haurimus.

1 Si-

1 SIcut enim fons in paruo loco vberior est, pluribusque riuis in ampliora spacia fluxum ministrat, quàm quilibet eorum riuorum, qui per multa locorum spacia ab eodē fonte deducitur ita narratio dispensatoris tui, sermocinaturis pluribus profutura, paruo sermonis modulo scatet fluenta liquidæ veritatis: vnde sibi quisque verum, quod de his rebus potest, hic illud, ille illud, per longiores loquelarum anfractus trahat.

2. Alij enim, cùm hæc verba legunt, vel audiunt, cogitant Deum quasi hominem, aut quasi aliquam molem immensa præditā potestate, nouo quodā & repentino placito, extra seipsam tanquā locis distātibus, fecisse cœlū & terrā: duo magna corpora suprà & infrà, quibus omnia continerentur. Et cū audiunt, Dixit Deus, fiat illud, & factū est illud, cogitant verba cœpta & finita, sonantia tēporibus atq; transeuntia, post quorū trāsitū statim existeret, quod iussum est, vt existeret, & si quid fortè aliud hoc modo ex familiaritate carnis opinātur. In quibus adhuc paruulis animalibus, dum isto humillimo genere verborum, tanquam materno sinu eorū gestatur infirmitas, salubriter ædificatur fides, qua certum

habeant & teneant Deum fecisse omnes naturas, quas eorum sensus mirabili varietate circumspicit. Quorum si quispiã quasi vtilitatem dictorum aspernatus, extra nutritorias cunas superba imbecillitate se extenderit, heu cadet miserè. Domine Deus miserere, ne implumem pullum conculcent, qui transeunt viam: & mitte angelum tuum, qui eum reponat in nido, vt viuat, donec volet.

CAPVT XXVIII.

Vanè intelligitur à diuersis scriptura.

1 ALij verò, quibus hæc verba non iam nidus, sed opaca fruteta sunt, vident in eis latentes fructus, & volitant lætantes, & garriunt scrutantes, & carpũt eos. Vident enim, cùm hæc verba legunt vel audiunt, tua Deus æterna & stabili permansione cuncta præterita & futura tẽpora superari, nec tamen quicquam esse temporalis creaturæ, quod tu non feceris. Cuius voluntas, quia idem est, quod tu, nullo modo mutata: vel quæ antea non fuisset exorta voluntate, fecisti omnia: non de te similitudinẽ tuam formam omnium, sed de nihilo dissimilitudinem informemus, quæ formaretur per similitudinẽ tuam, recurrens in te

vnum

vnũ pro captu ordinato, quantũ cuique rerum in suo genere datũ est, & fierent omnia bona valde, siue maneant circa te, siue gradatim remotiorem distantiã per tẽpora & loca pulchras narrationes faciant aut patiantur. Vident hæc, & gaudent in luce veritatis tuæ, quantulũ hinc valent.

2. Et alius eorum intendit in id, quod dictum est. In principio fecit Deus, & respicit sapientiã principiũ, quia & loquitur ipsa nobis. Alius itidẽ intendit in eadẽ verba, & principiũ intelligit exordiũ rerũ cõditarũ, & sic accipit, In principio fecit, ac si diceretur, primò fecit, atq; in eis, qui intelligũt, In principio, quod in sapientia fecisti cœlũ & terrã. Alius eorũ, ipsum cœlũ & terrã, creabilẽ materiẽ cœli & terræ, sic esse credit cognominatam: Alius iã formatas distinctasque naturas. Alius vnam formatam eandemq; spiritualẽ, cœli nomine aliam informẽ corporalis materiæ, terræ nomine. Qui aũt intelligunt in nominibus cœli & terræ, adhuc informem materiem, de qua formaretur cœlum & terra, nec ipsi vno modo id intelligunt, sed alius, vnde consummaretur intelligibilis sensibilisque creatura, alius tantũ, vnde sensibilis Genes. 1.

moles

moles iſta corporea, ſinu grandi continens perſpicuas promptaſque naturas. Nec illi vno modo, qui iam diſpoſitas digeſtaſq; creaturas, cœlum & terrā vocari hoc loco credunt, ſed alius inuiſibilē atque viſibilem, alius ſolam viſibilem, in qua luminoſum cœlum ſuſpicimus, & terram caliginoſam, quæque in eis ſunt.

CAPVT XXIX.

Quot modis dicitur aliquid prius.

1 AT ille, qui nō aliter accipit: In principio fecit, quàm ſi diceretur; primò fecit, non habet, quomodo veraciter intelligat cœlum & terram, niſi materiam cœli & terræ intelligat, videlicet vniuerſæ, id eſt, intelligibilis, corporaliſque creaturæ. Si enim iam formatam velit vniuerſam, rectè ab eo quæri poterit, ſi hoc primò fecit Deus, quid fecerit deinceps, & poſt vniuerſitatem, non inueniet, ac per hoc audiet inuitus, quomodo illud primò, ſi poſtea nihil. Cùm verò dicit, primò informem, deinde formatam, non eſt abſurdum, ſi modò eſt idoneus diſcernere, quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine. AEternitate, ſicut Deus omnia: tempore, ſicut flos fructum: electione,

ctione, sicut fructus florem: origine, sicut sonus cantum. In his quatuor, primũ & vltimum, quæ commemoraui, difficillimè intelliguntur, duo media facillimè. Namque rara visio est & nimis ardua, conspicere Domine æternitatem tuam, incommutabiliter mutabilia facientem, ac per hoc priorem.

2. Quis deinde sic acuto cernat animo, vt sine labore magno dignoscere valeat, quomodo sit prior sonus quàm cantus? Ideo, quia cantus est formatus sonus, & esse vtique aliquid nõ formatum potest, formari autem, quod non est, non potest. Sic est prior materies, quàm id, quod ex ea fit. Non ideo prior, quia ipsa efficit, cùm potiùs fiat, nec prior interuallo temporis. Neque enim priore tempore sonos edimus informes sine cantu, & eos posteriore tempore in formam cantici coaptamus aut fingimus; sicut ligna, quibus arca vel argentum, quo vasculum fabricatur. Tales quippe materiæ tempore etiam præcedunt formas rerum, quæ fiunt ex eis. At in cantu non ita est. Cùm enim cantatur, auditur sonus eius. Non priùs informiter sonat, & deinde formatur in cantum.

3. Quod enim primò vtcunque sonuerit,

rit, præterit, nec ex eo quicquam reperies, quod resumptum arte componas: & ideo cantus in sono suo vertitur, qui sonus eius, materies eius est. Idem quippe formatur, vt cantus sit, & ideo, sicut dicebam, prior materies sonandi quàm forma cantandi, non per faciendi potẽtiam prior. Neque enim sonus est cantãdi artifex, sed cantanti animæ subiacet ex corpore, de quo cantum faciat. Nec tempore prior, simul enim cum cantu editur. Nec prior electione, non enim potior sonus quàm cantus: quandoquidẽ cantus est non tantùm sonus, verum etiam sonus speciosus. Sed prior est origine, quia non cantus formatur, vt sonus sit, sed sonus formatur, vt cantus sit. Hoc exemplo, qui potest, intelligat materiam rerum primò factam & appellatam cœlum & terram, quia inde facta sunt cœlum & terra. Nec tempore primo factã, quia formæ rerum exerunt tempora, illa autem erat informis, iamque in temporibus simul animaduertitur. Nec tamen de illa narrari aliquid potest, nisi velut tempore prior sit, cùm pendatur extremior. Quia profectò meliora sunt formata, quàm informia, & præcedunt æternitate creatoris, vt

essét

esset de nihilo, vnde aliquid fieret.

CAPVT XXX.

Scrutandæ scripturæ cum honore scriptoris.

IN hac diuersitate sententiarum verarum concordiam pariat ipsa veritas. Et Deus noster misereatur nostri, vt legitimè lege vtamur, præcepti fine, pura charitate. Ac per hoc, si quis quærit ex me, quid horum Moyses ille tuus famulus senserit, non sunt hi sermones confessionum mearum, si tibi non cõfiteor. Nescio, & scio tamen illas veras esse sententias, exceptis carnalibus, de quibus, quantum existimaui, locutus sum. Quos tamen bonæ spei paruulos hæc verba libri tui non territant, alta humiliter, & pauca copiosè. Sed omnes, quos in eis verbis vera cernere ac dicere fateor, diligamus nos inuicem, pariterq; diligamus te Deum nostrum, fontem veritatis, si non vana, sed ipsam sitimus; eundemq; famulum tuum scripturæ huius dispensatorem, spiritu tuo plenum, ita honoremus, vt hoc eum, te reuelante, cùm hæc scriberet, attendisse credamus, quod in eis maximè, & luce veritatis, & fruge vtilitatis excellit.

CA-

CAPVT XXXI.

Veritas à quocunque dicta, recipienda.

ITa cùm alius dixerit; hoc sensit, quod ego, & alius, imò illud, quod ego, religiosius me arbitror dicere, cur non vtrumque potiùs, si vtrumque verum est? Et si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem Deus vnus sacras literas vera & diuersa visuris, multorum sensibus temperauit? Ego certè quod intrepidus de corde meo pronuncio, si ad culmen autoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, vt quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quàm vt vnam veram sententiam ad hoc apertius ponerem; vt excluderem cæteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque Deus meus tam præceps esse, vt hoc illum virum de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitauit, cùm ea scriberet, quicquid hic veri potuimus inuenire, & quicquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inueniri potest.

CAPVT XXXII.

Veritas reuelata.

1 POstremò Domine, qui Deus es, & non caro & sanguis, si quid homo minùs vidit, nunquid & spiritum tuum bonum, qui deducet me in terram rectã, latere potuit, quicquid eras in eis verbis tuipse reuelaturus legentibus posteris, etiam si ille, per quem dicta sunt, vnam fortassis ex multis veris sententiam cogitauit: Quod si ita est, sit igitur illa, quã cogitauit, cæteris excellentior. Nobis autem Domine, aut ipsam demonstra, aut quam placet alteram veram; vt siue nobis hoc, quod etiam illi homini tuo, siue aliud ex eorundem verborum occasione patefacias, tu tamen pascas nos, non error illudat. *Psal. 142.*

2. Ecce Domine Deus meus, quàm multa de paucis verbis, quàm multa, oro te, scripsimus? Quæ nostræ vires, quæ tempora omnibus libris tuis ad istum modum sufficiant? Sine itaque me breuius in eis confiteri tibi, & eligere vnum aliquid, quod tu inspiraueris verũ, certũ & bonũ: etiam si multa occurrerint, vbi multa occurrere poterũt, ea fide confessionis meæ, vt si hoc dixero,

quod

quod sensit minister tuus rectè atque optimè, id enim conari me oportet. Quod si assecutus non fuero, id tamen dicam, quod mihi per eius verba veritas tua dicere voluerit, quæ illi quoque dixit, quod voluit.

DIVI AVRELII Augustini Confessionum Liber Decimustertius.

CAPVT I.

Inuocat Deum.

INuoco te Deus meus, misericordia mea, qui fecisti me, & oblitum tui nõ oblitus es. Inuoco te in animam meam, quam præparas ad capiendum te ex desiderio, quod inspiras ei; nunc inuocantem te ne deseras, qui priusquam inuocarem, præuenisti, & institisti crebrescens multimodis vocibus, vt audirem de longinquo, & conuerterer, & vocantem me inuocarem te. Tu enim Domine deleuisti omnia mala merita mea, ne retribueres manibus meis, in quibus à te defeci: & præuenisti omnia bona merita mea, vt retribueres manibus

bus tuis, quibus me fecisti, quia & priusquam essem, tu eras. Nec eram, cui præstares, vt essem, & tamen ecce sum, ex bonitate tua præueniente totum hoc, quod me fecisti, & vnde me fecisti. Neq; enim eguisti me, aut ego tale bonū sum, quo tu adiuueris Domine meus, & De⁹ meus: Non vt tibi sic seruiam, quasi ne fatigeris in agendo: Aut ne minor sit potestas tua, carens obsequio meo: Neque vt sic te colam, quasi terram, vt sis incultus, si non te colam: Sed vt seruiam tibi, & colam te, vt de te mihi bene sit, à quo mihi est, vt sim, cui bene sit.

CAPVT II.

Colimus agrum, & colimus numen: & de ordine creaturarum.

1 EX plenitudine quippe bonitatis tuæ creatura tua subsistit, vt bonum, quod tibi nihil prodesset, nec de te æquale tibi esset, tamen quia ex te fieri potuit, non deesset. Quid enim te promeruit cœlum & terra, quæ fecisti in principio? Dicant, quid te promeruerūt spirituales corporalesque naturæ, quas fecisti in sapientia tua, vt inde penderēt etiam inchoata & informia quæque in genere suo, vel spirituali, vel corporali,

porali, euntia in *immoderationē, & in longinquam dissimilitudinem tuam. Spirituale informe præstantius, quàm si formatum corpus esset: corporale autem informe præstantius, quàm si omnino nihil esset. Atque ita penderent in tuo verbo informia, nisi per idem verbum reuocarentur ad vnitatem tuam; & formarentur, & essent ab vno te summo bono vniuersa bona valde. Quid te promeruerunt, vt essent saltem informia: quia neque hoc essent, nisi ex te?

*al. moderationem.

2. Quid te promeruit materies corporalis, vt esset saltem inuisibilis & incomposita? Quia neque hoc esset, nisi quia fecisti eam, ideoq; te, quia non erat, promereri vt esset, non poterat? Aut quid te promeruit inchoatio creaturæ spiritualis, vt saltem tenebrosa fluitaret, similis abysso, tui dissimilis, nisi per idē verbū conuerteretur ad idem, à quo facta est; atque ab eo illuminata lux fieret, quamuis non æqualiter, tamen conformis formæ æquali tibi? Sicut enim corpori non hoc est esse, quod pulchrū esse, alioquin deforme esse non posset, ita etiam creato spiritui non id est viuere, quod sapienter viuere, alioquin incommutabiliter saperet. Bonum autem illi est hærere tibi

ſemper, ne quod adeptus eſt conuerſione, auerſione lumen amittat, & relabatur in vitam tenebroſæ abyſſo ſimilem. Ephеſ. 5.
Nam & nos, qui ſecūdùm animam creatura ſpiritualis ſumus, auerſi à te noſtro lumine, in ea vita fuimus aliquando tenebræ, & in reliquijs obſcuritatis noſtræ laboramus, donec ſimus iuſtitia tua in vnico tuo, ſicut montes Dei. Nam iudicia tua fuimus, ſicut abyſſus multa. Pſal. 35.

CAPVT III.

Ex Dei gratia omnia.

QVod autem in primis conditionibus dixiſti: Fiat lux, & facta eſt lux; Gen. 1.
non incōgruenter hoc intelligo in creatura ſprituali, quia erat iam qualiſcunque vita, quam illuminares. Sed ſicut nō te promeruerat, vt eſſet talis vita, quæ illuminari poſſet: ita nec cùm iam eſſet, promeruit te, vt illuminaretur. Neque enim eius informitas placeret tibi, ſi non lux fieret, non exiſtendo, ſed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo, vt & quod vtcunque viuit, & quod beatè viuit, non deberet niſi gratiæ tuæ, conuerſa per commutationem meliorē ad id, quod neque in melius, neque in de-

terius cōmutari poteſt. Quod tu ſolus es, quia ſolus ſimpliciter es, cui non eſt aliud viuere, aliud beatè viuere, quia tua beatitudo tu es.

CAPVT IV.

Deus non eget rebus conditis.

QVid ergo tibi deeſſet ad bonum, quod tu tibi es, etiam ſi iſta vel omnino nulla eſſent, vel informia remanerent, quæ non ex indigentia feciſti, ſed ex plenitudine bonitatis tuæ, cohibens atque conuertens ad formam, non vt tanquam tuum gaudium compleatur ex eis? Perfecto enim tibi diſplicet eorū imperfectio, vt ex te perficiantur, & tibi placeant, non autem imperfecto, tanquam & tu eorum perfectione perficiēdus ſis. Spiritus enim tuus bonus ſuperferebatur ſuper aquas, non ferebatur ab eis, tanquam in eis requieſceret. In quib. enim requieſcere dicitur ſpiritus tuus bonus, hos in ſe requieſcere facit. Sed ſuperferebatur incorruptibilis & incommutabilis voluntas tua, ipſa in ſe ſibi ſufficiens ſuper eam, quā feceras, vitam: cui non hoc eſt viuere, quod beatè viuere, quia viuit etiam fluitans in obſcuritate ſua: cui reſtat conuerti ad eum, à quo fa-

Gen. 1.

ćta eſt, & magis magiſque viuere apud
fontem vitæ, & in lumine eius videre lu- Pſal. 35.
men, & perfici, & illuſtrari, & beari.

CAPVT V.

Filius principium.

ECce apparet mihi in ænigmate Trinitas, quod es Deus meus, quoniam tu pater in principio, quod eſt tua ſapiētia de te nata, æqualis tibi & coæterna, id eſt, in filio tuo feciſti cœlum & terram. Et multa diximus de cœlo cœli, & de terra inuiſibili & incompoſita, & de abyſſo tenebroſa, ſecundùm ſpiritualis informitatis vagabunda deliquia, niſi conuerteretur ad eum, à quo erat qualiſcunque vita: & illuminatione fieret ſpecioſa vita, & eſſet cœlum cœli eius, quod inter aquam & aquam poſtea factū eſt: & tenebam iam patrem in Dei nomine, qui fecit hæc, & filium in principij nomine, in quo fecit hæc, & Trinitatem credens Deum meum, ſicuti credebam, quærebam in eloquijs ſanćtis eius, & ecce ſpiritus eius ſuperferebatur ſuper aquas. Ecce Trinitas Deus meus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanćtus, creator vniuerſæ creaturæ tuæ.

CAPVT VI.

Spiritus ſuperfuſus aquis.

SEd quæ causa fuerat, ô lumen veridicum? Tibi admoueo cor meum, ne me vana doceat, discute tenebras eius, & dic mihi, obsecro te per matrem charitatẽ: obsecro te, dic mihi, quæ causa fuerat, vt post nominatũ cœlum & terrã inuisibilem & incompositã, & tenebras super abyssum, tum demũ scriptura tua nominaret spiritum tuum? An quia oportebat eum sic insinuari, vt diceretur superferri, & non posset hoc dici, nisi priùs illud commemoraretur, cui superferri spiritus tuus posset intelligi. Nec patri enim, nec filio superferebatur: nec superferri rectè diceretur, si nulli rei superferretur. Priùs ergo dicendum erat, cui superferretur, & deinde ille, quem non oportebat aliter commemorari, nisi vt superferri diceretur. Cur ergo aliter eum insinuari non oportebat, nisi vt superferri diceretur?

CAPVT VII.

Affectus spiritus.

IAm hinc sequatur, qui potest intellectu Apostolum tuum dicentem: quia charitas tua diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, & de spiritualibus docen- *Rom.5.*

tem

tem & demonstrantem supereminentē viam charitatis,& flectentem genua pro nobis ad te, vt cognoscamus supereminentē scientiam charitatis Christi. Ideoque ab initio supereminens superferebatur super aquas. Cui dicam? Quomodo dicam de pondere cupiditatis in abruptā abyssum, & de subleuatione charitatis per spiritum tuum, qui superferebatur super aquas? Cui dicam? Quomodo dicā? Neq; enim loca sunt, quibus mergimur, & emergimus. Quid similius, & quid dissimilius? Affectus sunt, amores sunt, immunditia spiritus nostri defluens inferius amore curarum,& sanctitas spiritus tui attollens nos superius amore securitatis, vt sursum corda habeamus ad te, vbi spiritus tuus superfertur super aquas,& veniamus ad supereminentem requiem, cùm pertransierit anima nostra aquas, quæ sunt sine substantia. Psal. 123

CAPVT VIII.

Spiritus fouens animas infirmas.

DEfluxit Angelus, defluxit anima hominis,& indicauerunt abyssum vniuersæ spirituales creaturæ

in profundo tenebroso. Nisi dixisses ab initio: Fiat lux, & facta esset lux, & inhæreret tibi omnis obediens intelligentia cœlestis ciuitatis tuæ, & requiesceret in spiritu tuo, qui superfertur incõmutabiliter super omne mutabile. Alioquin & ipsum cœlũ cœli tenebrosa abyssus esset in se, nunc autem lux est in Domino. Nam & in ipsa misera inquietudine defluentium spirituum, & indicantium tenebras suas nudatas veste luminis tui, satis ostendis, quàm magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem, quicquid te minus est, ac per hoc nec ipsa sibi. Tu enim
Psal. 17. Deus noster illuminabis tenebras nostras. Ex te enim oriuntur vestimenta
Psal. 138. nostra, & tenebræ nostræ sicut meridies erunt.

2. Da mihi te Deus meus, redde te mihi. Te enim amo, & si parum est, amem validiùs. Non possum metiri, vt sciam, quantum desit mihi amoris ad id, quod
Psal. 50. satis est, vt currat vita mea in amplexus tuos: nec auertatur, donec abscondar in abscondito vultus tui. Hoc tãtũ scio, quia malè mihi est præter te, non solũ extra me, sed & in meipso; & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.

CA-

CAPVT IX.

Cur solus spiritus feratur super aquas.

1 NVnquid aut pater, aut filius, non superferebatur super aquas? Si tanquam loco, sicut corpus, nec spiritus sanctus. Si autem incommutabilis diuinitatis eminentia super omne mutabile, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus superferebatur super aquas. Cur ergo tantùm de spiritu tuo dictum est hoc? Cur de illo tantùm dictum est, quasi locus ibi esset, qui non est locus, de quo solo dictum est, quòd sit donum tuum? In dono tuo requiescemus: ibi te fruemur requies nostra, locus noster.

2. Amor illuc attollit nos, & spiritus tuus bonus exaltat humilitatem nostrã de portis mortis. In bona voluntate pax nobis est. Corpus pondere suo nititur ad locum suum. Pondus non ad ima tantũ est, sed ad locum suum. Ignis sursum tẽdit, deorsum lapis. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. Oleum infra aquam fusum, supra aquam attollitur: aqua supra oleum fusa, infra oleum demergitur. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. Minùs ordinata, inquieta sunt, ordinantur, & quiescunt. Pondus meum, amor meus: eò feror,

quocunque feror. Dono tuo accendimur, & sursum ferimur. Inardescimus, &
Psal. 83. imus. Ascendimus ascensiones in corde, & cantamus canticũ graduũ. Igne tuo, igne tuo bono, inardescimus & im⁹: quoniã sursum imus, ad pacẽ Hierusalẽ: quoniã incũdatus sum in his, quæ dixerunt mihi, in domũ Domini ibimus. Ibi nos
Psal. 112. collocauit volũtas bona, vt nihil velim⁹ aliud, quàm permanere illic in æternũ.

CAPVT X.

Ex dono Dei omnia.

BEata creatura, quæ non nouit aliud, cùm esset ipsa aliud, nisi dono tuo, quod superfertur super omne mutabile, mox vt facta est, attolleretur nullo inter-
Genes. 1. uallo temporis, in ea vocatione, qua dixisti: Fiat lux, & facta est lux. In nobis enim distinguitur tempore, quod
Ephes. 5. tenebræ fuimus, & lux efficimur. In illa verò dictum est, quid esset, nisi illuminaretur. Et ita dictũ est, quasi prius fuerit fluxa & tenebrosa: vt appareret causa, qua factum est, vt aliter esset, id est, vt ad lumen indeficiens conuersa lux esset. Qui potest, intelligat, qui non potest, à te petat. Vt quid mihi molestu est, quasi ego illuminem vllum hominem ve-
Ioan. 1. nientem in hunc mundum.

CAPVT XI.

Symbola Trinitatis in homine.

1 TRinitatem omnipotentem quis intelligit? Et quis non loquitur eam, si tamē eā? Rara anima, quæ dum de illa loquitur, sciat, quid loquatur. Et contendunt, & dimicant, & nemo sine pace videt istam visionē. Vellē, vt hæc tria cogitarēt homines in seipsis. Lōgè aliud sunt ista tria, quàm illa trinitas. Sed dico, vbi se exerceant, & probent, & sentiant, quā longè sunt. Dico autem hæc, tria, esse, nosse, velle. Sum enim, & noui, & volo. Sum sciens, & volens: & scio esse me, & velle: & volo esse, & scire. In his igitur tribus quàm sit inseparabilis vita, & vna vita, & vna mens, & vna essentia, quàm denique inseparabilis distinctio, & tamē distinctio, videat qui potest. Certè coram se est, attendat in se, & videat, & dicat mihi. *Esse, nosse, velle.*

2. Sed cùm inuenerit in his aliquid, & dixerit, non iā se putet inuenisse illud, quod supra ista est incōmutabile, quod est incōmutabiliter, & scit incōmutabiliter, & vult incōmutabiliter: Et vtrum propter tria hæc, & ibi trinitas, an in singulis hæc tria, aut terna singulorum sint:

an vtrumque miris modis simpliciter & multipliciter infinito sibi in se fine, quo est, & sibi notum est, & sibi sufficit incõmutabiliter idipsum copiosa vnitatis magnitudine, quis facilè cogitauerit? quis vllo modo dixerit? quis quolibet modo temerè pronunciauerit?

CAPVT XII.

Aqua Baptismi per spiritum efficax.

1 PRocede in confessione fides mea, dic Domino Deo tuo: Sancte, sancte, sancte Domine Deus meus, in nomine tuo baptizati sumus, Pater, & Fili, & Spiritus sancte. In nomine tuo baptizamus, Pater, & Fili, & Spiritus sancte; quia & apud nos in Christo filio suo fecit Deus cœlum & terrã, spirituales & carnales ecclesiæ suæ. Et terra nostra, antequam acciperet formam doctrinæ, inuisibilis erat, & incomposita, & ignorantiæ tenebris tegebamur: quoniam pro iniquitate erudisti hominem, & iudicia tua sicut abyssus multa.

2. Sed quia spiritus tuus superferebatur super aquam, non reliquit miseriam nostram misericordia tua, & dixisti: Fiat
Matt. 3. lux. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Pœnitentiam agite, fiat lux. Et quoniam contur-
bata

bata erat ad nosipsos anima nostra, commemorati sumus tui Domine de terra Iordanis, & de monte æquali tibi, sed paruo propter nos: & displicuerunt nobis tenebræ nostræ, & conuersi sumus ad te, & facta est lux. Et ecce fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Ephes. 5.*

CAPVT XIII.

Ex spiritu remissio peccatorum.

1 ET tamen adhuc per fidem, nondum per speciem. Spe enim salui facti sumus. Spes enim, quæ videtur, non est spes. Adhuc abyssus abyssum inuocat, sed iam in voce cataractarum tuarum. Adhuc & ille, qui dicit: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, etiam ipse nondum se arbitratur comprehendisse: & quæ retrò oblitus, in ea, quæ ante sunt, extenditur, & ingemiscit grauatus, & sitit anima eius ad Deum viuum, quemadmodum ceruus ad fontes aquarum, & dicit: Quando veniam? Habitaculum suum, quod de cœlo est, superindui cupiens, & inuocat inferiorem abyssum, dicens: Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate mentis vestræ. Et nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, vt

Rom. 8. *Psal. 41.* *1 Cor 3.* *Phil. 3.* *Psal. 41.* *2 Cor. 5.* *Rom 8.* *1. Cor. 14.*

ſenſibus perfecti ſitis.

2. Et, ô ſtulti Galathæ, quis vos faſcinauit? Sed iam non in voce ſua: in tua enim, qui miſiſti ſpiritum tuum de excelſis, per eum, qui abſcondit in altum, & aperuit cataractas donorum ſuorum, vt fluminis impetus lætificarent ciuitatem tuã. Illi. n. ſuſpirat ſponſi amicus, habens iam ſpiritus primitias penes eum, ſed adhuc in ſemetipſo ingemiſcens, adoptionem expectans, redemptionem corporis ſui, illi ſuſpirat. Membrũ eſt enim ſponſæ, & illi zelat, amicus eſt enim ſponſi, illi zelat, non ſibi, quia in voce cataractarũ tuarũ, non in voce ſua inuocat alterã abyſſum, cui zelans timet, ne ſicut ſerpens Euam decepit aſtutia ſua, ſic & eorũ ſenſus corrũpantur à caſtitate, quæ eſt in ſponſo noſtro vnico tuo. Quæ eſt illa ſpeciei lux? cùm videbimus eũ, ſicuti eſt; & tranſierint lachrymæ, quæ mihi factæ ſunt panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?

Gal. 3.
Act. 2.

CAPVT XIV.

Fide & ſpe corroboramur.

1 ET ego dico: Deus meus, vbi es? Ecce, vbi es? Reſpiro in te paululum, cùm effundo ſuper me animam meam, in voce exultationis & confeſſionis ſoni feſti-

festiuitatem celebrantis. Et adhuc tristis est, quia relabitur, & fit abyssus; vel potius sentit adhuc se esse abyssum. Dicit ei fides mea, quam accendisti in nocte, ante pedes meos: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Domino; Lucerna pedibus tuis verbū eius: Spera & perseuera, donec transeat nox mater iniquorū, donec transeat ira Domini, cuius filij & nos fuimus aliquando tenebræ, quarum residua trahimus in corpore propter peccatum mortuo, donec aspiret dies, & remoueantur vmbræ. *Cant. 2.*

2. Spera in Domino, Mane astabo tibi, & contemplabor, semper confitebor illi. Mane astabo, & videbo salutare vultus mei, Deum meum, qui viuificabit & mortalia corpora nostra propter spiritū, qui habitat in nobis, quia super interius nostrum tenebrosum & fluidum misericorditer superferebatur. Vnde in hac peregrinatione pignus accepimus, vt iam simus lux, dum adhuc spe salui facti sumus, & filij lucis, & filij diei, non filij noctis, neque tenebrarum, quod tamen fuimus. Inter quos & nos, in isto adhuc incerto humanæ notitiæ, tu solus diuidis, qui probas corda nostra, & vocas lucem diem, & tenebras noctem.

Quis

Quis enim nos discernit, nisi tu? Quid aũt habemus, quod non accepimus à te? Ex eadem massa vasa in honorem, ex qua sunt & alia facta in contumeliam.

CAPVT XV.

Voce firmamẽti scriptura intelligitur.

1 AVt quis nisi tu Deus noster, fecisti nobis firmamentum autoritatis super nos, de scriptura tua diuina? Cœlum enim plicabitur, vt liber, & nũc, sicut pellis, extenditur super nos. Sublimioris enim autoritatis est tua diuina scriptura, cũ iã obierint istã mortem illi mortales, per quos eã dispensasti nobis. Et tu scis Domine, tu scis, quemadmodũ pellibus indueris homines, cùm peccato mortales fierent. Vnde sicut pellẽ extendisti firmamentũ libri tui, concordes vtique sermones tuos, quos per mortaliũ ministeriũ superposuisti nobis. Namque ipsa eorũ morte solidamentũ autoritatis in eloquijs tuis per eos æditis, sublimiter extenditur super omnia, quæ subter sunt. Quod cùm hic viuerent, nõ ita sublimiter extentum erat. Nondum sicut pellẽ cœlũ extenderas, nondum mortis eorum famam vsquequaq; dilataueras.

2. Videamus Domine cœlos, opera digitorum tuorum, dissercna oculis nostris nubi-

nubilum, quo subtexisti eos. Ibi est testimonium tuum, sapientiam præstās paruulis. Perfice Deus meus laudem tuam, ex ore infantium & lactentium. Neque enim nouimus alios libros, ita destruentes superbiam, ita destruentes inimicum & defensorem, resistentem reconciliationi tuæ, defendendo peccata sua. Non noui Domine, non noui alia tam casta eloquia, quæ sic mihi persuaderent confessionem, & lenirent ceruicem meam iugo tuo, & inuitarent colere te gratis. Intelligā ea pater bone: da mihi hęc subterposito, quia subterpositis solidasti ea. Psal. 18. Psal. 8.

3. Sunt aliæ aquæ, super hoc firmamētum, credo immortales, & à terrena corruptione secretæ. Laudent nomen tuum, laudent te supercœlestes populi angelorum tuorum: qui non opus habent suscipere firmamentum hoc, & legendo cognoscere verbum tuum. Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, & diligunt: semper legunt. & nunquam præterit, quod legunt. Eligendo enim & diligendo, legunt ipsam incommutabilitatem consilij tui. Non clauditur codex eorum, nec plicabitur liber

liber eorum: quia tuipse illis hoc es, & es in æternum. Quia super hoc firmamentum ordinasti eos, quod firmasti super infirmitatem inferiorum populorum: vbi suspicerent & cognoscerent misericordiam tuam, temporaliter enunciantem te, qui fecisti tēpora. In cœlo enim
Psal 35. Domine misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes. Transeunt nubes, cœlū autem manet. Transeunt prædicatores verbi tui ex hac vita in aliam vitam: scriptura verò tua vsque in finem seculi super populos extenditur.

4. Sed & cœlum & terra transibunt, sermones autem tui non transibūt: Quoniam & pellis plicabitur, & fœnum, super quod extendebatur, cum claritate sua
Esa. 40. præteriet, verbum autem tuum manet in æternum. Quod nunc in ænigmate nubium, & per speculum cœli, non sicuti est, apparet nobis: quia & nos, quamuis filio tuo dilecti simus, nondum apparuit, quod erimus. Attendit per retia carnis, & blanditus est, & inflammauit, & currimus post odorem eius. Sed cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est. Sicuti est Domine videre nostrum, quod nondum est, da nobis.

CA-

CAPVT XVI.

Deus immutabilis.

NAm ſicut omnino tu es, tu ſcis ſolus, qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter. Et eſſentia tua ſcit, & vult incommutabiliter. Et ſcientia tua eſt, & vult incommutabiliter, & voluntas tua eſt, & ſcit incommutabiliter. Nec videtur iuſtū eſſe coram te, vt quemadmodum ſe ſcit lumen incommutabile, ita ſciatur ab illuminato commutabili. Ideoq́ue anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi, quia ſicut ſe illuminare de ſe non poteſt, ita ſe ſatiare de ſe non poteſt. Sic enim apud te fons vitæ, quomodo in lumine tuo videbimus lumen.

CAPVT XVII.

Quid arida, quid mare.

1 QVis cōgregauit amaricantes in ſocietatē vnā? Idē namq; illis finis eſt temporalis, & terrenæ fœlicitatis, propter quam faciunt omnia, quamuis innumerabili varietate curarū fluctuēt. Quis Domine, niſi tu, qui dixiſti, vt congregarentur aquæ in congregationē vnā, & appareret arida ſitiens tibi. Quoniam tuū eſt & mare, & tu feciſti illud, & aridam terram manus tuæ formauerunt.

Neque

Neque enim amaritudo voluntatum, sed congregatio aquarum vocatur mare. Tu enim coërces etiam malas cupiditates animarum, & figis limites, quousque progredi sinantur aquæ, vt in se cōminuantur fluctus earum, atque ita facis mare ordine imperij tui super omnia.

2. At animas sitientes tibi, & apparētes tibi, alio fine distinctas à societate maris, occulto, & dulci fonte irrigas, vt & terra det fructum suum, & te iubente Domino Deo suo germinet anima nostra opera misericordiæ secundùm genus, diligens proximum in subsidijs necessitatum carnalium, habens in se semē secundùm similitudinem. Quoniam ex nostra infirmitate compatimur ad subueniendum indigentibus, similiter opitulantes, quemadmodum nobis vellemus opem ferri, si eodem modo indigeremus. Non tantùm in facilibus, tanquam in herba seminali; sed etiā in protectione adiutorij forti robore, sicut lignum fructiferum, id est, beneficium ad eripiendum eum, qui iniuriam patitur, de manu potentis: & præbendo protectionis vmbraculum, valido robore iusti iudicij.

CAPVT XVIII.

Orat, vt oriatur de terra veritas, & iustitia de cœlo respiciat.

1 ITa Domine, ita oro te, oriatur ſicuti facis, ſicuti das hilaritatem & facultatem, oriatur de terra veritas, & iuſtitia de cœlo reſpiciat, & fiant in firmamẽto luminaria. Frangamus eſurienti panem noſtrum, & egenũ ſine tecto inducamus in domũ noſtrã. Nudũ veſtiamus, & domeſticos ſeminis noſtri non deſpiciam⁹. Quib⁹ in terra natis fructibus, vide, quia bonũ eſt: & erũpat tẽporanea lux noſtra; & de iſta inferiori fruge actionis, in delicias cõtẽplationis verbũ vitæ ſuperius obtinẽtes, appaream⁹ ſicut luminaria in mũdo, cohærẽtes firmamento ſcripturæ tuæ. Ibi.n. nobiſcũ diſputas, vt diuidam⁹ inter intelligibilia, & ſenſibilia, tanquã inter diem & noctem, vel inter animas aliàs intelligibilibus, aliàs ſenſibilib⁹ deditas, vt iã non tu ſolus in abdito dijudicationis tuæ, ſicut antequã fieret firmamentum, diuidas inter lucẽ & tenebras: ſed etiam ſpirituales tui in eodẽ firmamento poſiti atq; diſtincti, manifeſtata per orbem gratia tua, luceãt ſuper terrã, & diuidant inter diem & noctem, & ſignificent tempora: quia vetera tranſie-

runt,

runt, & ecce facta sunt noua.

2. Et quia propior est nostra sal⁹, quã cũ credidim⁹, & quia nox præcessit, dies aũt appropinquauit: & quia benedices coronã anni tui, mittẽs operarios in messem tuã, in qua seminanda alij laborauerũt; mittens etiã in aliã sementẽ, cuius messis in fine est. Ita das vitã optanti, & benedicis annos iusti: tu autem idem ipse es, & in annis tuis, qui non deficiunt, ortum præparas annis transeuntibus.

3. AEterno quippe consilio proprijs temporibus bona cœlestia das super terrã. Quoniã quidem alij datur per spiritum sermo sapientiæ, tanquam luminare maius propter eos, qui perspicuæ veritatis luce delectantur, tanquã in principio diei: Alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, tanquam luminare minus: Alij fides: alij donatio curationum: alij operationes virtutum: alij prophetia; alij dijudicatio spirituũ: alij genera linguarum, & hæc omnia tanquã stellæ. Omnia enim hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnicuique, prout vult, & faciens apparere sydera in manifestatione, ad vtilitatem.

4. Sermo autem scientiæ, qua continentur omnia sacramẽta, quæ variantur tem-

temporibus tanquam luna; & cæteræ notitiæ donorum, quæ deinceps tanquã stellæ commemoratæ sunt, quãtum differunt ab illo candore sapientiæ; quo gaudet prædictus dies, tanquam in principio noctis sunt. His enim sunt necessaria, quibus ille prudentissimus seruus tuus non potuit loqui quasi spiritualib⁹, sed quasi carnalibus, ille, qui & sapientiã loquitur inter perfectos. Animalis autẽ homo tanquam paruulus in Christo, lactisque potator, donec roboretur ad solidum cibum, & aciem firmet ad solis aspectum, non habeat desertam noctem suam, sed luce lunæ stellarumque contentus sit. Hæc nobiscum disputas sapiẽtissime Deus noster, in libro tuo firmamento tuo, vt discernamus omnia contemplatione mirabili, quamuis adhuc in signis, & in temporibus, & in diebus, & in annis.

CAPVT XIX.

Pectus purgandum vitijs, quò capax sit virtutum.

1 SEd priùs lauamini, mundi estote, auferte nequitiam ab animis vestris, atque à conspectu oculorum meorum,

vt appareat arida. Discite bonum facere, iudicate pupillo, & iustificate viduã, vt germinet terra herbã pabuli, & lignũ fructiferum, & venite, disputemus, dicit Dominus, vt fiãt luminaria in firmamẽto cœli, & luceant super terram. Quærebat diues ille à magistro bono, quid faceret, vt vitam æternam consequeretur: Dicat ei magister bonus, quem putabat hominem, & nihil amplius. Bonus est autem, quia Deus est. Dicat ei, vt si vult venire ad vitam, seruet mandata. Separet à se amaritudinem malitiæ atque nequitiæ, non occidat, non mœchetur, non furetur, non falsum testimonium dicat, vt appareat arida, & germinet honorem patris & matris, & dilectionem proximi. Feci, inquit, hæc omnia.

2. Vnde ergo tantæ spinæ, si terra fructifera est? Vade, extirpa syluosa dumeta auaritiæ; Vẽde, quę possides, & implere frugibus dando pauperib. & habebis thesaurũ in cœlis, & sequere Dominũ, si vis esse perfectus, eis sociatus, inter quos loquitur sapientiam ille, qui nouit, quid distribuat diei & nocti, vt noris & tu, vt fiant & tibi luminaria in firmamento cœli: Quod non fiet, nisi fuerit illic cor tuum. Quod

item

item non fiet, nisi fuerit illic thesaurus tuus, sicut audisti à magistro bono. Sed contristata est terra sterilis, & spinæ suffocauerunt verbum.

3. Vos autem genus electum, infirma mundi, qui dimisistis omnia, vt sequeremini Dominum, ite post eum, & confundite fortia: Ite post eum speciosi pedes, & lucete in firmamento; vt cœli enarrent gloriã eius, diuidentes inter lucẽ perfectorũ, sed nondum sicut angelorũ: & tenebræ paruulorum, sed non despectorum: Lucete super omnem terram, & dies sole candens, eructet diei verbum sapientiæ: & nox luna lucens, annunciet nocti verbum scientiæ. Luna & stellæ nocte lucent, sed nox non obscurat eas, quoniã illæ illuminãt eam pro modulo eius. Ecce enim, tanquam Deo dicente, Fiant luminaria in firmamento cœli; Factus est subitò de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt linguæ diuisæ quasi ignis, qui & insedit super vnũquemq; illorum, & facta sunt luminaria in firmamento cœli, verbũ vitę habentia. Vbiq; discurrite ignes sancti, ignes decori. Vos enim estis lumẽ mũdi, nec estis sub modio. Exaltatus est, cui adhæsistis, & exaltauit vos. Discurrite, &

innotescite omnibus gentibus.

CAPVT XX.

Creatio spiritalis virtutum.

1 Concipiat & mare, & pariat opera vestra, & producant aquæ reptilia animarum viuarum. Separantes enim preciosum à vili, facti estis os Dei, per quos diceret: Producant aquæ non animam viuam, quam terra producit, sed reptilia animarum viuarum, & volatilia volantia super terram. Repserunt enim sacramenta tua Deus, per opera sãctorum tuorum, inter medios fluctus tẽtationum seculi, ad imbuendas gentes nomini tuo, in baptismo tuo. Et inter hæc facta sunt magnalia mirabilia, tanquam cete grandia, & voces nunciorum tuorum volitantes super terram, iuxta firmamentum libri tui, præposito illo sibi ad autoritatem, sub quo volitarent, quocunque irent. Neque enim sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Quando in omnem terram exijt sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, quoniã tu Domine benedicendo, multiplicasti hęc.

Psal. 18.

2. Nunquid mentior, aut mixtione misceo, neque distinguo lucidas cognitiones harum rerum in firmamẽto cœli,

&

& opera corporalia in vndoſo mari, & ſub firmamento cœli? Quarum enim rerum notitiæ ſunt ſolidæ & terminatæ ſine incrementis generationum, tanquam lumina ſapientiæ & ſcientiæ, earundem rerum ſunt operationes corporales multæ ac variæ; & aliud ex alio creſcendo, multiplicatur in benedictione tua Deus, qui conſolatus eſt faſtidia ſenſuum mortalium, vt in cognitione animi res vna multis modis per corporis motiones figuretur, atque dicatur. Aquæ produxerunt hæc: ſed in verbo tuo neceſſitates alienatorum ab æternitate veritatis tuæ populorum produxerunt hæc, ſed in euangelio tuo: Quoniam ipſæ aquæ iſta eiecerunt, quarum amarus languor fuit cauſa, vt in tuo verbo iſta* procederent. *al. producerent.

3. Et pulchra ſunt omnia, faciente te, & ecce tu inenarrabiliter pulchrior, qui feciſti omnia: à quo ſi non eſſet lapſus Adam, non diffunderetur ex vtero eius ſalſugo maris, genus humanum profundè curioſum, & procelloſè tumidum, & inſtabiliter fluidum. Atque ita non opus eſſet, vt in aquis multis corporaliter & ſenſibiliter operarentur diſpenſatores tui myſtica facta & dicta. Sic enim nunc mihi occurrerunt reptilia

& volatilia, quib. imbuti & initiati homines, corporalibus sacramentis subditi, non vltrà proficerent, nisi spiritualiter *viuesceret anima gradu alio, & post initij verbum in consummationem respiceret.

al. viuificaret.

CAPVT XXI.

Allegorica interpretatio auiũ, & piscium, & cæterorum animantium.

1 AC per hoc in verbo tuo non maris profunditas, sed ab aquarum amaritudine terra discreta eijcit, non reptilia animarum viuarum & volatilia, sed animam viuã. Neque enim iam opus habet baptismo, quo gentibus opus est, sicut opus habebat, cùm aquis tegeretur. Non enim intratur aliter in regnũ cœlorũ ex illo, quo instituisti, vt sic intretur: nec magnalia quærit mirabilium, quibus fiat fides. Neq; enim, nisi *signa* & prodigia viderit, non credit, cùm iam distincta sit terra fidelis ab aquis maris infidelitate amaris, & linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Nec isto igitur genere volatili, quod verbo tuo produxerunt aquæ, opus habet terra, quã fundasti super aquas. Immitte in ea verbum tuum per nuncios tuos. Opera enim eorum

rum narramus, ſed tu es, qui operaris in eis, vt operentur animam viuam.

2. Terrà producit eam, quia terra cauſa eſt, vt hæc agāt in ea: ſicut mare fuit cauſa, vt agerent reptilia animarum viuarū: & volatilia ſub firmamento cœli, quibus iā terra non indiget: quāuis piſcē manducet, leuatum de profundo in ea menſa, quā paraſti in conſpectu credentiū. Ideo enim de profundo leuatus eſt, vt alat aridā, & auis marina progenies, ſed tamen ſuper terrā multiplicatur. Primarū enim vocum euangelizantium infidelitas hominum cauſa extitit, ſed & fideles exhortantur, & benedicunt eis multipliciter de die in diem. At verò anima viua, de terra sūpſit exordiū, quia non prodeſt iam niſi fidelibus, continere ſe ab amore huius ſeculi, vt anima eorū tibi viuat, quæ mortua erat, in delicijs viuens, delicijs Domine mortiferis; nam tu puri cordis vitales deliciæ.

3. Operentur ergo iam in terra miniſtri tui, non ſicut in aquis infidelitatis, annunciando & loquendo per miracula & ſacramenta & voces myſticas: vbi intenta ſit ignorantia mater admirationis, in timore occultorum ſignorum. Talis enim eſt introitus ad fi-

dem filijs Adam oblitis tui; dum abscōdūt se à facie tua, & fiunt abyssus. Sed operētur etiā sicut in arida, discreta à gurgitibus abyssi; & sint forma fidelibus, viuendo coram eis, & excitando ad imitationem. Sic enim non tantùm ad audiēdū, sed etiam ad faciendum audiunt:
Psal. 65. Quærite Dominum, & viuet anima vestra, vt producat terra animam viuentē.
Rom. 12. Nolite conformari huic seculo, continete vos ab eo, & vitando viuet anima, quę appetendo moritur.

4. Continete vos ab immani feritate superbiæ, ab inerti voluptate luxuriæ, & à fallaci nomine scientiæ, vt sint bestiæ mansuetæ, & pecora edomita, & innoxij serpentes. Motus enim animæ sunt isti in allegoria, scilicet fastus elationis, & delectatio libidinis, & venenum curiositatis, motus sunt animæ mortuæ. Quia non ita moritur, vt omni motu careat, quoniam discedendo à fonte vitæ moritur: atque ita suscipitur à prætereunte seculo, & conformatur ei. Verbū aūt tuum Deus, fons vitæ æternæ est, & non præterit: Ideoq; in verbo tuo cohibetur ille discessus, dum dicitur nobis: Nolite cōformari huic seculo, vt producat terra in fonte vitæ animam viuentem; in verbo

tuo

tuo per euangelistas tuos animam continentem, imitando imitatores Christi tui. Hoc est enim secundum genus, quoniam æmulatio viri ab amico est. Estote, inquit, sicut ego, quia & ego, sicut vos. Ita erunt in anima viua bestiæ bonæ in mansuetudine actionis. Mandasti enim dicens: in mansuetudine opera tua perfice, & ab omni homine diligeris.

5. Et pecora bona, neque si manducauerint, abundantia, neq; si non manducauerint, egentia, & serpentes boni non perniciosi ad nocendum, sed astuti ad cauendum, & tantum explorantes temporalem naturam, quantum sufficit, vt per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciatur æternitas. Seruiunt enim rationi hæc animalia, cùm à progressu mortifero cohibita viuunt, & bona sunt.

CAPVT XXII.

Renascentia spiritus.

1 ECce enim Domine Deus noster, creator noster, cùm cohibitæ fuerint affectiones ab amore seculi, quibus moriebamur malè viuendo, & cœperit esse anima viuens bene viuendo, completumque fuerit verbum tuũ, quod per Apostolum tuum dixisti: Nolite

conformari huic ſeculo: conſequitur & illud, quod adiunxiſti ſtatim & dixiſti. Sed reformamini in nouitate mentis veſtræ: non iam ſecundùm genus, tanquam imitantes præcedentem proximũ, nec ex hominis melioris autoritate viuentes. Neque enim dixiſti: Fiat homo ſecundùm genus: ſed, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: vt nos probemus, quæ ſit voluntas tua.

2. Ad hoc enim ille diſpenſator tuus, generans per euangelium filios, ne ſemper paruulos haberet, quos lacte nutriret, & tãquam nutrix foueret. Reformamini, inquit, in nouitate mentis veſtræ ad probandũ quæ ſit volũtas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum. Ideoq; non dicis: Fiat homo, ſed faciam⁹ hominẽ. Nec dicis, ſecundùm genus, ſed ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã. Mente quippe renouatus, & conſpiciens intellectã veritatẽ tuam, homine demõſtratore non indiget, vt ſuum genus imitetur, ſed demonſtrãte te probat ipſe, quæ ſit voluntas tuã, quod bonum & beneplacitum & perfectum, & doces eum iam capacẽ videre trinitatẽ vnitatis, & vnitatem trinitatis. Ideoque pluraliter di-

Rom. 12.

cto, Faciamus hominē: singulariter tamē infertur. Et fecit Deus hominem: & pluraliter dicto, Ad imaginem nostram: singulariter tamen infertur, Ad imaginem Dei. Ita homo renouatur in agnitionem Dei secundùm imaginem eius, qui creauit eum. Et spiritualis effectus iudicat omnia, quæ vtique iudicanda sunt, ipse autem à nemine iudicatur.

CAPVT XXIII.

Christianus de quibus iudicet.

1 QVod autem iudicat omnia, hoc est, quod habet potestatē piscium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum & ferarum, & omnis terræ, & omnium repentium, quæ repunt super terram. Hoc enim agit per mentis intellectum, per quem percipit, quæ sunt spiritus Dei. Alioqui homo in honore positus, non intellexit; comparatus est iumētis insensatis, & similis factus est illis. *Psal. 48.* Ergo in ecclesia tua Deus noster, secundùm gratiam tuam, quam dedisti ei, quoniam tuum sumus figmentum creati in operibus bonis, non solùm qui spiritualiter præsunt, sed etiam hi, qui spiritualiter subduntur eis, qui præsunt. Masculum enim & fœminam fecisti hominē, hoc modo in gratia tua spirituali,

vbi secundũ sexũ corporis non est masculus & fœmina, quia neq; Iudæus, neque Græcus, neque seruus, neque liber.

2. Spirituales ergo, siue qui prǽsunt, siue qui obtemperant, spiritualiter iudicant, non de cogitationibus spiritualib. quæ lucent in firmamento. Non enim oportet de tam sublimi autoritate iudicare, neque enim de ipso libro tuo, etiã si quid ibi non lucet, quoniam submittimus ei nostrum intellectum, certumq; habemus etiam, quod clausum est aspectibus nostris, rectè veraciterque dictum esse. Sic enim homo, licèt iam spiritualis & renouatus in agnitionem Dei, secundùm imaginem eius, qui creauit eum, factor tamen legis debet esse, non iudex. Neque de illa distinctione iudicat, spiritualium videlicet atque carnalium hominum, qui tuis Deus noster oculis noti sunt, & nullis adhuc nobis apparuerunt operibus, vt ex fructibus eorum cognoscamus eos, sed tu Domine iam scis eos, & diuisisti, & vocasti in occulto, antequam fieret firmamentum. Neque de turbidis huius seculi populis, tanquam spiritualis homo dijudicat.

3. Quid enim de his, quæ foris sũt, iudicare ignoranti, quis inde venturus sit

in

in dulcedinem gratiæ tuæ, & quis in perpetua impietatis amaritudine remã-ſurus? Ideoque homo, quem feciſti ad imaginem tuam, non accepit poteſtatem luminarium cœli, neque ipſius occulti cœli, neque diei & noctis, quæ ante cœli cõſtitutionem vocaſti, neque congregationis aquarum, quod eſt mare: ſed accepit poteſtatem piſcium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum, & omnis terræ, & omnium repentium, quæ repunt ſuper terram. Iudicat enim & approbat, quod rectè; improbat autem, quod perperam inuenerit: Siue in ea ſolennitate ſacramentorum, quib. initiantur, quos perueſtigat in aquis multis miſericordia tua: Siue in ea, qua ille piſcis * exhibetur, quem leuatum de profundo terra pia comedit: Siue in verborum ſignis vocibuſque ſubiectis autoritati libri tui, tanquam ſub firmamento volitantibus, interpretando, exponendo, diſſerendo, diſputando, benedicendo, atque inuocando te ore, erumpentibus atque ſonantibus ſignis, vt reſpondeat populus, amen.

*al. excipitur.

4. Quibus omnib. vocibus corporaliter enũciandis, cauſa eſt abyſſus ſeculi, & cæcitas carnis, quæ cogitata non poſſunt

videri, vt opus ſit inſtrepere in auribus. Ita quamuis multiplicentur volatilia ſu per terram, ex aquis tamen originem ducunt. Iudicat etiam ſpiritualis approbādo, quod rectum, improbando autem, quod perperam inuenerit in operibus moribuſque fidelium & eleemoſynis, tanquam terra fructifera, & de anima viua manſuefactis affectionibus, in caſtitate, in ieiunijs, in cogitationibus pijs, de his, quæ per ſenſum corporis percipiuntur. De his enim iudicare nunc dicitur, in quibus & poteſtatem corrigendi habet.

CAPVT XXIV.

Quare Deus benedixerit homini, & piſcibus, & volatilibus, & non alijs creaturis.

1 SEd quid eſt hoc, & quale myſterium eſt? Ecce benedicis homines ô Domine, vt creſcant & multiplicentur, & impleant terram. Nihilne nobis ex hoc innuis, vt intelligamus aliquid? Cur non ita benedixeris lucem, quam vocaſti diem: nec firmamentum cœli, nec luminaria, nec ſydera, nec terram, nec mare? Dicerem te Deus, qui nos

ad imaginem tuam creasti; dicerem te hoc donum benedictionis homini propriè voluisse largiri, nisi hoc modo benedixisses pisces & cetos, vt crescerent, & multiplicarentur, & implerent aquas maris; & volatilia multiplicarentur super terram. Item dicerem ad ea rerum genera pertinere benedictionem hanc, quæ gignendo ex semetipsis propagantur, si eam non reperirem in arbustis, & frutetis, & in pecoribus terræ. Nunc autem nec herbis & lignis dictum est, nec bestijs & serpentibus: Crescite & multiplicamini; cùm hæc quoque omnia sicut pisces & aues & homines, gignendo augeantur, genusque custodiant.

2. Quid igitur dicam, lumen meum veritas? quia vacat hoc? quia inaniter ita dictum est? Nequaquam pater pietatis, absit, vt hoc dicat seruus verbi tui. Et si ego non intelligo, quid hoc eloquium significet, vtantur eo meliùs meliores, id est, intelligentiores, quàm ego sum, vnicuique quantum sapere dedisti, Deus meus. Placeat autem & confessio mea coram oculis tuis; quia tibi confiteor credere me Domine, non incassum te ita locutum: neque silebo, quod mihi lectionis huius occasio suggerit.

3. Verum est enim, nec video, quid impediat ita me sentire dicta figurata librorũ tuorum. Noui enim multipliciter significari per corpus, quod vno modo mente intelligitur, & multipliciter mẽte intelligi, quod vno modo per corpus significatur. Ecce simplex dilectio Dei & proximi, quàm multiplicibus sacramentis, & innumerabilibus linguis, & in vnaquaque lingua innumerabilibus locutionum modis corporaliter enunciatur. Ita crescunt & multiplicantur fœtus aquarum. Attende iterum, quisquis hæc legis. Ecce, quod vno modo scriptura effert, & vox personat: In principio fecit Deus cœlũ & terrã, nonne multipliciter intelligitur, non errorum fallacia, sed verarũ intelligẽtiarũ generibus. Ita crescũt & multiplicantur fœtus hominum.

4. Itaque, si naturas ipsas rerum non allegoricè, sed propriè cogitemus, ad omnia, quæ de seminibus gignuntur, conuenit verbum, Crescite, & multiplicamini. Si autem figuratè posita ista tractemus, quod potius arbitror intendisse scripturam, quæ vtique non superuacuè solis aquatilium & hominum fœtibus istam benedictionem attribuit: inuenimus quidem multitudines, & in creatu-

ris ſpiritualib. aquæ corporalibus, tāquā in cœlo & in terra;& in animis iuſtis & iniquis, tanquā in luce & in tenebris: & in ſanctis autoribus, per quos lex miniſtrata eſt, tāquā in firmamēto, quod ſolidatum eſt inter aquā, & aquā & in ſocietate amaricantiū populorū, tanquam in mari:& in ſtudio animarū piarū, tamquā in arida:& in operibus miſericordiæ ſecundùm præſentem vitam, tanquā in herbis ſeminalibus & lignis fructiferis:& in ſpiritualibus donis manifeſtatis ad vtilitatem, ſicut in luminaribus cœli:& in affectibus formatis ad temperantiam, tanquam in anima viua. In his omnibus nanciſcimur multitudines, & vbertates, & incrementa.

5. Sed quòd ita creſcat & multiplicetur, vt vna res multis modis intelligatur & enuncietur, & vna enunciatio multis modis intelligatur, nō inuenim⁹, niſi in ſignis corporaliter editis, & reb⁹ intelligibiliter excogitatis. Signa corporaliter edita, generationes aquarū propter neceſſarias cauſas carnalis profūditatis, res aūt intelligibiliter excogitatas, generationes hūmanas propter rationis fœcūditatē intelligim⁹. Et ideo credim⁹ vtriq; horū generi dictum eſſe abs te Domine:

Creſcite

Crefcite & multiplicamini. In hac enim benedictione conceſſam nobis à te poteſtatem & facultatem accipio, & multis modis enunciare, quod vno modo intellectum tenuerimus, & multis modis intelligere, quod obſcurè vno modo enũciatum legerimus. Sic implentur aquæ maris, quæ non mouentur, niſi à varijs ſignificationibus: ſic & fœtibus humanis impletur & terra, cuius ariditas apparet in ſtudio, & dominatur ei ratio.

CAPVT XXV.

Fructus terræ allegoricè ſunt officia pietatis.

1 VOlo etiam dicere, Domine Deus meus, quod me conſequens tua ſcriptura commonet: & dicam, nec verebor. Verum enim dicam, te mihi inſpirante, quod ex eis verbis voluiſti, vt dicerem. Neq; enim alio, præter te, inſpirante, credo me verũ dicere, cũ tu ſis veritas, omnis aũt homo mendax. Et ideo, qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Ergo vt verum loquar, de tuo loquar. Ecce dediſti nobis in eſcam omne fœnum ſatiuum; ſeminans ſemen, quod eſt ſuper omnem terram; & omne lignum, quod

habet in se fructum seminis satiui. Nec nobis solis, sed & omnibus auibus cęli, & bestijs terræ, atque repentibus; piscibus autem & cetis magnis non dedisti hæc.

2. Dicebamus enim eis fructibus terrę significari, & in allegoria figurari opera misericordiæ, quæ huius vitæ necessitatibus exhibētur ex terra fructifera. Talis terra erat pius Onesiphorus, cuius domui dedisti misericordiam, qui frequenter Paulum tuum refrigerauit, & catenam eius non ęrubuit. Hoc fecerunt & fratres, & tali fruge fructificauerunt, qui quod ei deerat, suppleuerunt ex Macedonia. Quomodo autem dolet quædam ligna, quæ fructum ei debitum non dederunt; vbi ait; In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerūt, non illis imputetur. Ista enim debentur eis, qui ministrant doctrinam rationalē, per intelligentias diuinorum mysteriorum, & ita eis debentur, tanquam hominibus. Debentur autem eis, sicut animæ viuæ, præbentibus se ad imitandum in omni continentia. Item debentur eis tanquam volatilibus, propter benedictiones eorum, quæ multiplicantur super terram, quoniam in omnem terram exijt sonus eorum.

CA-

CAPVT XXVI.

Voluptas & vtilitas ex beneficio in proximum collato.

1 PAscuntur autem his escis, qui lætantur eis: nec illi lætantur eis, quorum Deus venter est. Neque enim & in illis, qui præbent ista, ea quæ dant, fructus est, sed quo animo dant. Itaque ille, qui Deo seruiebat, non suo ventri, video planè vnde gaudeat, video, & congratulor ei valde. Acceperat enim à Philippensibus, qui per Epaphroditum miserant: sed tamen, vnde gaudeat, video. Vnde autē gaudet, inde pascitur, quia in veritate loquens: Gauisus sum (inquit) magnificè in Domino, quia tandem aliquando repullulastis sapere pro me, in quo & sapiebatis. tædium autem habuistis. Isti ergo diuturno tædio marcuerant, & quasi exaruerant ab isto fructu boni operis: & gaudet eis, quia repullularunt, non sibi, quia eius indigentiæ subuenerunt. Ideo secutus ait: Non quòd desit aliquid, dico. Ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse: Scio & minùs habere, scio & abundare; in omnibus & in omnia imbutus sum: & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati: omnia possum in eo, qui me confortat.

fortat. Vnde ergo gaudes, ô Paule magne?

2. Vnde gaudes? Vnde pasceris homo renouate in agnitione Dei, secundùm imaginem eius, qui creauit te, & anima viua tanta continentia, & lingua volatilis loquens mysteria. Talibus quippe animantibus esca ista debetur. Quid est, quod te pascit? Lætitia. Quod sequitur, audiamus. Veruntamen, inquit, bene fecistis, communicãtes tribulationi meę. Hinc gaudet, & hinc pascitur, quia illi benefecerunt, non quia eius angustia relaxata est, qui dicit tibi: In tribulatione dilatasti mihi: quia & abundare & penuriam pati nouit in te, qui confortas eum. Scitis enim, inquit, etiam vos Philippenses, quoniam in principio euangelij, cùm ex Macedonia sum profectus, nulla mihi ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli, quia & Thessalonicã, & semel & iterũ vsibus meis misistis.

3. Ad hæc bona opera eos redijsse nunc gaudet, & repullulasse lætatur, tanquam reuirescente fertilitate agri. Nunquid propter vsus suos, quia dixit, vsibus meis misistis? Nunquid propter ea gaudet? Non propterea. Et hoc vnde scimus? Quoniam ipse sequitur dicens:

dicens: Non quia quæro datum, ſed requiro fructum. Didici à te Deus meus, inter datum & fructum diſcernere. Datum, eſt res ipſa, quam dat, qui impartitur hęc neceſſaria, veluti eſt nũm⁹, cibus, potus, veſtimentum, tectum, adiutoriũ: fructus autem, bona & recta voluntas datoris eſt. Nõ enim ait magiſter bonus: Qui ſuſceperit prophetam, tantùm; ſed addidit, in nomine prophetæ. Neque ait, tantùm: Qui ſuſceperit iuſtum, ſed addidit, in nomine iuſti. Ita quippe ille mercedem prophetæ, iſte mercedem iuſti accipiet. Nec ſolùm ait: Qui calicem aquæ frigidæ potum dederit vni ex minimis meis: ſed addidit, tantùm in nomine diſcipuli. Et ſic adiunxit: Amen dico vobis, non perdet mercedẽ ſuam. Datũ eſt, ſuſcipere prophetam, ſuſcipere iuſtum, porrigere calicem aquæ frigidæ diſcipulo; fructus autem, in nomine prophetæ, in nomine iuſti, in nomine diſcipuli hoc facere. Fructu paſcitur Elias à vidua ſciẽte, quòd hominẽ Dei paſceret, & propter hoc paſceret: per coruum autem dato paſcebatur. Nec interior Elias, ſed exterior paſcebatur, qui poſſet etiam talis cibi egeſtate corrumpi.

CA-

CAPVT XXVII.

Quid per pisces & cetos significetur.

IDeoque dicam, quod verum est corã te Domine, cùm homines idiotæ atque infideles, quibus initiandis atque lucrandis necessaria sunt sacramenta initiorum, & magnalia miraculorum, quæ nomine piscium & cetorum significari credidimus; suspiciunt corporaliter reficiendos, aut in aliquo præsentis vitæ vsu adiuuandos pueros tuos, cùm id quare faciendum sit, & quo pertineat, ignorent. Nec illi istos pascunt, nec isti ab illis pascuntur. Quia nec illi hæc sancta & recta voluntate operantur, nec isti eorũ datis, vbi fructum nondum vident, lætantur. Inde quippe animus pascitur, vnde lætatur. Et ideò pisces & ceti non vescuntur escis, quas non germinat, nisi iam terra ab amaritudine marinorum fluctuum distincta atque discreta.

CAPVT XXVIII.

Valdè bona, quare postremò additum.

ET vidisti Deus omnia, quæ fecisti, & ecce bona sunt valde; quia & nos vidimus ea, & ecce omnia bona valde. In singulis generibus operum tuorum, cùm dixisses, vt fierẽt, & facta essent, il-

lud

lud atque illud vidisti, quia bonum est. Septies numeraui scriptum esse te vidisse, quia bonum est, quod fecisti: & hoc octauum est, quia vidisti omnia, quæ fecisti; & ecce non solùm bona, sed etiam valde bona, tanquam simul omnia. Nam singula tantùm bona erant, simul autem omnia, & bona & valde. Hoc modo dicũtur etiam quæque pulchra corpora, quia longè multò pulchrius est corpus, quod ex membris omnibus constat, quàm ipsa membra singula, quorum ordinatissimo conuentu completur vniuersum, quamuis & illa etiam singulatim pulchra sint.

CAPVT XXIX.

Dei opera bona perpetuò.

ET attendi, vt inuenirem, vtrum septies vel octies videris, quia bona sunt opera tua, cùm tibi placuerunt: & in tua visione non inueni tempora, per quæ intelligerem, quòd toties videris, quæ fecisti, & dixi: O Domine, nonne ista scriptura tua vera est, quoniam tu verax & veritas edidisti eam? Cur ergo tu mihi dicis, non esse in tua visione tempora: & ecce scriptura tua mihi dicit per singulos dies ea, quæ fecisti te vidisse, quia bona sunt: Et cùm ea

ea numerarem, inueni quoties. Ad hæc tu dicis mihi, quoniam tu es Deus me⁹; & dicis voce forti in aure interiore seruo tuo, perrumpens meam surditatem, & clamans: O homo, nempe quod scriptura mea dicit, ego dico. Et tamen illa temporaliter dicit, verbo autem meo tempus non accidit, quia æquali mecum æternitate consistit. Sic ea, quæ vos per spiritum meum videtis, ego video, sicut ea, quæ vos per spiritum meum dicitis, ego dico. Atque ita, cùm vos temporaliter ea videtis, non ego temporaliter video; quemadmodum, cùm vos temporaliter ea dicatis, non ego temporaliter dico.

CAPVT XXX.

In eos, quibus opera Dei displicent.

ET audiui Domine Deus meus, & elinxi stillam dulcedinis ex tua veritate, & intellexi, quoniam sunt quidam, quibus displicent opera tua bona; & multa eorum dicunt te fecisse necessitate compulsum; sicut fabricas cælorum, & compositiones syderum; & hoc non de tuo, sed iam fuisse alibi creata, & aliunde, quæ tu contraheres, & compaginares, atque contexeres, cũ de hostibus victis, mundana mœnia moli-

molireris; vt ea constructione deuicti, aduersus te iterum rebellare nō possent. Alia verò nec fecisse te, nec omnino cōpegisse, sicut omnes carnes, & minutissima quæque animantia, & quicquid radicibus terram tenet: sed hostilem mentē naturamque aliam, nec abs te conditam, tibique contrariam, in inferioribus mūdi locis ista gignere atque formare. Insani dicunt hæc, quoniam non per spiritū tuum vident opera tua, nec te cognoscūt in eis.

CAPVT XXXI.

Pijs idem probatur, quod Deo placuit.

1 QVi autem per spiritum tuum vidēt ea, tu vides in eis. Ergo cùm vidēt, quia bona sunt, tu vides, quia bona sunt: & quæcunque propter te placent, tu in eis places, & quæ per spiritum tuum placent nobis, tibi placēt in nobis. Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Sic & quæ Dei sunt, nemo scit, nisi spiritus Dei. Nos autem, inquit, non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritū, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Et admoneor, vt dicam: Certè nemo scit, quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei. Quomodo ergo scimus

1.Cor 2.

&

& nos, quæ à Deo donata ſunt nobis? Reſpondetur mihi, quoniam quæ per eius ſpiritum ſcimus, etiam ſic nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei. Sicut enim rectè dictũ eſt: Non enim vos eſtis, qui loquimini, eis qui in ſpiritu Dei loquerentur: ſic rectè dicitur: Non vos eſtis, qui ſcitis, eis qui in Dei ſpiritu ſciunt. Nihilominus igitur rectè dicitur: Non vos eſtis, qui videtis, eis qui in ſpiritu Dei vident. Ita quicquid in ſpiritu Dei vident, quia bonum eſt, non ipſi, ſed Deus videt, quia bonum eſt.

2. Aliud ergo eſt, vt putet quiſque malum eſſe, quod bonum eſt, quales ſuprà dicti ſunt. Aliud, vt quod bonum eſt, videat homo, quia bonum eſt. Sicut multis tua creatura placet, quia bona eſt; quibus tamen non tu places in ea, vnde frui magis ipſa, quàm te volunt. Aliud autem, vt cùm aliquid videt homo, quia bonum eſt, Deus in illo videat, quia bonum eſt, vt ſcilicet ille ametur in eo, quod fecit; quia non amaretur, niſi per ſpiritum ſanctum, quem dedit. Quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, per quem videmus, quia bonum eſt; quicquid aliquo modo eſt.

Ab illo enim est, qui non aliquo modo est, sed quod est, est.

CAPVT XXXII.

Compendio enarrat opera Dei.

1 Gratias tibi Domine. Videmus cælum & terram, siue corporalem partem superiorem atque inferiorem, siue spiritualem corporalemque creaturam: atque in ornatu harum partium, quibus constat vel vniuersa mundi moles, vel vniuersa omnino creatura. Videmus lucem factam diuisamque à tenebris. Videmus firmamentum cœli, siue inter spirituales aquas superiores, & corporales inferiores, primariũ corpus mundi: siue hoc spaciũ aëris, (quia & hoc vocatur cœlum) per quod vagantur volatilia cœli inter aquas, quæ vaporaliter eis superferuntur, & serenis etiam noctibus rorant, & has, quæ in terris graues fluitant.

Illud retractat Augustinus lib 2. Retract cap 8.

2. Videmus congregatarum aquarum speciem per campos maris, & aridam terram, vel nudatam vel formatam, vt esset visibilis & composita, herbarũ quoque atque arborum materiem. Videmus luminaria fulgere desuper, solem sufficere diei, lunam & stellas consolari noctem. atque his omnibus notari & significari tempora. Videmus humidam

vsque-

vſquequaque naturam, piſcibus & belluis & altibus fœcundatam; quòd aëris corpulentia, quæ volatus auium portat, aquarum exaltatione concreſcit.

3. Videmus terrenis animalibus faciē terræ decorari: hominemque ad imaginem & ſimilitudinem tuam cunctis irrationalibus animantibus, ipſa tua imagine ac ſimilitudine, hoc eſt, rationis & intelligentiæ virtute præponi. Et quemadmodum in eius anima aliud eſt, quod conſulendo dominatur, aliud quod ſubditur, vt obtemperet: ſic viro factam eſſe etiam corporaliter fœminam, quæ haberet quidem in mente rationalis intelligentiæ parem naturam: ſexu tamen corporis ita maſculino ſexui ſubijceretur, quemadmodum ſubijcitur appetitus actionis ad concipiēdam de ratione mētis rectè agendi ſolertiam. Videmus hęc, & ſingula bona, & omnia bona valde.

CAPVT XXXIII.

Vt omnis creatura laudet creatorem.

LAudent te opera tua, vt amemus te; & amamus te, & laudent te opera tua, quæ habent initum & finem ex

tempore, ortum & occasum, profectum & defectum, speciem & priuationem. Habent ergo consequentia mane & vesperam, partim latenter, partim euidenter. De nihilo enim à te, non de te facta sunt; nō de aliqua nō tua, vel quæ antea fuerit, sed de concreata, id est, simul à te creata materia, quia eius informitatē, sine vlla tēporis interpositione, formasti. Nā cùm sit aliud cœli & terræ materies, aliud cœli & terræ species, materiē quidem de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia, simul tamē vtrumque fecisti: vt materiam forma nulla moræ intercapedine sequeretur.

CAPVT XXXIV.

De ordine & vario fructu Christianæ vitæ.

1 INspeximus etiam, propter quorum figurationem ista vel tali ordine fieri, vel tali ordinatione scribi voluisti? Et vidimus, quia bona sunt singula, & omnia bona valde, in verbo tuo, in vnico tuo, cœlum & terrā, caput & corpus ecclesiæ, in prædestinatione ante omnia tempora, sine mane & vespera. Vbi autē cœpisti prædestinata temporaliter exequi, vt occulta manifestares, & incomposita

posita nostra componeres, quoniam super nos erant peccata nostra, & in profundum tenebrosum abieramus abs te, & spiritus tuus bonus superferebatur ad subueniendum nobis in tempore oportuno, & iustificasti impios, & distinxisti eos ab iniquis: & solidasti autoritatem libri tui inter superiores, qui tibi dociles essent, & inferiores, qui eis subderentur, & congregasti societatem infidelium in vnam conspirationem, vt apparerent studia fidelium, & tibi opera misericordiæ parerent, distribuentes etiam pauperibus terrenas facultates ad acquirenda cœlestia.

2. Et inde accendisti quædam luminaria in firmamento, verbum vitæ habentes sanctos tuos, & spiritualibus donis prælata sublimi autoritate fulgentes, & inde ad imbuendas infideles gentes, sacramenta, & miracula visibilia, vocesq; verborum secundùm firmamentum libri tui, quibus etiam fideles benedicerentur, ex materia corporali produxisti: & deinde fidelium animam viuam, per affectus ordinatos continentiæ vigore formasti, atque inde tibi soli mentem subditã, & nullius autoritatis humanæ ad imitandũ indigentem renouasti ad ima-

ginē & similitudinem tuam: præstantique intellectui rationabilem actionem tanquam viro fœminam subdidisti, omnibusque tuis ministerijs ad perficiendos fideles in hac vita necessarijs, ab eisdem fidelibus ad vsus temporales, fructuosa in futurum opera præberi voluisti. Hæc omnia videmus, & bona sunt valde, quoniam tu ea vides in nobis, qui spiritum, quo ea videremus, & in eis te amaremus, dedisti nobis.

CAPVT XXXV.

Optat pacem.

DOmine Deus pacem da nobis, omnia enim præstitisti nobis, pacem quietis, pacem sabbati, pacem sine vespera. Omnis quippe iste ordo pulcherrim⁹ rerum valde bonarum, modis suis peractis transiturus est, & mane quippe in eis factum est, & vespera.

CAPVT XXXVI.

Diem septimum vespera quare non sequatur.

DIes autem septimus sine vespera est, nec habet occasum; quia sanctificasti eum ad permansionem sempiternam: vt id, quod tu post opera tua bona valde, quamuis ea quietus feceris, requie-

requieuiſti ſeptimo die; hoc præloquatur nobis vox libri tui, quod & nos poſt opera noſtrai, deo bona valde, quia tu nobis ea donaſti ſabbato vitæ æternæ. Requieſcamus in te etiam.

CAPVT XXXVII.

Deus in nobis quando quieſcit.

TVnc .n. ſic requieſces in nobis, quēadmodum nunc operaris in nobis: & ita erit illa requies tua per nos, quemadmodū ſunt iſta opera tua per nos. Tu aūt Domine, ſemper operaris, & ſemper requieſcis. Nec vides ad tempus, nec moueris ad tempus, nec requieſcis ad tempus, & tamen facis & viſiones temporales, & ipſa tempora, & quietem ex tempore.

CAPVT XXXVIII.

Aliter Deus, aliter homo videt creata.

NOs itaque iſta, quæ feciſti, videmus, quia ſunt; tu autem quia vides ea, ſunt. Et nos foris videmus; quia ſunt, & intus, quia bona ſunt; tu autem ibi vidiſti facta, vbi vidiſti facienda. Et nos alio tempore moti ſumus ad benefaciendum, poſteà quàm concepit de ſpiritu tuo cor noſtrum.

Priore autem tempore ad malefaciendum mouebamur, deserentes te: tu verò Deus summe, vne, bone, nunquam cessasti benefacere. Et sunt quædam bona opera nostra ex munere quidem tuo, sed nō sempiterna. Post illa nos requieturos in tua grandi sanctificatione speramus. Tu autem bonum nullo indigens bono, semper quietus es; quoniam tua quies tu ipse es. Et hoc intelligere quis hominum dabit homini? quis angelus angelo? quis angelus homini? A te petatur, in te quæratur, apud te pulsetur, sic, sic accipietur, sic inuenietur, sic aperietur. Amen.

FINIS.

CONFESSIO THEOLOGICA

IN TRES PARTES DISTINCTA, A QVODAM docto & pio ex D. Augustini Confessionum & Meditationum libris pulchrè collecta.

ITEM SVCCINCTA EXpositio Missæ Romanæ.

COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, sumptibus Hermanni Mylij,
ANNO M. DC. XIX.

IN NOMINE SANctæ & indiuiduæ Trinitatis, incipit prima pars Confeſsionũ, ſeu Theologiæ, in qua de ſola diuinitate Patris, & Filij, & Spiritus ſancti breuiter dicitur: vt tu, qui hæc vel legis, vel oras, vel confiteris, ex his paucis intelligas, quia ſpiritus eſt

Ioan. 4. Deus: & eos, qui adorant eum, oportet in ſpiritu & veritate credere & adorare. Debemus ſuper omnia attollere mẽtem, cùm de Deo cogitamus, aut noſtras ei fundimus preces. Nam ſapere ſecundùm carnem, mors eſt. Ideo beati mundo corde, qui cùm Deum orant, præter Deum nihil cernunt, nil cogitant. Ipſe enim eſt beatus populus, qui ſcit iubilationem.

THEOLOGICAE CONFESSIONIS

PARS PRIMA.

ADESTO mihi verum lumen Deus pater omnipotens. Adeſto mihi verum lumen de lumine, verbũ, filius Dei, Deus omnipotens. Adeſto mihi vera illuminatio ſpiritus ſancte, patris & filij charitas, vnitas, & ſanctitas, Deus omnipotens. Adeſto mihi ô vna Trinitas, & trina vnitas, Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, vnus Deus omnipotens. Te quidem inuoco in animam meam. Intra ergo in eam, & coapta eam tibi, vt poſſideas illam ſine macula, & ſine ruga. Tu es Deus meus viuus & verus, Dominus meus pius, Rex meus magnus. Te labijs & corde, & omni qua valeo virtute laudo, benedico atque adoro. Te inuoco, ad te clamo clamore magno in toto corde meo.

Verum lumen.

CAPVT II.

Ex confes. lib.1.c.2 SEd quomodo inuocabo Deum & Dominum meum, quoniam vtique in meipsum voco eum, cùm inuoco eum, & quis locus in me est, quò veniat in me Deus meus? quò veniat Deus, qui fecit cælum & terram? Itane Domine Deus meus est quicquam in me, quod capiat te? An verò cœlum & terra, quę fecisti, & in quibus me fecisti, capiunt te? An quia sine te non esset, quicquid est, fit vt quicquid est, capiat te? Cur itaq; peto, vt venias in me, qui non essem, nisi esses in me? Non enim ego iam sum inferi: & tamen tu ibi quoq; es. Nam si descendero ad infernũ, ades. Non ergo essem Deus meus, non omnino essem, nisi esses in me. An potiùs non essem, nisi essem in te, ex quo omnia, per quē omnia, in quo omnia? Etiam sic Domine, etiã sic. Quò ergo te inuoco, cùm in te sim? Aut vnde venies tu in me? Quò enim recedam?

Cap.3. Quò ibo? Nunquid extra cœlũ & terram, vt inde veniat in me Deus meus, qui dixit: Cœlum & terrã impleo? Capiunt ergone te cœlum & terra, quoniam tu imples ea? An imples, & restat, quoniam nõ te capiunt? & quò refundis, quicquid impleto cœlo & terra restat ex te? An non

opus

opus habes, vt à quoquam contineatis, qui contines omnia? Quoniam quæ imples, continendo imples. Non enim vasa, quæ te plena sunt, stabilem te faciũt, quia & si frangantur, tu nõ effunderis, & cùm effunderis super nos, non tu iaces, sed erigis nos: Nec tu dispergeris, sed colligis nos. Sed qui imples omnia, te toto imples omnia. An quia non possunt te totum capere omnia, partem tui capiunt, & eandem partem simul omnia capiunt? An singulas singula, & maiores maiora, minores minora capiunt? Ergone est aliqua pars tui maior, aliqua minor? An vbique totus es, & res nulla te totum capit? Quid ergo es Domine De⁹ meus? Quid ergo, nisi Dominus Deus? Quis enim Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

Cap 4. Quid est Deus.

CAPVT III.

SVmme, omnipotentissime, misericordissime & iustissime, secretissime & præsentissime, pulcherrime & fortissime. Stabilis es & incomprehensibilis. Immutabilis, mutans omnia: Inuisibilis, videns omnia: Immortalis, illocalis, interminus, incircumscriptus, nusquam finitus. Ineffabilis, indicibilis, inscrutabilis.

Medit. cap. 29.

bilis. Immotus, tangens omnia, inuestigabilis, metuendus atque terribilis, honorandus, atq; horrendus: venerãdus atque verendus: numquam nouus, nunquã vetus, innouans omnia, & in vetustatẽ perducens superbos, & nesciunt. Semper agens, semper quietus: Colligens & non egens. Omnia portans sine onere: Omnia implens sine inclusione; Omnia creans & protegens, nutriens & perficiens: Quærens, cùm nihil desit tibi. Amans, nec æstuans zelas, & securus es. Pœnitet te, & non doles: Irasceris, & tranquillus es: Opera mutas, sed non mutas consiliũ. Recipis, quod inuenis, ac nunquam amisisti. Nunquam inops & gaudens lucris. Nunquam auarus, & vsuras exigẽs. Supererogatur tibi, vt debeas, & quis habet quicquam non tuum? Reddis debita, nulli debens. Donas debita, nihil perdẽs. Qui solus viuificans omnia: Qui creasti omnia: Qui vbique es, & vbique totus: Qui sentiri potes, & videri non potes. Qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè es. Qui nec ibi dees, vbi longè es: qui vbi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui omnia tangis, nec tamen omnia æqualiter tangis. Quædam enim tangis, vt sint, nec

nec tamen vt viuant, & sentiant. Quædã tangis, vt sint, viuant, sentiant: nec tamẽ vt discernant. Quædam tangis, vt sint, viuant, sentiant, & discernant: & cùm tibimetipsi nunquam dissimilis sis, dissimiliter tamen tangis dissimilia. Qui vbique præsens es, & inueniri vix potes; Quem stantem sequimur, & apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, supercedis omnia, sustines omnia. Nec ex alia parte sustines, atq; alia superexcedis. Neq; ex alia parte imples, atq; alia circũplecteris: sed circumplectendo imples, & implendo circumplecteris, sustinendo superexcedis, superexcedendo sustines. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum. Qui attingis à fine vsque ad finem fortiter, & disponis omnia suauiter. Qui locis non distenderis, nec temporibus variaris. Neque habes accessus & recessus. Qui habitas lucem inaccessibilem, quam nullus vidit hominũ, sed nec videre potest. In te manens quietus, vbique circuis totum. Non enim scindi vel diuidi poteris, quia verè vnus es. Nec in partes efficeris, sed totus totum tenes, totum imples, totum illustras & possides.

CAPVT IV.

Mysteriū deitatis non potest homo capere.

HOc mysterium mens humana cōcipere non potest, nec oratória lingua enarrare, neque diffusi sermonis bibliothecarum volumina queunt explicare. Si totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis non potest enarrari. Quoniam verè indicibilis es, nullo modo scribi poteris, neque concludi; qui es fons lucis diuinæ, & sol claritatis æternæ. Magnus enim es sine quantitate, & ideò immensus. Bonus sine qualitate, ideò verè & summè bonus, & nemo bonus, nisi tu solus. Cuius voluntas opus est. Cui velle posse est. Qui omnia, quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti. Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas, & absque tædio regis: & nihil est, quod perturbet ordinem imperij tui vel in summis, vel in imis. Qui in omnibus locis sine loco haberis, & omnia contines sine habitu, & vbique præsens es sine situ & motu. Qui nec mali autor es, quodq; facere nō potes, qui nihil nō potes. Nec vnquā te quicquam fecisse pœnituit. Nec vllius commotionis animi tēpestate turbaris. Nec totius terræ particula regnum tuum est. Nulla flagi-

flagitia vel ſcelera probas aut imperas. Nunquam mentiris, quia æterna veritas es. Cuius vnius bonitate facti ſumus, & iuſtitia pœnas luimus, & clementia liberamur. Nam nihil cæleſte, nihil igneũm, nihil terrenũ, nihilque quod corporis ſenſus attingit, pro te colendum eſt. Qui verè es quod es, & non mutaris. Cui maximè ac ſpecialiter illud conuenit, quod Græci dicunt, ὢν, Latini eſt: quia ſemper idem ipſe es, & anni tui non deficient. *Nihil pro Deo colẽdum eſt.*

CAPVT V.

HAEc & alia multa docuit me ſancta mater Eccleſia: de cuius cœleſti doctrina in nullo mentem meam ſinit dubitare gratia tua. Corde credo, ore confiteor, quia vera ſunt omnia, quæ illa credit, confitetur & docet. Certe videbimus in re, quod tenemus in ſpe. Docuit igitur te ſolum viuum & verum Deum nõ eſſe corporeum vel paſſibilem aut palpabilem, nullam tui partem corporeis oculis poſſe ſentiri, nihil de ſubſtantia tua atque natura vllo modo eſſe violabile aut commutabile, aut compoſitum, aut fictum. Tu verò vnitas deitatis perſonarum pluralitate multi- *Eccleſia docuit nos.* *Medit. c. 20*

plex, numerabiliter es inenumerabilis: ac idcirco mensurabiliter es immensurabilis, & ponderabiliter imponderabilis. Non enim summæ bonitatis profitemur originem, ex qua omnia, per quam omnia, in qua omnia: sed eius participatione dicimus bona omnia. Nam tua diuina substantia semper caruit, ac caret materia, licèt non careat forma, forma scilicet informata, forma formarum, forma formosissima: quam dum imprimis quasi sigillum rebus singulis, eas sine tui augmenti aut detrimenti mutabilitate procul dubio à te facis differre. Non enim frustra in laude tua ponitur tam speciosissimum quàm formosissimum.

CAPVT VI.

QVicquid in natura creaturarum est, creatura tua est, ô trina vnitas, & vna Trinitas Deus Cuius omnipotentia omnia gubernat, regit, & implet, quæ creauit. Nec ideo omnia implere dicimus, vt te contineant, sed ipsa potiùs à te contineantur. Nec particulatim imples omnia. Nec vllatenus ita putandum est, vt vnaquęque pro magnitudine portionis suæ capiat te, id est, maxima magis, & minima minus: dum sis

potiùs

potius ipse in omnibus, siue omnia in te, cuius omnipotentia omnia concludit. Nec euadendi potentiam tuam quis aditum inuenire poterit. Qui enim te nō habet placatum, nequaquam euadet iratum. Immensitas diuinæ magnitudinis tuæ ista est, vt intelligamus te intra omnia, sed non inclusum extra omnia, sed non exclusum. Et ideò interior es, vt omnia contineas. Ideò exterior es, vt incircumscriptæ magnitudinis tuæ immensitate omnia concludas. Per id ergo, quòd exterior es, ostenderis esse creator. Per id verò, quòd interior es, gubernare omnia demonstraris. Ac ne ea, quæ creata sunt, sine te essent, tu intra omnia es. Verùm ne extra te essent, tu exterior es, vt omnia concludantur à te, non locali magnitudine, sed potentiali præsentia, quia vbique præsens es, & omnia tibi præsentia, quamuis quidam hoc intelligant, quidam verò non intelligant. Inseparabilis denique naturæ tuæ vnitas nō potest separabiles habere personas; quia sicut Trinitas es in vnitate, & vnitas in Trinitate: sic separationem non potes habere personarum. Nominantur quidē illæ personæ aliquando singulæ, sed ita voluisti te Trinitas Deus inseparabilem

ostendere in personis, vt nullum ibi nomen sit in qualibet persona, quod ad aliam secundùm relationis regulam non referatur: sicut pater ad filium, & filius ad patrem, vel Spiritus sanctus ad patrem & filium verissimè refertur. Ea verò nomina quæ substantiam, vel potentiam, vel essentiam tuam significant, vel quicquid propriè dicitur Deus, omnibus personis æqualiter conueniunt: vt Deus magnus, bonus, & omnia, quæ naturaliter de te Deo dicuntur. Non est enim aliquod naturæ nomen, quod sic tibi Deo Patri conuenire possit, vt aut filio tuo, aut Spiritui sancto conuenire nequeat.

CAPVT VII.

DIcimus te Deum Patrem naturaliter esse Deum, sed naturaliter est & Filius Deus: naturaliter est & Spiritus sanctus Deus, nec tamen tres dij, sed vnus naturaliter Deus, Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Idcirco inseparabilis es sancta Trinitas, vnus Deus in personis sensu intelligenda, quamuis in voce separabilia habeas nomina: quia pluralem numerum in naturæ nominibus nullatenus recipis. In hoc enim ostenditur personas non posse diuidi in sācta Trinitate,

te, quæ vnus verus Deus est, quia cuiuslibet personæ nomen semper ad alterã respicit personam. Si patrem dico, filiũ ostendo. Si filium nomino, patrem prædico. Si Spiritum sanctum appello, alicuius esse spiritum necesse est intelligi, id est, patris & filij.

CAPVT VIII.

DOmine Deus noster, Deus viuus & verus, quem colimus & adoramus, nisi tu Trinitas esses, non diceretur: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Neque enim baptizari iuberemur Domine Deus in eius nomine, qui non esset Dominus Deus. Et iterum, nisi tuipsa Trinitas, vnus sine dubio Deus esses, non legeretur: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Ergo nisi tu Deus pater ipse esses, & verbum filius tu9 ipse esset, & donum vestrum Spiritus sanctus ipse esset, non inueniremus scriptum in literis sacræ doctrinæ: Misit Deus filium suum. Nec tu vnigenite patris diceres de Spiritu sancto: Quem mittet Pater in nomine meo, &: Quem vobis mittam à patre, & alibi: Ego & pater vnũ sumus, &: Qui videt me, videt & patrem. Ego

Marc. vl. Num. 6. Gal. 4. Ioan. 14. Ioan. 10.

Ioan. 14. in Patre, & Pater in me, & : Pater in me manens, ipse facit opera.

CAPVT IX.

Ioan. 7. DIcis quoque: Mea doctrina non est mea, & sermo, quem audistis, non est meus. Res mira: Dic rogo verbum Patris. Doce seruum humiliter interrogantem. Responde, quæso, virtus & sapientia summi principij, sed tuipse principium de principio, non duo principia, sed vnum certè principium. Dic verbum semper manens. Quid enim tam tuum, quàm tu? Sed tu tuus, & non tuus; quia constat te à teipso non esse (sicut in multis sæpe locis testaris) sed à Patre, cuius es verbum, non sanabile per syllabas, & volatile, sed semper ens, viuens, atque manens: & ideo verbum, non quod desinit prolatum, sed quod permanet natū: non transitorium, sed æternum: non factum, sed genitum: nec solùm genitum, sed etiam vnigenitum, cui ratio adest disponenti, & virtus præstò est perficienti, vtpotè vero Deo, & summo Domino. Te quippè vnigenitum verbum Pater genuit de seipso, per quod omnia creauit ex nihilo. Nisi enim tu omniscium & cunctipotens verbū Dei esses,

nullo

nullo modo per te omnia facta fuissent. Quomodo creatura creare aliquid potest? Creare sanè solus Deus valet, qui creatus non est. Nihil aũt excepto Deo non creatum est. Absit ab intellectu nostro, vt aliquid fateamur ex Patre, nisi Filium: & ideo non si Deus nasci potuit ex Deo. Tu Deus verbum semper apud Patrem, semper cum Patre, semper de Patre, semper in Patre: non sicut vas in vase, vel ciuitas apud vrbem, sed vti sapientia in sapiente, veritas in verace, bonitas in bono, æternitas in æterno. Tu veniens de sinu Patris ad publicum nostrum, & ostendens te creatorem creaturæ, docuisti corda fidelium trinitatem in vnitate, vnitatem in trinitate.

CAPVT X.

AD hanc verò fidei regulam dirigens intentionem meam, quantum me posse fecisti Deus meus, quæsiui hanc orthodoxam fidem, & desideraui intellectu videre, quod credidi. Deus accende in me magis magisque scientiæ lumen, per quod te trinum & vnum merear intelligere. Te vnum Deum colo, vnum omnium naturarum principium, à quo vniuersitas & inchoatur, & perficitur,

& continetur. Vnum Deum, à quo ſumus, per quem ſumus, in quo ſumus. A quo diſceſſimus, cui diſſimiles facti ſumus. Principium, ad quod recurrimus: & formam, quam ſequimur: & gratiam, qua reconciliamur. Vnum, quo auctore conditi ſumus: & ſimilitudinem, per quã ad vnitatem reformamur: & pacem, qua vnitati adhæremus. Vnum Deum, quo creatore viuimus: per quem reformati ſapienter viuimus: quem diligentes, & quo fruentes, beatè viuimus.

CAPVT XI.

HAc videlicet Catholica imbutus fide confiteor tibi rex cœli & terræ Domine, & honorifico te debito ſacrificio laudis pro ſcire & poſſe, quod mihi tantillo donare dignatus es. Et quia exteriora mihi munera deſunt, quæ poſſint offerri, ea quæ in me ſunt vota laudationis ex dono miſericordiæ tuæ, & quæ omni auro tibi chariora eſſe non dubito, ecce reddo, ouanter offerẽs maieſtati tuæ de fide non ficta, & conſcientia pura.

CAPVT XII.

CRedo igitur te toto corde, ſumma Trinitas, virtus vna, & indiſcreta

maie-

maieſtas:& ore te confiteor, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum; Patrem ingenitum, de Patre vnigenitum, de vtroque procedentem, & in vtroque permanentem ſanctum Spiritum. Nullum tribus anticipationis vel poſteritatis interuenire momentum. Nec habere diſpartitum imperium. Non in creandis conſilium, regendis, perficiendiſque creaturis auxilium opuſque diuiſum. Quicquid naturale eſt, indiruptum: quicquid perſonale eſt, inconfuſum.

CAPVT XIII.

CRedo in te ſancte Pater, & confiteor te ſummæ bonitatis, & totius deitatis principium, incircumſcriptæ & ingenitæ maieſtatis Deum, ex nullo ducentem initium, ſed omnibus initium dantem. Non corporali progenie, neque extrinſecus: non neceſſitate, nec volũtate, ſed natura filium generantem coæternũ tibi & conſubſtantialem. Pater.

CAPVT XIV.

CRedo in te verbum Patris, filius Dei; & confiteor te ex Patre ſine initio ineffabiliter natum, verum Deum,

Filius. & verum Dei vnigenitum, per quem facta sunt omnia: non factum, non creatum, non adoptiuum, sed genitum, & vnius cum patre substantiæ. Tantumque te esse qui genitus es, assero, quantus est ille qui genuit. Non autem quia dico te à patre genitum, diuinæ & ineffabili generationi aliquod tempus asscribo: sed nec Patrem dico aliquando cœpisse, nec te eius vnigenitum filium. Non enim aliter confiteri possumus æternum Patrem, nisi confiteamur te Patri coæternũ Filium. Ex filio autem Pater dicitur: & ideo qui semper Pater est, semper habuisse Filium non dubium est.

CAPVT XV.

Spiritus sanctus. CRedo quoque in te sancte Spiritus: & confiteor te verum Deum, non factum, nec creatum, non genitum, neque ingenitum, quia nec Filius, nec Pater dici potes: ne vel duo filij, vel duo patres in sancta Trinitate esse credantur; sed ex patre filioque inenarrabiliter procedẽtem, & in patre simulque filio substantialiter permanentem. Atque ita per omnia Deo Patri & Filio æqualem coæternum & consubstantialem te esse credo,

do, vt non voluntate, nec potestate, non æternitate, neque substantia differre possis ab eis, vel præcedi, à quibus procedis: & ideo vnum sunt Pater & Filius: quia tu æqualiter ab ambobus procedis Deus spiritus. Tu verè Patris & Filij charitas, vnitas & sanctitas.

CAPVT XVI.

Confiteor itaque æternum Patrem sine natiuitate: æternum Filium cum natiuitate: æternum Spiritum sanctum cum processione sine natiuitate. Totum patrem in filio & spiritu sancto. Totum filium in patre & Spiritu sancto. Totum Spiritum sanctum in Patre & Filio. Sanctam & indiuiduam Trinitatem: Vnum Deum omnipotentem: in personis ternionem, in substantia vnionem: visibilium & inuisibilium conditorem. Non corpus, aut in corpore positum, neque ex diuersis speciebus admixtum, aut membrorum compaginibus effigiatum: sed vnius simplicis & incorporeæ, inuisibilis & incircunscriptæ naturæ. Nihil maius aut inferius in te habentem; sed per omnem modum ex omni parte sine deformitate perfectum. Sine quantitate magnum.

Sanctissima Trinitas.

Medit c. 12.

Sine qualitate bonum. Sine tempore ſempiternum. Sine morte vitam. Sine infirmitate fortem. Sine mendacio veracem. Sine loco vbique totum. Sine ſitu vbique præſentem. Sine extenſione omnia implentem. Sine contractione vbique occurrentem. Sine motu omnia trāſcendentem. Sine ſtatu intra omnia manentem. Sine indigentia omnia creantem. Sine labore omnia regentem. Sine tui initio omnibus initiū dātē. Sine tui immutatione omnia mutabilia facientem. In magnitudine infinitum. In virtute omnipotentem. In bonitate ſummum. In ſapientia inæſtimabilem. In cōſilijs terribilem. In iudicijs iuſtum. In cogitationibus ſecretiſſimum. In verbis veracem. In operibus ſanctum. In miſericordijs copioſum. Erga delinquentes patientiſſimum. Erga pœnitentes pium. Semper eundem ipſum æternum ac ſempiternum: immortalem atque incommutabilem. Quem nec ſpacia dilatant, nec breuitas locorum anguſtat. Nec receptacula vlla coarctant. Nec voluntas variat, nec neceſſitudo corrumpit. Nec mœſta perurbant, nec læta demulcent. Cui nec obliuio tollit, nec memoria reddit. Nec præterita tranſeunt, nec futura

ſuccedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec caſus finem dabit. Sed ante ſecula, & in ſeculis, & per ſecula in ęternum viuis. Et eſt tibi perennis laus, & æterna gloria, ſumma poteſtas, & ſingularis honor: perpetuum regnum, & ſine fine imperium, per infinita & immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

INCIPIT pars Secunda de gratia, qua ſumus redempti, in qua, & per quam fidei perfectio conſtat. Vtraque enim ad æternam ſalutem eſt neceſſaria. Sed quia oportet nos & rectè credere, & benè viuere, (vnum enim ſine altero nihil perfectionis habet) ideo multa verba orationi congrua addita ſunt. Dicta mea, dicta ſunt Patrum. Sic iſta quæ dicimus lege, vt putes te Patrum verba relegere.

THEOLOGICAE CONFESSIONIS

PARS SECVNDA.

HVc vsque omnipotens Deus trinitas, cordis mei inspector & scrutator, confessus sum omnipotentiam maiestatis tuæ, & maiestatē omnipotentiæ tuæ. Nunc autem qualiter humano generi in fine seculorum subuenire dignatus es, sicut corde credo ad iustitiam, ita ore coram te confiteor ad salutem. Tu quidem pater Deus, solus nusquam legeris missus: de Filio autem tuo ita scribit Apostol⁹. Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Cùm dicit, misit, satis ostendit quòd in hunc mundum missus aduenit, cùm de Maria semper virgine natus, verus & perfectus homo in carne apparuit. Sed quid est, quod de illo præcipuus euangelistarum ait: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Illuc ergo missus est per humanitatem, vbi semper fuit, & est per diuinitatem. Quam videlicet missionē, opus esse totius S. Trinitatis, & corde credo, & ore confiteor.

Medit. c. 13. *Gal. 4.* *Ioan. 1.*

CAPVT II.

Cõfeſ. 10 cap. 43.

QVomodo nos amaſti paſtor bone: quantum nos dilexiſti pie cõditor, qui etiam proprio filio tuo non pepercisti, ſed pro nobis impijs tradidiſti illũ. Subditus ille tibi vſq; ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum noſtrorum: & affigẽs illud cruci, peccatum crucifixit, & mortem. Vnus ille factus eſt inter mortuos liber: poteſtatem habens ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. Pro nobis tibi victor, & victima: & ideo victor, quia victima. Pro nobis tibi ſacerdos & ſacrificium: & ideò ſacerdos, quia ſacrificium. Meritò mihi ſpes valida in illo eſt, quòd ſanabis omnes languores meos per eum, qui ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. Languores quippè mei Domine multi ſunt, & magni: magni ſunt, & multi: ſed maior & amplior eſt medicina tua. Scio & fateor, quia multa in me habet princeps huius mundi. Sed rogo te pijſſime Domine, libera me per ſedentem ad dexteram tuam redemptorem noſtrum, in quo nihil ſuum potuit inuenire. Per ipſum me iuſtifica obſecro, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Per ipſum

caput

caput nostrum, in quo nulla est macula, libera me membrum eius licèt exiguum & infirmum, libera quæso à peccatis & vitijs, culpis, & negligentijs meis, & reple me tuis sanctis virtutibus, & fac me bonis pollere moribus, & fac me in sanctis perseuerare operibus vsque in finem secundùm tuam voluntatem.

CAPVT III.

Medit. cap 14.

DEsperare vtique potuissem, propter nimia peccata & vitia, culpas & infinitas negligentias meas, quæ egi, & quotidie indesinenter ago, corde, ore, opere, & omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare potest: nisi verbum tuum Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare iam non audeo, quia cùm inimici essemus, reconciliati, quanto magis nunc salui facti ab ira per eum? Omnis namque spes, omnisque fiducia est mihi in precioso sanguine eius, qui effusus est propter nos & nostram salutem. In ipso autem respiro. In ipso cõfisus, ad te peruenire desidero, non habens meam iustitiam, sed eam, quæ est ex filio tuo Deo & Domino nostro Iesu Christo.

CAPVT IV.

VNde clementissime & benignissime amator hominum Deus, qui per Iesum filium tuum Dominum nostrum, & cùm non essemus, potenter fecisti nos: & cùm perditi fuissemus culpa nostra, pietate, ac bonitate tua mirabiliter recuperasti nos: gratias ago pietati & bonitati tuæ, & multas tibi gratias refero ex totis præcordijs meis, qui propter tuam inenarrabilem dilectionem, qua nos miseros & indignos gratuitò amare dignatus es, misisti eundem vnigenitū tuum de sinu tuo ad publicum nostrum saluare nos peccatores, tunc filios iræ, filios perditionis. Gratias tibi ago pro sancta incarnatione & natiuitate eius, atque gloriosa genitrice eius, Domina mea, cuius patrocinio multum me confido adiuuari apud tuam misericordiā. Gratias tibi ago pro passione & cruce eius, pro morte & resurrectione eius, pro ascensione eius in cœlum, & sede maiestatis eius ad dexteram tuam. Gratias tibi ago pro vniuersis documentis & operibus eius, quorum exemplo instruimur & informamur ad agendam sanctam & rectissimam vitam. Gratias tibi ago pro illa sacratissima effusione pretiosi san-

Medit.c. 16.

guinis

guinis eius, quo sumus redempti: simul & pro sacrosancto, & viuifico mysterio Corporis & Sanguinis eius: quo quotidie in Ecclesia tua sancta pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, atque vnius summæ diuinitatis participes efficimur. Gratias tibi ago pro infinita tua misericordia Domine Deus noster, pro omnibus miserationib. tuis, quib. mirabiliter nobis perditis subuenire dignatus es, per eundem filium tuum Saluatorem & recuperatorem nostrum, qui mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter viuificationem nostram. Et nunc viuens sine fine, sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis miseris bonus pastor, & verus sacerdos, compatiens fideli gregi, quem acquisiuit sanguine suo: atque simul tecum miseretur, quia Deus est ex te Patre coæternus & consubstantialis tibi per omnia: vnde potest nos saluare in perpetuum sicu Deus, sicut omnipotēs. Sed secundum id, quod homo est, ex qua parte minor te est, data est ei à te omnis potestas in cœlo, & in terra, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur,

quia Dominus Iesus est in gloria tua De⁹ pater. Ipse verò constitutus est à te iudex viuorum & mortuorum. Tu autem non iudicas quenquam, sed omne iudicium dedisti filio: in cuius pectore reconditi sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ: vt æquissimus & verissimus sit testis & iudex, iudex & testis, quem nulla peccatrix conscientia effugere possit.

CAPVT V.

VErè Domine, & absque vlla dubietate, viuus est sermo tuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem spiritus & animæ, compagum quoque, & medullarum, discretor cogitationum & intentionum cordis. Nulla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia nuda & aperta sunt oculis eius: & ideò horrendum est incidere in manus Dei viuentis, qui scrutatur corda & renes, qui reddet vnicuique iuxta opera sua, Deus iudex iustus venturus cum potestate magna & maiestate ad iudicandum viuos & mortuos. Ad cuius tremendum examen vix iustus saluabitur: & ego miserrim⁹ quid ero facturus, quidue dicturus, cùm ante tribunal eius fuero præsentatus, qui omnia

Deus videt omnia.

nia eius ferè præcepta ſum tranſgreſſus?

CAPVT VI.

SEd rogo te clementiſſime pater Deus, per ipſum æternum iudicem, per ipſam peccatorum propitiationem, da mihi cordis contritionem & lachrymarum fontem, vt pro vulneribus animæ meæ indeſinenter diebus ac noctibus defleã, donec tempus eſt acceptabile, & donec dies sũt ſalutis: ne iniquitas mea multa, & peccata mea innumerabilia, quæ nũc celata ſunt, in die illo tremendi examinis appareant coram ſpectantibus angelis & archangelis, prophetis & Apoſtolis ſanctis, & omnib. iuſtis. Miſerere mei Domine, miſerere mei, ne perdas me cũ peccatis, vitijs, culpis, & negligentijs meis: tu qui non vis mortem peccatoris, ſed vt cõuertatur & viuat. Miſerere mei, ne reſerues mala mea punienda in illa futura vita, in illis infernalibus ſupplicijs, & in illo tremendo examine: ſed in præſenti vita puni ea, quomodo & quãtum tibi placet. Ecce in manu tua ſum, fac de me, quod tibi videtur.

CAPVT VII.

FAc me pro pietate & bonitate tua plenè & perfectè, antequam moriar, pœnitere & plangere omnia peccata mea, quæcunque egi contra voluntatē tuam à puero & cunabulis meis, corde, ore, opere: & excoque scoriam peccatorū meorū ad purum modis, quibus tibi videtur, ordine, quo tibi placet. Scis omnia, potes omnia. Per omnipotentem & pijssimam bonitatem tuam, qua iustificas impios, te rogo, fac me diem illum terribilem habere semper præ oculis, & amarissimè pro peccatis meis quotidie flere, vt in illa hora tremenda inueniam misericordiam in conspectu ipsius æterni iudicis, & videam faciem eius cum multa lætitia & securitate, collocatus ad dexteram cum sanctis omnibus, propter tuam multam misericordiam & bonitatem.

CAPVT VIII.

IPsum autem Dominum Iesum Christum habemus aduocatum apud te: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: & ideò non sæuum hominem, non crudelem tyrannum, habemus iudicem, sed pium Dominum, qui nostris bene no-

uit compati infirmitatibus. Si enim coæternus tibi filius homo non fieret, peccator homo non auderet polluta labia ad te aperire. Dat ausum loquendi Christus Dominus, quem habemus sacerdotem in cœlis pro nobis interpellãtem. In huius aduocati nostri allegatione confido, in eius misericordia spero: Ipse Deus, ipse homo. Hæc est spes mea & ideo tanta & talia dico. Ipse recõciliet obsecro, ipse absoluat

CAPVT IX.

BEnedico itaque nomen tuum sanctũ, & glorifico ex toto corde meo Domine Deus noster, pro hac mirabili & enarrabili coniunctione diuinitatis ac humanitatis in vnitate personæ, vt non alter Deus, alter homo, sed vnus idemq; Deus homo, homo Deus: vnus filius tu⁹ Dominus noster Iesus Christus esset idem ipse verus & perfectus Deus, verus & perfectus homo. Sed licet mirabili dignatione verbum caro factum sit, neutra tamen ex duabus naturis in aliam mutata est substantiam. Trinitatis mysterio quarta non est addita persona. Vnita quippe est, non confusa, verbi Dei hominisque substantia, vt in Deum, Medit. 6. 16.

quod

quod ex nobis susceptum fuerat, perueniret: & illud quod nunquam non fuerat, idem semper quod fuerat, permaneret.

CAPVT X.

Medit. cap. 16. O mirabile mysterium. O inenarrabile commercium. O mira semperque amanda diuinæ propitiationis benignitas. Serui digni non fuimus, & ecce filij Dei facti sumus: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Vnde hoc nobis? & quid nos ad hæc? Sed rogo te clementissime Pater Deus, per ipsum summum sacerdotem & verum pontificem, qui se tibi obtulit in sacrificium, ponens animam suam pro grege suo bonus pastor, per ipsum bonitati & pietati tuæ supplico, ne permittas nos ingratos tãtis beneficijs esse. Omnia .n. tibi sunt possibilia, & nõ est qui possit resistere voluntati tuæ. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu solus? Tu es Deus omnipotens, qui iustificas impios, & viuificas mortuos, & mutas peccatores, & non sunt. Tibi soli possibile est suscitare filios Abrahæ de duris lapidibus.

CAPVT XI.

Tu

TV Domine Deus noster, à quo cuncta bona procedunt, tu infunde cœlitus cordibus nostris spiritum sanctum tuum paracletum, & fac nos tanti mysterij intelligere & reuereri arcanum. Tu fac nos celsitudinem tantæ dignitatis obtinere pijs actibus, & bonis moribus: Tu fac nos Christi Flij tui Domini nostri vestigia semper imitari. In omni humilitate, patiētia, charitate, castitate, simplicitate, innocentia, & puritate, simulq; in cunctis sanctis virtutibus, quæ tibi placent. Tu da nobis perseuerantem in tua volūtate famulatum: & da nobis bona tua, quę præparasti diligentibus te: vt ad ipsius capitis nostri, cuius sumus membra, per gratiam tuam tandem peruenire mereamur consortium: sicut ipse polliceri dignatus est, dicens: Pater, volo quos dedisti mihi, sint mecum, vt videant claritatem meam, quam habui apud te ante constitutionem mundi. Et alibi: Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic minister meus erit. O pietas, ô charitas, ô mirabilis dignatio. Quæ maior potest dari gloria, quā vt ibi seruus sit, vbi est Dominus? Quàm vt seruus regnet cū Domino? Quid tibi retribuere possumus Deus noster pro tantis bene-

Ioan. 17.

beneficijs misericordiæ tuæ? Quas laudes? Quasue gratiarum actiones? Etiam si illa beatorum angelorum scientia & potentia esset nobis, nihil tamen dignũ tanta pietate compensare valeremus. Si omnia membra corporis nostri verterẽtur in linguas ad rependendas tibi debitas laudes, non tamen sufficere posset exiguitas nostra. Supereminet enim omni scientiæ tua inæstimabilis charitas, quam ostendisti in nobis pro sola pietate & bonitate tua. Filius namque tuus, rex noster, nusquam angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, assimilatus nobis per omnia absque peccato. Humanam itaque, non angelicam suscipiens naturam, & eam munere sanctæ resurrectionis & immortalitatis glorificans vexit super omnes cœlos, & super omnes choros angelorum, super Cherubin & Seraphin, collocans ad dexteram tuã. Hunc laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cœli cœlorũque virtutes, ac beata Seraphin socia exultatione concelebrant.

CAPVT XII.

HAEc mihi omnis spes, omnisque fiducia. Est enim in illo Christi homine vniuscuiusque nostrum & portio, & san-

ſanguis,& caro. Vbi ergo portio mea regnat,regnare me credo. Vbi ſanguis meus dominatur, dominari me ſentio. Vbi caro mea glorificatur, glorioſum me eſſe cognoſco. Quamuis peccator ſim, de hac tamen communione gratiæ non diffido:& ſi peccata me prohibent, ſubſtantia me requirit:& ſi delicta propria me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis eſt Dominus, vt obliuiſcatur hominis, nō meminerit ipſius, quem ipſe geſtat, vt quem mei cauſa ſuſceperit, eius cauſa me non requirat. Non enim tam immitis eſt Dominus, vt non diligat carnē ſuam, membra ſua, viſcera ſua. In ipſo Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto, in quo iam reſurreximus, iam reuiximus, iam ad cœlum conſcendimus, iā in cœleſtibus conſedemus: caro noſtra nos diligit. Habemus prærogatiuam ſanguinis noſtri in ipſo. Sumus quidem mebra eius, caro eius. Ipſe verò caput noſtū, ſicut ſcriptum eſt: Os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, &: Erunt duo in carne vna, &: Nemo vnquam carnem ſuam odio habet, ſed fouet & amplectitur eam. Exulto, lætor, gratias ago, gratias ago labijs, & corde, & omni qua valeo virtute.

Medit. c. 15. *Geneſ. 2.* *Epheſ. 5.*

CA-

CAPVT XIII.

OMnipotens Deus, qui adeò diues in misericordia es, vt propter nimiam charitatem tuam, qua nos dilexisti, cùm essemus mortui delictis, conuiuificares nos Christo, cui⁹ gratia salui facti sum⁹: rogo te per hāc inæstimabilē pietatem, bonitatem & charitatē tuā, ne sinas nos esse indignos tātis miserationibus. Māda virtutē tuam obsecro, & confirma hoc, quod operatus es in nobis. Perfice quod cœpisti, vt ad plenam pietatis tuæ gratiam peruenire mereamur. Fac nos per Spiritum sanctum tuum, & intelligere, & reuereri, atque debito semper honore venerari hoc magnum pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu: apparuit angelis, prædicatum est gentibus: creditum est in mundo: assumptum est in gloria.

Medit. c. 19.

CAPVT XIV.

Medit. c. 17.

O Quantum tibi sumus debitores Domine Deus noster, tanti redempti precio, tanto saluati mysterio, tanto gratis adiuti beneficio? Quantum à nobis miseris es timendus & amandus, hono-

honorandus & reuerendus, laudandus & benedicendus, qui nos ſic amaſti & ſaluaſti, ſic ſignificaſti & ſublimaſti? Quis dicere, quis cogitare ſufficiat? Tibi nempe debemus omne quod poſſumus, omne quod ſapimus, & omne quod viuimus. Sed quis habet quicquam non tuum? Tu Domine Deus noſter, à quo cuncta bona procedunt: tu da nobis de bonis tuis propter te, & nomen tuum ſanctum, quod inuocatum eſt ſuper nos: vt de tuis donis ac datis tibi ſeruiamus & placeamus, atque debitas quotidie rependamus laudes pro tantis beneficijs miſericordiæ tuæ. Non enim aliunde poſſumus tibi placere, neque ſeruire, niſi de tuo munere. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à te patre luminum: apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.

CAPVT XV.

IDeirco ego vltimus ſeruorum tuorũ, nõ immemor beneficiorum tuæ erga exiguitatem meam gratuitæ munificẽtiæ gratias tibi ago, qui me indignum pro tua ſola clementia per aquam ſacri baptiſmatis, & renouationem ſancti ſpiritus ab originalibus vinculis expediſti. & in

& inter adoptionis filios aggregasti. Qui mihi rectam fidem donasti, & eam in me semper augere dignatus es per illuminationem gratiæ tuæ, & per prædicationem matris Ecclesiæ. Gratias tibi ago, qui me vas vacuum, & inutilem idiotã replesti scientia & intelligentia, & dedisti tantam tui nominis cognitionem. Gratias tibi ago, qui me à vano huius mundi consortio separasti, & das mihi seruorum tuorum charitate & societate perfruendas mihi salutem & quietem corporis & animæ, & oportunam ad tuũ sanctum seruitium vocationem, liberãs me à vanissimis istius sæculi implicationibus ad profectum animæ propter solam misericordiam tuam. Gratias tibi ago immensa pietas Deus, qui me à puero per vniuersa penè decurrentem vitia benignè ac patienter adhuc ad pœnitẽtiam expectas, nolens me perdere cum peccatis, vitijs, culpis, & neglıgẽtijs meis. Si enim mihi secundùm peccata mea Domine facere voluisses, olim me viuũ terra absorbere debuisset.

CAPVT XVI.

SEd rogo, ne tua in me tanta expectatio sit vacua, sit, quod absit, infructuosa. Sicut desidero, & tota mea

mente peto, da mihi locum & ſpacium, & fructus dignos pœnitentiæ, vt paratiſſimũ me inueniat vocatio tua in die exitus mei, agentem pœnitentiam veram in cinere & cilicio propter omnia, quæ tibi diſplicuerunt in me. Tu es Deus omnipotens infinitæ miſericordiæ, & bonitatis immẽſæ, qui multas animas peccatrices, quæ etiam erant ſine vllis bonis operibus, gratis iuſtificaſti, mirabiliter coronaſti. Non abneges mihi, quæſo, vni, quod plurimis conferre dignatus es. Non confundatur obſecro anima ſerui tui ſperans in te, expectans te. Quis vnquam ſperauit in te, & confuſus eſt? Tu es Deus omnipotens, & clemens, qui cõfidentes in tua miſericordia nunquam conſueuiſti relinquere. Tu Deus meus, vna ſpes mea, & prægrandis miſericordia mea, fida & certa expectatio mea. Tu oſtende pietatem tuam in me propter honorem & gloriam nominis tui; vt videant, qui me oderunt, & confundantur, quoniam tu Domine adiuuiſti me, & cõſolatus es me: & dicant, qui diligunt te:

Hæc eſt mutatio, hæc eſt alleuatio dexteræ excelſi.

Amen.

CAPVT XVII.

GRatias tibi ago pijſſime Deus, qui me de multis anguſtijs, tribulationibus, calamitatibus, miſerijs & infirmitatibus, de multis foueis, laqueis, & peccatis, de multis inſidijs viſibilium & inuiſibilium inimicorum, de multis malis opprobrijs & aduerſitatibus corporis & animæ hactenus liberare dignatus eſt, dirigens miſericorditer & mirabiliter vitam meam inter aduerſa & proſpera, ita vt nec aduerſa me valde deijcerent, nec proſpera eleuarent. Poſuiſti enim pro pietate & bonitate frenum tuum in maxillis meis, & non me dereliquiſti penitus in manu arbitrij mei, habens curã mei paterna pietate, & non permittẽs me ampliùs tentari, & ſupra id quod potuerim ſuſtinere. Vbi erat locus peccandi, non fuit voluntas: & quando voluntas erat, non fuit locus. Sit itaque tibi laus, ſit benedictio, ſit gratiarum actio pie Domine pro vniuerſis tuis donis, ac datis, & pro omnibus beneficijs tuis, quę animæ meæ & corpori meo largiris, & ſemper largitus es à puero & à cunabulis meis pro pietate & bonitate tua nullis meis meritis.

CA-

CAPVT XVIII.

SEd rogo clementiſſime, ne ſinas me eſſe ingratum tantis beneficijs, & indignum tam multis miſerationibus. Nō mihi, non diabolo, non mundo, non alicui rerum, non alicui hominum liceat in me tua tanta dona ſubuertere: quia totū fragile eſt, quicquid tibi nititur obuiare. Pone Domine, pone quæſo, pone magis magiſque frenum tuum in maxillis meis, & trahe me poſt te tanquā manſuetum animal, in nullo tuis iuſſionibus & voluntatibus recalcitrantem, ſed plano moderatoque inceſſu te Dominum meum portantem, & præceptis tuis in omnibus obtemperantem. Excita Domine, excita quæſo, excita ſemper & vbique torporem meum tuis ſtimulis, & fac me toto corde, tota anima, totis viribus exquirere faciem tuam cunctis diebus vitæ meæ. Miſerere mei. Attrahe me ad te virtute omnipotentiæ tuæ, & non ſinas me propria voluntate vel libero arbitrio euagari. Imaginem tuam in me non ſinas obſcurari: quæ ſi te præſtante defendatur, ſemper egregia, ſemper nobilis, ſemper perſpicua eſt. Propter te, & nomen tuum ſanctum adauge in me ſemper fidem, fidem re-

ctam, fidē sanctā, fidē immaculatam, fidem apostolicam, fidem catholicam, fidem orthodoxam, fidem inuictissimam, fidem feruentissimam, fidem prudētissimam, fidem bonis omnibus cunctisque virtutibus adornatā: quæ in me omne, quod tibi placet, per dilectionem humilitatemque operetur, & quæ nequeat vinci inter verba altercationis in tempore persecutionis, vel in die necessitatis. Rogo te in nomine benedicti filij tui, in quo benedixisti nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, fac me per gratiam tuam semper, & in fide stabilem, & in opere efficacem: vt fidem tuam, quam lingua mea loquitur, pijs quoque actibus & bonis moribus vita semper fateatur.

CAPVT XIX.

PEr ipsam medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedet ad dexteram tuam, atque interpellat pro nobis, pietati bonitatique tuæ supplico, indue me vestem illam pretiosam non habentem maculam, neque rugam, ne vnquam nudus appaream coram oculis tuis. Indue obsecro me hanc vestem nuptialem, sanctam videlicet charitatem, vt diligam te Dominum

Deum

Deum meum ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex totis viribus meis, & omni intentione mea, cum multa cordis contritione, & lachrymarum fonte, cum multa reuerentia & tremore, habens te in corde & ore, & præ oculis meis ſemper & vbique. Da mihi cor contritum, cor purum, cor ſyncerum, cor deuotum, cor caſtum, cor ſobrium, cor mite, cor manſuetum, cor tranquillum, cor ſereniſſimum, cor tui deſiderio plenum, cor prouidum ad omnia, & diſcretum in cunctis, cor ſimplex, & nihil mali ſentiens de fratribus, cor compatiens alienis doloribus & miſerijs, cor cōgaudens aliorū bonis & virtutibus, vt poſſim flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus. Da mihi mētem tam ſimplicem, tamque mitem, vt de iniurijs fratrum doleam, de meis verò gaudeam: vt de laudibus eorum exultē, de meis autem contriſter. Da mihi Domine cor mitiſſimum, & tantæ manſuetudinis plenum, vt à ſeruis tuis ſenioribus meis nūquam timeri quæram vel amari pro te. Verbum tuum timeatur, & ametur. Propter te ament & reuereantur me: & te laudent, cùm aliquid boni ex dono tuo viderint in me. Abſcinde à me

omnipotens omnem appetitum inanis gloriæ, & omnem fastũ superbiæ, vt cor meũ de bonis tuis nũquã eleu tur super fratres meos. Rogo te in nomine dilecti filij tui, da mihi patientiam inuictissimã & benignam in omnibus: indeficientem & constantem sufferentiam in cunctis: vt mala proximorum æquanimiter perferam: vt infirmitates corporum & animarum fratrum, cum quibus viuo, patientissimè sustineam: vt amicos in te, & inimicos propter te ex corde in veritate diligam. Da mihi cor molle, cor pium, cor adeò tenerum, vt alienos in me sentiam dolores, laboribusque valde compatiar. Præsta Domine, vt famulum tuũ abbatem meum, & omnes seniores fratresque meos sincera & humili charitate semper diligam, malis & peccatis atque aduersitatibus eorum ex corde condoleam, bonis & virtutibus, atque profectibus eorum ex corde congaudeam, amori tuo nunquam aliquid pręponam, sed te in omnibus & super omnia diligã. Da mihi veram humilitatem & obediẽtiam, veram subiectionem atque mortificationẽ, vt liberum arbitriũ non viuat in me, neque propria voluntas ducat me. Da mihi simplicitatem, innocentiã

&

& puritatem cordis: ſtabilitatem, conſtã-tiam, & integritatem mentis: iugem cu-ſtodiam cordis atque oris: vt nullum dã-nem, aut reſpuam: de nullius meritis dif-fidam: nulli malum reddam pro malo: ſed ambulem in ſimplicitate cordis mei coram te ſemper. Fac me tibi in veritate ſeruire, & in veritate placere.

CAPVT XX.

MOnet Apoſtolus: Induimini Ieſum Chriſtum. Hanc veſtem pretioſam indui optat anima mea. Sed quid eſt induere Dominũ Ieſũ Chriſtũ, niſi am-bulare, ſicut ipſe ambulauit? Da mihi sẽ-per & rectè credere, & benè viuere, & multa ſcire. Per fidem credimus: per cha-ritatem benè viuimus: per ſapientiam multa ſcimus. Per ipſum Filium tuum Dominum noſtrum, in cuius pectore reconditi ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ, regem virtutum, & om-nium bonorum operum authorem, ob-ſecro, & ſuppliciter rogo, indue me exi-guum ſeruorum tuorum hanc tripli-cem totius fortitudinis loricam, ante & retro, ſuprà & infrà, intus & foris, & cir-cum circa, ita vt nullus in me pateat lo-cus inſidijs inimicorum. Et vt hanc ve- Rom. 13.

ſtem incorruptam, & incontaminatam, & impollutam meliùs valeam cōſeruare, da mihi ſecretum quietis, & opportunæ ſemper ad te vocationis. Libera me ab hoc maligno ſeculo, & non permittas me famulum tuum vlla occaſione implicari in eo. Fac me omnimodis remotum eſſe ab eo, & mente & corpore, & corpore & mente: vt tibi ſoli Domino meo totus valeam adhærere, ſcilicet vt ſine vllo huius mundi ſtrepitu, & ſine vllo cauſarum tumultu benedicat tibi anima mea, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto tuo: ſimulque omnia oſſa mea, cunctaque corporis mei membra in tuo occupata ſeruitio clament & dicant: Domine quis ſimilis tui? quatenus pari voto, & vno conſenſu, quantum poſſibile eſt impræſentiarum, cor meum & caro mea exultent in Deū viuum & verum, te laudantes & benedicentes, tibi inhiantes & ſuſpirantes, te eſurientes & ſitientes. Tu Domine Deus noſter feciſti nos ad laudandum te, ad ſeruiendum tibi: non quòd noſtrorum bonorum, vel noſtræ laudationis tu indigeas, cùm ipſe tibi ſis ſufficiens, ſed vt nos tuis vacantes laudibus in tuo ſemper creſcamus deſiderio, & coram te

gratiam

gratiam propensiùs inueniamus, dum debitum tuæ maiestati reddimus famulatum. Reple ergo os meum laude tua, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Tu dixisti: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Ecce Domine os serui tui apertum est. Imple illud de bonis tuis, vt benedicam te in omni tempore, & laus tua non recedat ex ore meo nocte ac die, cum multa cordis contritione, & lachrymarum fonte, cũ multa reuerentia & tremore.

CAPVT XXI.

SEd quia non est pulchra laus in ore peccatoris, & quia vir pollutus labijs ego sum, munda rogo os meum ab omni reatu, & sanctifica sanctificator omnipotens labia mea, abluens ea cœlesti rore benedictionis tuæ: atque fac me dignum laudibus tuis. Deus meus, vita mea, dulcis cibus cordis mei, dignare me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore, vt cor meum meditetur eloquia tua, & lingua mea cantet gloriam tuam. Et vt hoc purius & deuotius agere possim, da mihi luctum, & quietem, vt fugiam, taceam, & quiescam, &

& pro vulneribus animæ meæ nocte & die pœnitentiam faciam. Rogo te per filium tuum, vt ex dono misericordiæ tuę oriatur in corde meo irriguus fons lachrymarum in ablutionem peccatricis animæ sufficienter fluens. Non est enim inualida manus tua ad perficiendum quæcunque velis. Omnia quæ sunt, dixisti, & facta sunt: mandasti, & creata sunt. Cur ergo moraris? Cur differs? Veni Domine, & noli tardare. Scinde duritiam cordis mei, vt emanet fons iste, eius desiderio nimis æstuat anima mea. Da mihi irriguum inferius, & irriguum superius. Da benedictionem de rore cœli, & de pinguedine terræ, vt lachrymæ meæ fiant mihi panis die ac nocte.

CAPVT XXII.

Libera à iurgijs & contētionibus, quas ibi patitur misera mens, vbi est litigans hominum multitudo: & da mihi partem illam optimam, quam Maria elegit, & quam ego ipse elegi olim & prælegi per inspirationem gratiæ tuæ, vt à cunctis absolutus curis, liber ad pedes Domini mei Iesu Christi sedeam, & intentè audiam, quid cœlestis sapientia doceat. Hæc etenim non discitur, nisi in tempore fructuosi otij, sicut scriptū

est:

est. Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit, & duas curas inesse humano pectori difficile est. Non potestis Deo seruire, & mammonæ, ait ipsa per se veritas. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est reggno cœlorum. Verũ itaq; est, quia nemo Deum & seculum, virtutes & diuitias simul potest habere. Si quis diligit mundum, non est charitas tua Deus in eo. Ipse Deꝰ est, & Dominꝰ noster Iesus Christus filius tuus docuit verbo & exemplo confusam mundi multitudinem fugere, & dulces recessus petere pro oportuna ad te vocatione. Ipse qui nullo solitudinis beneficio indiguit, cui humana conuersatio nil nocere potuit, ipse secedens in desertum, & remotiora loca petens, atque solus pernoctans in oratione, suo vtique euidenter instruxit documento, quid nos miseri, & multum fragiles, ac per hoc ad peccandum procliui, facere debeamus. Licèt nusquam tutus absque te inueniatur locus, & vbi salus præter te Domine, quando nec cœlum superbienti angelo, nec paradisus peccanti homini prodesse potuerit? tamen quia ad virtutes difficile consurgimus, ad vitia sine

labore labimur, propter corp⁹, quod corrūpitur & aggrauat animā: ideo secreta habitatio, quies & silētiū, si tuo adiuuetur auxilio, magnam animæ puritatem operatur. Non sine causa, neque simpliciter à veritate dictum accipimus, quod scriptū in sanctis euangelijs inuenimus: Si quis non abrenunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

CAPVT XXIII.

IPse autem magister & Dominus noster omnia in humana carne ad nostrā doctrinam fecit & docuit. O ineffabilia diuinæ misericordiæ viscera. O pietas immensa, omni admiratione dignissima. Vt liberares seruum, tradidisti filiū. Fact⁹ est homo Deus, vt liberaretur ei⁹. Incarnata est sapientia, vt erudiretur hominis insipientia. Benedico nomen tuum sanctum, & gratias tibi ago ex toto corde meo, qui ad instruendam ignorantiam nostram cœlitus mittere dignatus es magistrum illuminatorem, & pium doctorem, qui doceret nos omnē veritatem, & ostenderet nobis viam humilitatis, & charitatis, omniumque virtutum.

tutum. Venit enim & instruxit nos verbo & exemplo præsentem vitam fugere, futuram toto corde quærere, gloriam mundi spernere, vitijs resistere, diabolū conculcare, bonis operibus insudare, supernis desiderijs inhiare, tibique Domino soli omni deuotione seruire.

CAPVT XXIV.

GRatias tibi ago, qui sic dilexisti mūdum, vt vnigenitum tuum dares, vt omnis, qui credit in illū, non pereat, sed habeat vitam æternā. Gratias tibi ago indulgentissime Domine, qui misisti pastorem magnum, vt requireret ouem, quæ perierat. Quæsiuit enim humilis & pius pastor errantem, & inuenit eam, atque humeris suis reportauit ad caulas. Gratias tibi ago gloriose Deus noster, qui misisti bellatorē fortissimū ad debellandas aërias potestates, & principem earum, hostem nequissimum, tenētem mortis imperium. Venit enim fortior, & alligauit fortem, auferens arma eius, in quibus confidebat, & spolia vniuersa distribuens confregit mortis aculeum, atque rhomphæam illam igneā ab introitu paradisi remouens, patefecit credentibus regna cœlorum. Gratias tibi ago omnipotens & misericors pater,

qui demisisti angularem lapidem, vt duos aduersos in se cōiungeret parietes. Venit enim mitissimus Dominus homo inter homines apparens: & tanquā mansuetus agnus ad occisionem ductus; factus tibi obediens vsque ad mortē: mortem autem crucis, dissoluit inimicitias in carne sua, & pacificauit omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, per sanguinē suum. Gratias tibi ago clementissime & benignissime amator hominum Deus, qui matrem Ecclesiam elegisti in Christo ante mundi constitutionem, vt esset sancta & immaculata in conspectu tuo in charitate. Hanc autem gloriosam ecclesiam non habentem maculam, neque rugā (inde enim lota, vnde empta) mulierem fortem, omnibus pretiosis monilibus ornatam, & pulcherrimam sponsam, in fimbrijs aureis, circumamictam varietatibus, copulauit sibi Christus Dominus cœlestis sponsus, & dignatus est eam habere vxorem. Gratias tibi ago benedicte & amabilis conditor noster, qui prædestinasti nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum dilectum filiū tuum: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius secundùm diuitias gratiæ tuæ, & in quo credentes signati

sumus

ſumus ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in redemtionem acquiſitionis ad laudem gloriæ tuæ. Gratias tibi ago pie Domine, qui regeneraſti nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti filij tui, ſuſcitãs illum à mortuis, & conſtituens illũm ad dexteram tuam in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationẽ, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: & omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: & ipſum dediſti caput ſupra omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Gratias tibi ago ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui filium tuum factorem omnium, & carnem ſumere, & crucem ſubire pro noſtra feciſti ſalute. Venit enim propter nos in vterum virginis. Ibi pro nobis factus eſt homo, ſumpta eſt ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis ſacrificium corpus ſuum: exhibuit pro peccatoribus victimam ſine peccato, quæ & humanitate mori & iuſtitia mundare poſſet.

CAPVT XXV.

SEd & sacramenta incarnationis, crucis, mortis, sepulturæ, resurrectionis, & in cœlum ascensionis, simulque Corporis ac Sanguinis eius, tanta & talia sunt, vt nullius linguæ laudibus, sed nec intellectu cuiusquam prudentium sanctorumque virorum dignè valeant explicari vel concipi. Natus igitur est ex vi gine, vt nos renasceremur ecclesiæ virginis vtero. Circuncisus est, vt vitia carnis ac spiritus in expoliatione veteris hominis circunciderentur in nobis. Præsentatus est in templo, vt nos tibi per eũ mundi & sanctificati repræsentaremur. Baptizatus est, vt crimina nostra abluerentur. Pauper pro nobis factus est, vt nos diuites faceret. Infirmatus est, vt nos fortes efficeret. Tentatus est, vt nos à tẽtatione diaboli defensaret. Tentus est, vt nos dimitteremur de subiugo dæmoniacæ seruitutis. Captus est, vt nos de manu hostis captiuos auferret. Vænundatus est, vt nos suo sanguine compararet. Expoliatus est, vt nos stola immortalitatis indueret. Irrisus est, vt nos ab irrisione dæmonum tolleret. Spinis coronatus est, vt spinas ac tribulos primæ maledictionis prorsus de nobis euelleret.

Humi-

Humiliat⁹ est, vt nos exaltaret. Exaltat⁹ in cruce est, vt nos ad se traheret. Felle potatus est & aceto, vt nos faceret in terram perennis lætitiæ intrare. Sacrificatus est in ara crucis agnus immaculatus, vt peccata mundi tolleret. Pro his omnibus tibi gratias ago, & magnifico nomẽ tuum Pater sancte, cuius prouidentiæ mira dispensatióne actum est, vt librũ, quem nemo poterat aperire, solus leo de tribu Iuda solueret & aperiret. Glorifico te reuerenda potestas Deus omnipotens, qui notum fecisti nobis hoc magnum voluntatis tuæ mysterium, quo propósuisti instaurare omnia in Christo, & illuminasti oculos cordis nostri per spiritum tuum, vt sciamus, quæ sit spes vocationis nostræ, & quæ sint diuitiæ gloriæ hæreditatis in sanctis: atque fecisti nos tibi genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acceptabilem, & sectatorem bonorum operum in ipso, & per ipsum Deũ & Dominũ nostrum Iesum Christum filium tuum, qui venit euangelizare pacem, his qui propè erãt, ac his qui longè. Ipse autem est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Per eius sanguinem habemus accessum ad te, ambo in vno spiritu.

CA-

CAPVT XXVI.

TIbi regi ſeculorum immortali & inuiſibili ſit benedictio, & claritas, & gratiarũ actio, honor, virtus, & poteſtas Deo noſtro pro tua hac mira & inenarrabili charitate, qua nos ſic amaſti, ſic ſaluaſti, per vnigenitum tuum redemptorem noſtrum: qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit, atque aſcendens ſuper omnes cœlos, de ſtatuto Spiritum ſanctum promiſſum tuum in filios adoptionis effudit: vt homini non ſolùm paradiſum, quem amiſerat, reſtitueret, verùm etiam cœlorum ianuam aperiret. Sedetque nũc ad dexteram tuam interpellans pro nobis, ſimulque precibus fidelium annuẽs Pontifex, & rex noſter, manente ea natura carnis, in qua natus eſt & paſſus, in qua etiam reſurrexit. Non enim exinanita eſt in humanitatis ſubſtantia, ſed glorificata, & in æternum cum diuinitate manſura. Accepta inſuper à te Domine omnium poteſtate, quæ in cœlo ſunt, & quę in terra, venturus eſt ad iudicium viuorum & mortuorum, vt & iuſtos remuneret, & puniat peccatores. Hoc ore confiteor, hoc corde credo, & pro hoc tibi gratias ago. Benedico ergo nomen

tuum

tuum sanctum, & ex tota mente mea te Domini nostri Iesu Christi patrem, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, laudo atque glorifico, qui me miserum & indignissimum pro sola pietate & bonitate tua, voluisti fieri mēbrum eiusdem veri pontificis, & summi sacerdotis, æterni regis, Dei & Domini nostri Iesu Christi filij tui, nulla vnquā hæretica prauitate, nullis maleficijs diabolicarum adinuentionum, magicarum scilicet artium, infectum vel deprauatū, protegente me semper & custodiente vbique gratia tua.

CAPVT XXVII.

SEd quia ipse tuus vnicus natus dixit: Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum, & : Nemo venit ad Patrem, nisi per me: vt perficiatur in me cœptum opus misericordiæ tuæ, obsecro pie Domine, & suppliciter rogo, trahe me tu ad ipsum: & ipse me perducat ad te illuc, vbi ille est in dextera tua sedens, vbi est sempiterna vita, & sempiternè beata. Vbi est amor perfectus, & nullus timor. Vbi est dies æternus, & vnus omnium spiritus. Vbi est summa & certa securitas, & secura tranquillitas, &

tran-

tranquilla iucunditas, & iucunda fœlicitas, & fœlix æternitas, & æterna beatitudo, & beata tui sine fine visio & laudatio. Vbi tu cum illo, & ille tecum in communione sancti Spiritus æternaliter ac sempiternaliter viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

INcipit pars Tertia, in qua mẽs deuota nimio Christi amore flagrans, Christo inhians, Christo suspirans, Christum, quem solum amat, videre desiderans, nihil dulce habet, nisi gemere & flere, nisi fugere, tacere & quiescere, dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.

CAPVT I.

SPes mea Christe Deus, hominum tu dulcis amator:
Lux, via, vita, salus, pax, & decus omne tuorum.
Omnia pro quorum voluisti ferre salute:
Carnem, vincla, crucem, vulnus, mortem atque sepulchrum.
Post tres inde dies deuicta morte resurgens:
Discipulis visus, nutantia corda reformans.
Luce quaterdena cœlorum summa petisti.
Nunc Patris ad dextram resides, sine fineque regnas.

Tu es Deus meus viuus & verus, Pater meus sanctus, Dominus meus pius, Rex me⁹ magnus, iudex meus iustus, adiutor meus oportunus, dilectus me⁹ pulcherrimus, panis meus viuus, sacerdos meus in æternũ, dux meus ad patriã, lux mea vera, dulcedo mea sancta, via mea recta, sapientia mea præclara, simplicitas mea pura, concordia mea pacifica, custodia mea tuta, portio mea bona, salus mea sempiterna, misericordia mea

magna,

magna, patientia mea robuſtiſſima, victima mea immaculata, redemptio mea facta, ſpes mea futura, charitas mea perfecta, reſurrectio mea ſancta, vita mea æterna, lætitia, exultatio & viſio mea beatiſſima ſine fine manſura. Te deprecor, ſupplico & rogo, vt per te ambulem, te rectore, te duce, ad te perueniam, in te requieſcam, quies, via, veritas & vita.

CAPVT II.

Hæc vita diluuiũ.

SEd quia in hoc magno huius vitæ diluuio, vbi circumſtantibus agitamur procellis, non inuenitur fida ſtatio & locus eminentior, vbi pes columbæ aliquatenus valeat requieſcere, nuſquam tuta pax, nuſquam ſecura quies, vbique bella, vndique hoſtes, foris pugnæ, intus timores: pugnat contra nos mundus cum ſuis concupiſcentijs, caro cum ſuis deſiderijs, diabolus cum ſuis iugiter tentationib. requieſcat in te Domine Deus meꝰ anima mea: contempletur te in mentis exceſſu: cãtet laudes tuas in iubilatione: & hæc ſit inter hos turbines conſolatio mea. Confugiat mens mea ſub vmbra alarum tuarum ab æſtibus cogitationum huius ſeculi. Heu pondus miſeriarũ, quas

ſupra

ſupra dorſum mentis ad te currentis cõgerit tranſeuntium rerum multiplex permutatio. Dormiat ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, rogo memoria mea, vigilans in te Deus meus, ſicut ſcriptum eſt: Ego dormio, & cor meum vigilat. Repauſet in te cor meum, cor mare magnum tumens fluctibus. Qui imperaſti ventis, & mari, impera ei, vt tranquilla fiant omnia mea, quatenus dulce gaudiũ meũ, quod eſurio & ſitio, contẽpler te ſine interioris hominis ſtrepitu, ſine cauſarũ tumultu. Ecce animus me9, amicus meus, fatigatus veniens de via, & ab ipſis per quas trãſierat vanitatib9 per multa diuiſus, periculoſam eſuriem patitur. Non habeo quod ponã ante illum. Pauper ſum & egenus. Diues omnium bonorum, & dapiũ ſupernæ ſatietatis opulẽtiſſime largitor Deus, da laſſo cibũ, collige diſperſum, libera captiuũ, redintegra ſciſſum. En ſtat ad oſtiũ, & pulſat: obſecro per viſcera miſericordiæ tuæ, quibus viſitaſti nos oriens ex alto, iube pulſanti miſero aperiri, vt liberis greſſibus ingrediatur ad te, & requieſcat in te, & reficiatur de te cœleſti pane, quo refocillatus, ad ſuperiora reſumptis virib9 liber cõtẽdat. Tu es panis & fons vitæ:

tu lumen claritatis æternæ, tu omnia, ex quibus viuunt recti, qui diligunt te. Deus lumen cordium te videntium, & panis oris intus animarum te amantium, & virtus maritans mentes, sinumque cogitationum te quærentium, vt sancto tuo amori inhæreant: veni rogo in cor meũ, & sobria ebrietate voluptatis tuæ inebria illud, vt obliuiscar ea quæ facta sunt (quæ enim videntur: temporalia sunt) & vnum bonum meum amplectar te. Mihi autem adhærere tibi bonum est, securũ est, tranquillum est. Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Illa enim non sufficiunt sine te. Anima verò, quæ te habet, his omnibus proculdubio non indiget. Ideo relinquens ista omnia, festino ad te, vt tibi soli inhæream, soli intendam.

CAPVT III.

Confes. 1. cap. 5.

QVid mihi es? miserere vt loquar. Quid tibi sũ ipse, vt amari te iubeas à me, & nisi faciã, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Paruane ipsa res est? Si non amem te, hei mihi. Dic mihi per miserationes tuas Domine Deus meus, quid sis mihi. Dic animæ meæ: Salus tua ego sum. Sic dic, vt audiam: ecce aures cordis mei ante te. Domine aperi eas, & dic

dic animæ meæ; Salus tua ego ſum. Curram poſt vocem hanc, & apprehendam te. Noli abſcondere faciem tuam à me. Veni in me, vt videam te. Sed anguſta eſt mihi domus animæ meæ, quò venias ad eam, dilatetur abs te. Ruinoſa eſt: refice eam. Habet, quæ offendãt oculos tuos: fateor, & ſcio. Sed quis mundabit eam? aut cui alteri præter te clamabo? Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.

CAPVT IV.

FAc me dulcis Chriſte, bone Ieſu, fac me rogo amore & deſiderio tui deponere omne onus carnalium deſideriorum, & terrenarum concupiſcentiarum vanarum, noxiarumque cogitationum, immundarum nefandarumque diaboli tentationũ & ſuggeſtionũ, otioſorum noxiorumque ſermonũ, peccatorum vitiorumque meorum, culparum negligentiarumq; mearũ, quæ me impugnant, quæ me impediũt, quæ me grauãt, vt poſt te expeditus in odore vnguẽtorũ tuorum currens, vſq; ad tuæ pulchritudinis viſionẽ efficaciter ſatiãdus, te duce quantociùs valeam peruenire.

Alte-

Altera quippe pars sumus cœli ; altera terræ: vnde corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantē. Subde ergo Domine carnē spiritui, appetitum rationi, vitia virtutibus, corpus animo: & tuæ me interius exteriusque subde per omnia voluntati. Dominetur rogo carni anima, animæ ratio, rationi gratia tua: vt vniuersis suo bene compositis ordine; & perfectè te diligere, & dignè te laudare merear per continuum auxilium gratiæ tuæ. Vinculis namque peccatorum suorum vnusquisq; constringitur. Dissolue me oro à vinculis, quib. constrictus teneor: adhibe præceps pēnas; da virtutū celeres alas. Sursum tēdo ad pacis locū, vbi non est arcus, scutum, gladius & bellum. Ibi apud te religatas reliqui primitias spiritus mei. Pudet me ac piget talia pati, qualia iste mundus agit. Triste mihi est, quod video. Graue omne, quod de transitorijs audio. Adiuua me Domine Deus, & da lætitiā in corde meo. Siste vagā mentem per deuia multa ruentē. Disijce terrenæ nebulas & pondera molis: atq; tuo subleua splēdore sarcinā mortalitatis meæ. Assumat spiritus meus pēnas vt aquilæ:

volet,

volet, & non deficiat: volet, & perueniat vſque ad decorem domus tuæ, & thronum gloriæ tuæ, vt ibi ſuper menſam refectionis ciuium ſupernorum paſcatur, de occultis tuis in loco paſcuæ iuxta fluenta pleniſſima.

CAPVT V.

TV eſto nobis exultatio, quies noſtra, ſpes, ſalus, atque redemptio. Tu nobis amor eſto & deſiderium, qui es noſtrum futurus ſine fine præmium. Te ſemper quærat anima mea, & tu præſta, vt quærendo non deficiat. Væ animæ te non quærenti, te non amanti. Ieiuna & arida manet ab omni bono. Miſera mundum diligit, peccatis ſeruit, vitijs ſubiecta eſt. Nunquam quieta, nũquam ſecura eſt. Famuletur tibi ſemper mens mea, ſuſpiret tibi peregrinatio mea, ardeat in tuo amore cor meum. Iuſte & clementiſſime iudex, cui omne iudicium dedit Pater, cenſes tu hoc rectũ eſſe, vt filij huius ſeculi, noctis ſcilicet & tenebrarum, ſuperent in amore & ſtudio filios lucis, filios tuos, quatenus ipſi magis diligant temporalia bona, turpemque pecuniam, quàm nos amemus te Deum noſtrum, qui nos ſic amaſti, ſic ſaluaſti? Si enim mortalis

mortalem adeò diligit, vt alter alterum vix patiatur abesse: Si sponsa sponso tãto conglutinatur amore, vt præ magnitudine amoris putet se mori, alter alterius absentiam non sine graui mœrore ferens: Si verò auarus tanto amore tantoque studio diligit & quærit perituras diuitias, ac fugitiuos honores, vt irrũpat regum palatia, multis atterendus laboribus, & petat transmarina loca grauibus vexandus periculis: quanta ergo dilectione, quantaque feruoris & pij operis instantia debemus te quærere & amare redemptorem nostrum, qui cùm non essemus, potẽter fecisti nos: & cùm perditi fuissemus culpa nostra, pietate & bonitate tua mirabiliter recuperasti nos?

CAPVT VI.

Cõfess. 2. cap. 10.

TV Domine Deus noster, qui fecisti omnia, tu es delectatio rectorum: & licèt hæc infima suas habeant delectationes, non tamen tali modo delectant, sicut tu Deus noster. In te enim delectatur anima iusti, sedes tua: & meritò. Quies est apud te valida, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini sui, & non timebit vlterius, habebit se optimè in optimo. Nolo

Domi-

Domine, nolo in his caducis delectari bonis. Amicitia huius seculi inimica est tibi. Te Christe, pax summa & requies vera, te volo. Pulchra & decora lux honestis luminibus, ad te leuo oculos meos. Vita viuificās, iustitia iustificās, te quæro in toto corde meo. O Domine tribue mihi, vt laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tui? Dilata mētem meā, & attolle intuitum cordis mei quæso, vt rapida cogitatione spiritus meus attingat te æternam sapientiam super omnia manentē. Ascendat te rectore, te duce, in illam regionem vbertatis indeficientis, vbi pascis Israel pabulo æternæ satietatis, vbi tu Christus Deus vita sanctorū, gaudium angelorum in arce regni regnare cum Patre crederis in æternū. Per te virtus & sapientia Patris facta sunt vniuersa, & quæ sunt, & quæ fuerunt, & quæ vētura erūt. Tu sola nō es facta, sed à patre indicibiliter genita: & sic es, vt fuisti, & sic eris sēper. Quin poti⁹ fuisse, & futurū esse, non est in te, sed esse solū, quoniā æterna es. Nam fuisse, & futurū esse, non est æternū. Et quid simile tibi verbi Dei, Domino nostro in te permanenti sine vetustate, atque innouanti

omnia? Tu Domine, qui & semper viuis, & nihil moritur in te, quoniã ante primordia seculorũ, & ante omne, quod vel ante dici potest, tu es: & Deus es, Dominusque omnium, quæ creasti, & apud te rerum omnium instabilium stant causę, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationalium & temporalium sempiternæ viuunt rationes. Tibi confiteor, & laudem dico nomini tuo. Tu cui omnia possibilia sunt, & nihil difficile, da menti sic humiliter ad te ascendere, vt non occurrat ei pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat eam.

CAPVT VII.

O Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ. O quàm mira beatitudo charitatis tuæ. Dulcissime, quando te videbo? quando apparebo ante faciẽ tuã? quando satiabor de pulchritudine tua? quando educes me de hoc carcere tenebroso, vt confitear nomini tuo, ita vt deinceps non compungar? Quando? quando transibo in illam admirabilem sempiterni gaudij domum, vbi personat vox lætitiæ in tabernaculis iustorum? Beati qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te. Domine

dilexi

dilexi decorem domus tuæ,& locū habitationis gloriæ tuæ. Quemadmodū desiderat ceruus ad fontem aquarum, ita desiderat anima mea ad Deum fontem viuum. Hei mihi: quia incolatus meus prolongatus est: multum incola est anima mea. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,& volabo,& requiescam?

CAPVT VIII.

FOelix anima, quæ terreno resoluta carcere, libera cœlum petit: quæ te dulcissimum Dominum facie ad faciem cernit: quæ nullo metu mortis afficitur, sed incorruptione perpetuæ gloriæ lætatur. Tranquilla est,& secura. Non timet hostem, neque mortem. Habet iam te pium dominum, quem diu quæsiuit semperque amauit. Hymnidicis sociata choris melliflua perpetuæ festiuitatis carmina ad laudem gloriæ tuæ rex Christe in æternum concinit. Inebriatur enim ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potas eam Domine. Facta est tanquam magnum luminare per te Deum lumen illuminans:& lucet vltra omnem stellarum splendorem. Videnśque se in portu securitatis & lætitiæ, gaudet euasisse iam turbu- *Pelagus est hæc vita.*

 len-

lentum pelagus huius vitæ miseræ & periculosæ, quæ potiùs mors dicenda est, quàm vita, vbi miser homo in peccatis nascitur, in labore viuit, in dolore moritur. Hæc enim vita tā infidelis est, vt nec amatoribus suis custodiat fidem. Ab origine mundi omnes in se sperantes fefellit: cunctos se sequētes decepit: vniuersos de se præsumentes derisit. Et ita omninò nullum certum reddidit, vt omnibus probetur fuisse mētita. Atque vtinam solius mendacij culpæ foret obnoxia, & per omnia crimina suos non cogeret currere amatores. Ipsa enim edacitatem glutonibus, & ebrietatem ingerit temulentis. Ipsa naufragium pudoris adulteris, & execrabilem tradit peruersitatem incestis. Ipsa item admonet furem, vt rapiat, iracundum, vt sæuiat, mendacem, vt fallat. Ipsa inter cōiuges diuortia seminat, inter amicos discordiā, inter pacificos lites, inter iustos iniustitiā, inter fratres scandala. Ipsa tollit iudicibus iustitiam, castis pudicitiam, artibus peritiam, moribus disciplinam; & vt altiora, quæ amatoribus suis ingerit, crimina memorem, si frater fratrem occidit, si filius aliquando necauit patrem, si interemptus est ab amico

mico amicus: cuius hæc instinctu facta sunt scelera? cuius intuitu, cuius spe ista sunt nefanda commissa? Nonne huius miseræ vitæ amore hæc fiunt, & dum homines illã plus iusto diligunt, iniquo omnes odio persequũtur. Vt quid enim pirata nauigãtem iugulat, latro perimit viatorem, diues opprimit pauperem, superbus humilem, mali bonos, & omnis nocens, quemcunque potuerit, aggrauat innocentem? Hæc denique faciunt mala, qui huic pessimæ vitæ seruire desiderant, cogitantes se per tempora prolixa in eius amore durare. Non itaque alterius causa fiunt scelera, nisi vt isti infœlicissimæ vitæ à carnalibus seruiatur. Ipsa nãque est, quæ eis crimina imperat, iubet facinora, suadet iniusta. Et postquam omni crudelitate pleni, omnique fuerint spurcitia saginati, seruientes sibi tradet filiæ suæ, perpetuæ scilicet morti. Ex ipsius enim vtero mors æterna nata est, tempore quo gulæ & oculorum libidini protoplastus vterque seruiunt, tuo Domine posthabito arroganter præcepto; & ideo qui æterni immortalesque facti fuerant, meritò in istam sunt mortis regionem iactati. Hinc iterum sunt ad

inferos deuoluti, nihil secum præter peccata portantes.

CAPVT IX.

SEd dicere quis valeat, quæ impijs & malè viuentibus tormenta sint præparata? In ipso enim continuæ mortis loco, qui infernus appellatur, quid aliud nisi iugis flamma, perseuerans tribulatio, & perpetua pœna, atque infinita totius mali calamitas esse potest? Igneus autem fluuius, & fœda palus complet omnia. Ibi sanè atroces angeli commorantur: quorum brachia sunt vt capita draconum: quorum oculi igneas ex se sagittas emittunt: quorum dentes vt elephantis prominent, & stimulant ad tormentum, vt caudę scorpionum. Quorum aspectus tremorem inducit, & dolorem atque mortem. Atque vtinam mors possit in his subuenire angustijs: sed quod est horribilius, ad hoc viuit in tormentis positus, vt cruciatibus gubernetur. Ad hoc redintegratur, vt rosus serpentibus, & iteratis subinde, iterumque repetitis morsibus attrectetur. Ibi dracones blasphemantium labia vorant: & Regulus diris morsibus miserorum pectora lacerat: atque horribiles diuersi generis belluæ incredulorum animas multipli-

tipliciter ſine ceſſatione cruciant. Illic vlulatus & planctus, gemitus & mugitus continuè ſonant, ſimulque clamor vbiq; confuſus attollitur: quem dura vis tormentorum exagitat, & incendij arſura extorquet. Hæc autem ipſa tribulatio, quæ illic excipiet miſeros, nullo termino finitur, nullo fine concluditur, ſed flammarum atroci aduſtione conſumitur: & ad rediuiua incendia iterum, qui aduſtus fuerit, reparatur. Ibi enim vermis qui non moritur, & ignis qui nunquam extinguitur, atque ſtridor dentiũ ſemper sẽtitur. Gehẽnæ lethale frigus, & glacies indeficiens. Fames peſſima, & ſitis immenſa. Dolor perpetuus, & continuus languor. Sæua peſtis, & indicibilis lues. Tenebræ denſiſſimæ, & nox obſcuritatis horrendæ. Nulla requies datur miſeris, omnia ibi mala, & cuncta tormentorum genera. Mors immortalis, defectus indeficiens, finis infinitus.

CAPVT X.

QVis ergo fidelium hæc audiens, & talia ſciens, non contremiſcat? Erue me rogo Domine de hoc lacu miſeriæ, & locis tenebrarum, terra ſcilicet tenebroſa, & operta mortis caligi-

ne, vbi nullus ordo, sed sempiternus inhabitat horror. Erue & omnes, qui tuo dediti sunt seruitio. Compunge etiam illorum, qui necdum tibi seruiunt, corda ad dignos pœnitentiæ fructus, obsecro, vt simul eruas eos. Quid faciemus miseri? Quanta hic patimur? quanta nos illic passuros pertimescimus? Graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ. Auis ad volatum, homo ad laborem nascitur. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, multis repletur miserijs. Iacenti quidem timendum omninò est, ne in peccatis suis moriatur: stanti autem prouidendum est quotidie, vt sic humiliter in excelso maneat, nec aliquando superba mente deorsum ruat. Nusquam fida requies, nusquam tranquilla securitas est. Prô dolor, quibus vallata angustijs, quantis circunsepta est timoribus vita hominis super terram? Ne taceas pupilla oculi mei: clama ad Deum in fortitudine magna: Desiderat desiderio magno diuisiones aquarum peccatrix anima mea: sed obriguit misera: insensibilis facta est. Nullo mœrore compungitur. Nullo dolore ad producendas lachrymas scinditur.

Grauis miseria hominũ.

In

In stuporem conuersa est. O lachrymæ, vbi estis? Quo abistis fontes lachrymarum? Vbi es mœroris vnda? Quò recessisti chara mihi & dulcis ploratio? Venite lachrymæ obsecro, in nomine Domini mei Iesu Christi venite: implete cor meum: irrigate oculos meos: humectate genas meas; aspergite me fletibus: fluite super faciem meam: date mihi planctũ amarum: generate dulcem veniam. Quid agitis desideratæ mihi: cur morã facitis? Per ipsum vos obtestor, qui fleuit defunctum amicum, fleuit & perituram ciuitatem, qui dixit: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Per ipsas enim sanctissimas & fœlicissimas lachrymas te mœroris vnda & aquarum diuisio rogo, accelera, & satisfac desiderio meo. Qui eduxit aquam de petra, & peccatricem mulierem intus misericorditer infudit, pariterque benignè foris suscepit, ipse suo pijssimo iussu vobis tardantibus dicat, vt cor meum vos desiderans, & vos quærens, vestra ita inebrietis inundatione, vt se à fletibus temperare nec velit, nec possit. De pœna autem peccati hoc obdurata mens sustinet, vt peccata sua videre possit, flere non possit. Hinc mihi timeo,

hoc valde expauesco. Donec salubre est flere, donec salubre est pœnitere, festinate lachrymæ, quas opto, quas tota mente mea peto, vt pro vulneribus animæ meæ indesinenter diebus ac noctibus defleam: ne tempora indulta pœnitentię pereant: ne dies ad bene viuendum concessi, sine causa fluant. Spiritus Dei bonus doctor & illuminator matris Ecclesiæ, qui ex duro corde producit lachrymas, & dat pœnitentiæ fructus, descendat in cor meum, vt cudat ex eo saxeo & ferreo irriguum superius, & irriguum inferius. Plange peccatrix anima, si potes: laua per singulas noctes lectū tuū: necnō & per dies lachrymis stratum tuū riga. Aut si deest tibi gratia lachrymarum, saltem geme sine cessatione. Trahe crebra ex imo pectore suspiria, memor & præsentium Grauia quidem corpore, grauiora autem mente in præsenti vita sustinens: sed grauissima tibi in perpetuum times.

CAPVT XI.

PRæterea multiplicem istius vitæ calamitatem Adhuc tibi restat dura animæ à corpore separatio, & subtilissima

lissima exactio immundorum spirituũ, super omnia, in quibus assensum illis præbuisti, à terra vsque ad cœlum, à talento vsque ad minimum quadrantem. Quid itaque facies misera? Immites namque & inexorabiles sunt exactores: misericordiam sibi non quærunt: misereri alijs nesciunt. Sed nunquid fugit mentem pœnarum Tartari horrenda acerbitas? Aut non terret te illa seueritas extremi iudicij. Vbi etiam de vanis cogitationibus, & de verbo otioso reddi- tura es rationem? Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur. Ipse autem Dominus in iussu, & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo: & ij qui immutati fuerint, ibunt obuiam Christo in aëra. Nam virtutes cœlorum mouebuntur: & tunc videbimus iudicem Christum venientem in nubibus cum potestate magna, & maiestate. Videbit eum omnis oculus: sed tolletur impius de medio, ne videat gloriam Dei. Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Adueniet dies Domini sicut fur; in quo cœli magno impetu trãsient: elementa verò ignis ardore sol-

Dæmones.

Extremũ iudicium.

uentur. Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Adhuc ſemel, & ego mouebo non ſolùm terram, ſed etiã cœlum, ait Dominus: & egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Et propheta: Iuxta eſt dies Domini magnus: iuxta & velox nimis. Vox diei Domini amara: tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa: dies tribulationis & anguſtiæ: dies calamitatis & miſeriæ: dies tenebrarum & caliginis: dies nebulę & turbinis: dies tubæ & clangoris. Audient mali: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo, & angelis eius. Audient boni: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Ibunt impij in ſupplicium æternum, iuſti in vitam æternam.

Sententia.

CAPVT XII.

CErnis anima, quæ libera petiſti cœlum: ſcio quia bene noſti, quæ & quanta euadere meruiſti pericula. Quàm felicem & perpetuam adepta es ſecuritatem? Timor omnis abijt, dubie-

tas cuncta repulsa est. Secura videbis iudicem venientem. Aspicies blandum, quem videbunt mali terribilem. Laborasti: tentationes sustinuisti plurimas. Ingressa es regnum Dei per multas tribulationes, sed non te pœnitet. Pœnitet vtique, quia plus non laborasti. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad illam gloriam, quæ in te iam reuelata est. Exiguis enim laboribus tuis merces infinita recompensatur. Gaude, lætare filia Hierusalem, & ne obliuiscaris nostri quæso inter tua gaudia. Quantas Deo gratias debes beata? Lauda Dominum Deum tuum filia Siō. Ne cesses à laudibus æterni regis, qui concupiuit decorem tuum. Ipse est Dominus Deus tuus, qui vocauit te, grandi voce in aure cordis dicens. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa vera, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit, tempus putationis aduenit. Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum. Sicut lilium inter spinas,

sic anima mea inter filias. Anima sancta & pulchra dic & tu dilecto tuo, dic: Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Qualis est dilectus tuus, ex dilecto, ô pulchra? Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus è millibus. Sicut malum inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Talis est dilectus me⁹, & ipse est amicus meus. Si igitur vnius sanctæ animæ egredientis de terra morientium, & intrantis in regionem viuorum laudes promere adeò me delectat, claritatique eius ita congratulatur anima mea, quid de gloria & pulchritudine tua loquar ego tuus magis amator, mater Hierusalem ciuitas sancta Dei, nobilissima sponsa Christi, cōgregatio & plenitudo omniū supernorū ciuium, cunctorumque beatorum spirituum? O quàm excellentissima tuæ beatitudinis magnificentia? O quàm magna & mira tui decoris elegantia? Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Hierusalem quæ ædificaris vt ciuitas de viuis lapidibus: Hierusalem sancta quæ sursum es, mater nostra charissima, libet mihi tuæ intendere claritati.

Ciuitas Dei.

CA-

CAPVT XIII.

OBlectat me valde bona tua puro mentis intuitu & dulcissimo pij amoris affectu in loco peregrinationis meæ iuxta modulum meũ interim, donec his fragilibus subsisto membris, cõsiderare. Tuæ enim charitatis iaculo vulneratus sum Tuo vehementer desiderio flagro: ad te peruenire cupio: te videre desidero. Libet itaque, libet oculos fidei in te attollere, statum mentis conformare, affectum cordis erigere. Anxi⁹ & sitibundus ad te volando curro. Tuæ infinitæ opulentiæ inhio, tuæque immensæ beatitudini peregrinus ego suspiro. Vnde mihi valde libet de te loqui, de te audire, de te legere, de te scribere, de te conferre, vt sub dulcem vmbram synceritatis tuæ ingressus, ab huius seculi æstibus in tui refrigerij temperamento abscondar. Huius rei gratia vmbrosum montem & condensum ascendo, amœna prata perlustro, viridissimas sententiarum herbas legendo carpo, frequentando rumino, exarando congrego, vt suauitatem dulcedinis & charitatis tuæ reponam in alta sede memoriæ meæ.

CA-

CAPVT XIV.

SAncta Sion, mater Hierusalem, fœlix tu, & nimium fœlix, sine fineque fœlix, quàm pulchra es & decora: quàm gloriosa es & beata. Tota pulchra es, & macula non est in te. Electa Dei ciuitas, manu æterni opificis constructa: quis perpendere, quis referre potest decorem ornamentorum mirabilis ædificij tui? in quo ponuntur omnes preciosi lapides tunsi & politi, atque bene præparati: & ideo strepitus mallei in te nunquam auditur. Muri autem tui ex gemmis micantibus multis & varijs. Portæ tuæ ex margaritis optimis. Plateæ tuæ ex auro purissimo. Mansiones tuæ plurimæ sapphyris fundatæ, laterculis aureis coopertæ, quas nullus ingreditur immundus, nullusque potest inhabitare vitiosus: Nõ enim est in te malus neque malitia. Nõ est aduersarius & impugnans, nec est vlla peccati illecebra. Mugitus, vlulatus, gemitus, lamentum, & luctus nunquam in te auditur, nec nominatur. Fœdum, deforme, tetrum, nigrum, horrendum aliquid aut sordidum, vel tale quid, quod displicere animo possit, nunquam in te penitus viderunt oculi. Amœnitatem pul-

Medit. c. 25.

pulchritudinis, formositatem totius splendoris, atque dignitatem omnis elegātiæ iugiter tui ciues cernunt. Nihil omninò, quod conturbet mentem, in te auribus datur. Sonant enim semper melliflua hymnorum organa, suauissima angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad laudem & gloriam æterni regis structoris tui à supernis ciuibus in perpetuum decantantur. Amaritudo, & omnis fellis asperitas in regione tua locum non habet. Tonitrua in te nunquam audita sunt. Fulgura & coruscationes, turbines, & tempestates, atque pluuiæ, frigora & æstus, & omne, quod in hoc mundo graue & aduersum patimur, nusquam in te sunt, nec vnquam fuerunt. Odor tuus spiritalem delectationem sanctis inspirat. Esca tua non grauat stomachum, nec hebetat sensum, nec gignit fastidium. Omne, quod in te sumitur, dulce est & odoriferū, eiusdemque saporis iugiter manet. Sicut enim bono nuntio aures, & bono odore nares, & bono aspectu oculi saginantur, & ista refectio non potest in digestionem prorumpere: ita refectio, quæ tuis ciuibus apponitur, melliflua in gustu hoc vnicuique sapit, quo fuerit delectatus.

Non

Non est igitur in te nox, neque vlla tenebrarum obscuritas: non lux lucernæ aut stellarum, vel Lunæ aut Solis in te lucet, sed Dominus Deus tuus illuminat te. Agnus Dei, lumen tuum, lucerna tua, stellæ tuæ, Luna & Sol tuus, atque omne bonum & gaudium tuum, continua visio eius.

CAPVT XV.

Medit. c. 15.

IPse rex regum in medio tui, & pueri eius in circuitu eius. Sunt etenim ibi hymnidici, sanctorum spirituum chori, prouidus Prophetarum cuneus, iudex Apostolorum numerus, innumerabiliū Martyrum victor excercitus, sanctorum Confessorum sacer conuentus, beatorū monachorum fortissima turba, tantò illic lætior, quantò hic afflicta dur ùs sanctarum Virginum gloriosa caterua, fideliū virorum multiplex turma, quos à virilitatis suæ robore voluptas seculi emollire nō potuit. Est & in te bonarum mulierum laudabilis constantia, prçmij sui perceptione consolata, quia seculum & sexum vicerunt. Nec non puerorū & puellarū innumerabilis multitudo, qui dū essent in carne, annos suos moribus transcenderunt: aut antequam per ætatem peccare potuissent, celeri morte de hac

hac vita ſublati ſunt. Præſtò ſunt etiam illi ſenes & anus, quos hic & ętas debiles reddidit, & virtus boni operis non reliquit. Fœlix ſocietas supernorum ciuium, & glorioſa ſolennitas omniũ ad te redeuntium ab huius noſtræ peregrinationis triſti labore. Lætantur in te coram Domino omnes oues & agni inter pabula æternæ lætitiæ, qui voluptuoſę tẽporalitatis laqueos iam euaſerũt. Exultant ſinguli ſecundũ ſua merita in proprijs domibus. Communis eſt lætitia omnium, ſed diſpar gloria ſingulorum; quia vnuſquiſq; ſecundùm ſuum remuneratur laborem. In te quippe manſiones ſunt diuerſæ: ſed quia ſola ibi charitas perfectè & integrè in perpetuum regnat, omnis procul abeſt inuidia: & ideo vnius magni gloria magna omniũ eſt per charitatem. Sufficit enim vnicuique, quod datur, habere: & ampliùs non quærens, nec poteſt, nec volet prælatis ſibi in gloria inuidere. Nulla indigẽtia, dedecus nullum, nulla rixa, nullum improperium, cauſatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla diſcordia: ſed pax ſumma, charitas plena, iubilatio & laus Dei æterna, ſecura ſine fine re-

quies,

quies, & gaudium semper in spiritu sancto. Intra mœnia namque tua sunt triclinia auro puro radiantia, quę ex gemmis & margaritis habent zetas instructas, quas inhabitant milites Dei. Lucet eis lumen sine sole. Adest serenitas absque nubilo. Perfruũtur oculi clarissima luce sine tenebris. Delitiæ regni tui nulla impediuntur occasione, nulla penitus distrahitur quisquam solicitudine: sed viui cœlestisque panis æterna satiatus refectione, securus & quietus manet in Deo, & Deus in eo.

CAPVT XVI.

FOelix anima mea, si mihi datum fuerit intueri abundantiam virtutis & gloriæ tuæ, pulchra mœnia, mirabiles portas, plateas decoro marmore stratas, mansiones inenarrabilibus diuitijs plenas, festiuos ciues, & reuerendos milites, regnum tuum, Deum nostrum in gloriosa sede maiestatis suæ. Fortunatus ego, si audiero iucundissimas tuorum ciuium cantilenas, carmina melliflua, laudes summæ trinitati debito honore promentia. Sed & nimiùm fœlix, si ego ipse meruero cantare canticũ Domino dulcibus canticis Sion. O vita vitalis, vita sempiterna, & sempiternè beata, vbi

Vita æterna.

gau-

dium ſine mœrore, requies ſine labore,
dignitas ſine timore, opes ſine amiſſio-
ne, ſanitas ſine languore, abũdantia ſi-
ne defectione, vita ſine morte, perpe-
tuitas ſine corruptione, beatitudo ſine
calamitate: vbi omnia bona in charita-
te perfecta: vbi ſpecies & viſio facie ad
faciem: vbi plena ſcientia in omnibus,
& per omnia: vbi ſumma boni Deitas
cernitur, & lumen illuminans à ſanctis
glorificatur. Vbi præſens Dei maieſtas
conſpicitur: & hoc vitæ cibo ſine defe-
ctu mens intuentium ſatiatur. Vident &
videre deſiderant: ſine anxietate deſi-
derant, & ſine faſtidio ſatiantur. Vbi
verus iuſtitiæ ſol mira ſua pulchritudi-
nis viſione omnes reficit, & ita vniuer-
ſos cœleſtis patriæ ciues illuminat, vt
luceant ipſi, lumen videlicet illuminatũ
per Deum, lumen illuminans vltra om-
nem noſtri Solis ſplendorem, atq; cũcta-
rũ ſtellarum claritatem, immortali ad-
hærentes Deitati, ac per hoc immortales
& incorruptibiles facti, iuxta promiſſio-
nẽ Domini Saluatoris: Pater, quos dedi-
ſti mihi, volo vt vbi ego ſum & illi ſint
mecũ, vt videant claritatem meam, & *Ioan 17*
omnes vnũ ſint: ſicut tu Pater in me, & 12.14.
ego in te, & ipſi in nobis vnum ſint.

CA-

CAPVT XVII.

QVis itaque de te, ô vitalis vita, quãtum decet, loqui sufficiat? Quæ lingua, vel qui sermo magnitudinem tuæ beatitudinis valeat enarrare? Nullo sanè scribendi genere comprehendi, neminis sapientum facundia dici, nullius sensus attingi, nulliusue contemplationis subtilitate perspici valet in præsentiarum, quod Deus præparauit diligentibus se. Nempe nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit hic apud nos, quantam qualemque te habeas per omnia vita vitalis. Adhuc & ille, qui dicit: non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalib⁹: etiam ipse nõdum se arbitrabatur comprehendisse: & quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt, extenditur, & ingemiscit grauatus, & sitit anima eius ad Deum viuũ, sicut ceruus ad fontes aquarum: & dicit: Quando veniam habitaculum suũ, quod de cœlo est, superindui cupiens. O regnum cœlorum, regnum fœlicissimum, regnũ carens morte, & vacans fine, cui nulla tempora succedunt per æuum: vbi cõtinuus sine nocte dies nescit habere tempus: vbi victor miles donis ineffabilibus

libus cumulatur, nobile caput amplectẽte perpetua corona.

CAPVT XVIII.

VTinam remissa peccatorum mole, me vltimum seruorum Christi iuberet diuina pietas hanc carnis sarcinam deponere, vt in tuæ ciuitatis gaudia æterna repausandus transirem, sanctissimisque supernorum choris interessem: cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assisterem: præsentem Christi vultum cernerem: nullo metu mortis tangerer: de perpetuæ immortalitatis incorruptione securus gauderem: & scienti omnia coniunctus, omnẽ ignorantiæ cæcitatem amitterem: terrena cuncta paruipenderem: conuallem lachrymarum istam intueri vel reminisci vlterius non dignarer: vbi vita laboriosa: vita corruptibilis: vita omni amaritudine plena: vita Domina malorum, ancilla infernorum: quam humores tumidant: dolores extenuant: ardores exsiccant: aëra morbidant: escæ inflant: ieiunia macerant: ioci soluunt: tristitiæ consumunt: solicitudo coarctat: securitas hebetat: diuitiæ iactant: paupertas deijcit: iuuentus extollit: senectus incuruat: infirmitas frangit:

mœror deprimit: & his tātis malis mors furibunda succedit, vanisque gaudijs ita finem imponit, vt cùm esse desierint, nec fuisse putentur.

CAPVT XIX.

SEd quas laudes, quasue gratiarum actiones tibi referre valemus Deus noster, qui nos etiam inter has tantas mortalitatis nostræ ærumnas non desinis consolari mira visitatione gratiæ tuæ? Ecce me miserum multis mœroribus plenum. Dum vitæ meæ timeo, dum peccata mea considero, dum iudicium tuum formido, dum mortis horā cogito, dum supplicia Tartari horreo, dum opera mea qua districtione à te pensentur, ignoro, dum quo fine illa clausurus sim, penitus nescio, dumque hæc & alia multa mecum sub corde retracto, consolaturus ades solita pietate: & inter has querelas, nimiosque ploratus, ac profunda cordis suspiria assumis mœstam & anxiam mentem super alta iuga montium ad areolas vsque ad aromatum, & collocas me in loco pascuæ secus riuulos dulcium aquarum, vbi præparas in conspectu meo mensam multiplicis apparatus, quæ fatigatum spiritum repauset, & cor triste lætificet.

Qui-

Quibus tandem refocillatus delitijs, multarum miseriarum oblitus mearum super altitudinem terræ in te vera pace quiesco. O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas, tu es Deus meus: tibi suspiro die ac nocte. Qui nouit te, nouit veritatem, nouit æternitatem. Tu veritas super omnia præsides: quam videbimus sicuti es, cùm transierint lachrymæ, quæ nobis factæ sunt panis die ac nocte, dum dicitur nobis quotidie: Vbi est Deus tuus? & ego dico, Deus meus vbi es? ecce vbi es? Respiro in te paululum, cùm effundo super me animam meam in voce exultationis & confessionis soni festiuitatem celebrãtis, & adhuc tristis est, quia relabitur, & fit abyssus, quin potiùs sentit adhuc esse se abyssum. Dicit ei fides mea, quam accendisti in nocte ante pedes meos. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Dominum. Lucerna pedibus meis verbum eius. Spera & perseuera, donec transeat nox mater iniquorum: donec transeat ira Domini: cuius filij & nos fuimus aliquando, tenebræ, quarum residua trahimus in corpore propter peccata mortuo, donec aspiret dies,

Medit. c. 33.

Cõfess 13 cap. 13. Cap. 14.

Medit.c. 33. & remoueantur vmbræ.Spera in Dominum:mane adſtabo ei, & contēplabor, ſemperque cõfitebor illi.Mane adſtabo, & videbo ſalutare vultus mei Deus me⁹, qui & viuificauit mortalia corpora noſtra propter ſpiritum,qui habitat in nobis:quem in hac peregrinatione pignus accepimus,vt iam ſimus lux,dum adhuc ſpe ſalui facti ſumus,& filij lucis,& filij dici,non noctis,neque tenebrarum. Sed fuimus aliquando tenebræ,nunc autem lux in Domino:& tamen adhuc per fidē nondum per ſpeciem.Spe enim ſalui facti ſumus.Spes autem,quæ videtur,non eſt ſpes.Tu lux de luce, Deus de Deo, Chriſte, tu illuminabis tenebras noſtras:ex te oriuntur veſtimenta noſtra, & tenebræ ſicut meridies erunt.

Conf. 13 cap. 13. & 14.

Lib. 13. c. 8.

CAPVT XX.

DA mihi te Deus meus, redde mihi te.En amo:& ſi parum eſt, amem validius.Non poſſum metiri,vt ſciam, quantum deſit mihi amoris ad id, quod ſat eſt,vt currat vita mea in amplexus tuos,nec auertatur,donec abſcondatur in abſcondito vultus tui. Hoc tantùm ſcio,quia malè mihi eſt præter te, non ſolū extra me,ſed & in meipſo:& omnis

mihi

mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.

CAPVT XXI.

TE inuoco Deus meus, misericordia mea, gloria, diuitiæ, nobilitas mea, qui fecisti, & refecisti me. Inuoco te in animam meam, quam præparas ad capiendum te ex desiderio, quod inspiras ei. Rogo inuocantem te ne deseras, qui priusquam inuocarē, præuenisti, vt tibi regimen ego seruus tuus seruiam. Neque enim meo eges famulatu. Nunquid ego tale bonum sum, quo tu adiuueris Domine meus? Non vt tibi seruiā sic, quasi ne fatigeris in agendo, aut minor sit potestas tua, carēs obsequio meo. Neque vt sic te colam quasi terram, vt sis incultus, si non te colam: sed vt seruiam tibi, & colam te, vt de te mihi bene sit, à quo mihi est vt sim, cui bene sit. Ex plenitudine quippe bonitatis tuæ cuncta subsistunt. Bonum autem quod neque in melius, neque in deterius commutari potest, tu solus es, quia solus simpliciter es: cui non est aliud viuere: & aliud beatè viuere quia tua beatitudo tu es. Creatura verò tua, cui aliud est viuere, & aliud beatè viuere omne quod viuit, & quod beatè viuit,

Conf. 13. cap. 1.

Cap. 1.

non debet nisi gratiæ tuæ:& ideo nos egemus te, non tu nobis, quia si omnino non essemus, nihil tibi deesset ad bonū, quod tu es.

CAPVT XXII.

O Lumen veridicum, splendor paternæ gloriæ, artifex vniuersæ creaturæ, ecce cor meum coram te: discute tenebras eius, vt amoris tui claritate perfusum, sursum ad te leui volatu feratur. Pondere siquidem fragilitatis nostræ deorsum trahimur: dono autem tuo accendimur, & sursum ferimur: inardescimus, & imus: ascendimus ascensiones in corde, & cantamus canticum graduum. Igne tuo, igne tuo bono inardescimus & imus. Quò iam sursum imus? ad pacem Hierusalē, quoniam iucundatus sum in his qui dixerunt mihi: In domum Domini ibimus. Ibi nos collocauit voluntas bona, vt nihil velimus aliud, quàm permanere illic in æternū: Nunc autem per speculum, & in ænigmate, tunc facie ad faciem. Speculum namque nostrum scriptura tua sacra, quæ nobis lucet in nocte huius vitæ, tanquam lucerna ardens in caliginoso loco.

Speculum est Scriptura.

CA-

CAPVT XXIII.

LAudent te Domine illi populi ange- *Conf. 13. cap 15.*
lorum tuorum immortales, & glo-
rificent nomen tuum supercœlestes
virtutes, quæ non opus habent legere
scripturam hanc, & legendo cognosce-
re te patris verbum. Vident enim faciē
tuam semper, & ibi legunt sine syllabis
temporum, quid velit æterna voluntas
tua. Legunt, eligunt & diligunt.
Semper legunt, & nunquam præterit,
quod legunt. Eligendo enim & diligen-
do legunt ipsam incommutabilitatem
consilij tui. Nō clauditur codex eorum,
nec plicabitur liber eorum, quia tuipse
illis hoc es, & es in æternum: quia super
hoc firmamentum ordinasti eos, quod
firmasti super infirmitatem inferiorum
populorum, vbi suscipere nt & cognos-
cerent misericordiam tuam temporali-
ter enunciantem te, qui fecisti tempo-
ra. In cælo enim Domine misericor- *Psal. 33.*
dia tua, & veritas tua vsque ad nu-
bes. Transeunt nubes, cœlum e-
nim manet. Transeunt prædicatores
verbi tui ex hac vita in aliam vitam.
Scriptura verò tua vsque in finem secu-
li super populos exteuditur. Sed & cœ- *Esai. 40.*
lū & terra transibunt, sermones autē tui

non transibunt. Beata autem creatura, quæ non nouit aliud, cùm esset ipsa aliud, nisi dono tuo mox vt facta est, attolleretur nullo interuallo temporis in illum permanentem statum, vt semper coram te lux esset. In nobis enim distinguitur tempore, quo tenebræ fuimus, & lux efficimur Sicut enim corpori non hoc est esse, quod pulchrũ esse, alioquin deforme esse non posset: ita etiam creato spiritui non id est viuere, quod sapienter viuere, alioquin incommutabiliter saperet. Bonum autem illi est hærere tibi semper: ne quod adeptus est conuersione, auersione lumen amittat, & relabatur in vitam tenebrosam abysso similem. Ideo illa sublimis creatura tam casto amore cohæret tibi Deo vero, & verè æterno, vt quãuis tibi coæterna non sit, vt nullam tamen temporũ varietatem & vicissitudinem à te se resoluat, & defluat, sed in tui soliu veracissima contemplatione requiescat: quoniam tu Deus diligenti te quantum præcipis, ostendis ei te, & sufficis ei: vnde nõ declinat à te, nec ad se.

Conf. 12. c. 15.

CAPVT XXIV.

Domus Dei.

HAEc est domus tua Deus non terrena, neque vlla moles corporea, sed spiri-

ſpiritalis, & particeps æternitatis tuæ, quia ſine labe manet in æternum. Statuiſti enim eam in ſeculum, & in ſeculum ſeculi: Præceptum poſuiſti, & non præteribit. Non tamen tibi Deo coæterna: quoniam non ſine initio. Facta eſt enim. Nam etſi non inuenimus tempus ante illam: prior quippe omnium creata eſt ſapientia. Nec vtique tu illa ſapientia Patri Deo planè coæterna & æqualis, & per quam creata ſunt omnia, & in quo principio factum eſt cœlum & terra: ſed profectò ſapientia, quæ creata eſt, intellectualis natura ſcilicet, quæ contemplatione luminis lumen eſt. Dicitur enim & ipſa, quamuis creata, ſapientia. Sed quantum intereſt inter te lumen, quod illuminas, & quod illuminatur, tantum inter te ſummam Patris virtutē & ſapientiam quæ creas, & iſtam quæ creata eſt: ſicut inter iuſtitiam iuſtificantem, quæ tu Deus noſter es, & iuſtitiam, quæ iuſtificatione facta eſt. Nam & nos dicti ſumus iuſtitia tua. Ait enim quidam ſeruus tuus, vt nos ſimus iuſtitia Dei in ipſo. Ergo quia prior omnium creata eſt quædam ſapientia, quæ creata eſt mens rationalis & intellectualis caſtæ ciuitatis tuæ, matris no-

ſtræ, quæ ſurſum eſt, & libera eſt, & ęterna in cœlis. Quibus cœlis, niſi qui te laudant cœli cœlorum? Quia hoc eſt cœlũ cœli Domino, etſi non inuenimus tempus ante illam, quæ & creaturam tẽporis antecedit, quæ prior omnium creata eſt: ante illam tamen es tu Deus æternꝰ, & creator, à quo facta ſumpſit exordiũ, quamuis non temporis, quia nondum erat tempus, ipſius tamen conditionis ſuæ.

CAPVT XXV.

VNde ita eſt abs te Deo noſtro, vt aliud ſit planè quàm tu, & nõ idipſum: quoniam etſi non ſolùm ante illam, ſed nec in illa inuenimus tempus, quia eſt idonea faciem tuam ſemper videre, nec vſpiam deflectitur ab ea, quo fit, vt nulla mutatione varietur, ineſt tamen ipſa mutabilitas, ex qua tenebreſceret & frigeſceret, niſi amore grandi cohærens tibi, tanquam ſemper meridies luceret & ferueret ex te. Defluxit enim angelus, defluxit anima hominis, & indicauerunt abyſſum vniuerſæ ſpiritalis creaturæ in profundo tenebroſo, niſi ab initio per te fieret lux, & inhæreret tibi omnis obediens intelligentia cœleſtis ciuitatis tuæ, & requieſceret in ſpiritu tuo, qui

Confeſ. 13 cap. 8.

ſuper-

superfertur incõmutabiliter super omne mutabile. Alioquin & ipsũ cœlũ cœli tenebrosa abyss⁹, esset in se. Nũc autẽ lux in te. Nã & ipsa misera inquietudine defluentium spirituum, & indicantiũ tenebras suas nudatas veste luminis tui, satis ostendis, quàm magnam rationabilem creaturam feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quicquid te minus est: ac per hoc nec ipsa sibi. Idcirco hæc angelica natura creaturarum maxima, cuius voluntas tu solus es, te perseuerantissima castitate hauriens, mutabilitatem suam nusquam & nunquam exerit: & in te sibi semper præsente toto affectu se tenet, non habens futurum, quod expectet, nec præteritum traijciens, quod meminerit: nulla vice variatur, nec in tẽpore vllo distenditur.

CAPVT XXVI.

O Beata ista inhærendo beatitudini tuæ, beata sempiterno inhabitatore, atque illustratore suo. Nec inuenio, quod libentius appellandum existimem cœlum cœli Domino, quàm domum tuam contemplantem delectationem tuam sine vllo defectu egrediendi in aliud, mentem puram concordis- *Confes. 12, cap. 11.*

ſimè vnam, ſtabilimento pacis ſanctorũ ſpirituum ciuitatis tuę in cœleſtibus ſuper iſta cœleſtia. Vnde intelligat anima, cuius peregrinatio longinqua facta eſt, ſi iam ſitit tibi, ſi iam factę ſunt ei lachrymę ſuę panis, dum dicitur ei per ſingulos dies: vbi eſt Deus tuus? ſi iam petit à te vnam, & hanc requirit, vt inhabitet in domo tua per omnes dies vitę ſuę. Et quę vita enim, niſi tu? Et qui dies tui, niſi ęternitas tua? ſicut anni tui, qui non deficiunt, quia idem ipſe es. Hic ergo intelligat anima, quę poteſt, quàm longè ſuper omnia tempora ſis ęternus, quãdo tua dom⁹, quę peregrinata non eſt, quamuis non ſit tibi coęterna, tamẽ indeſinenter, & indeficienter tibi cohęrendo, nullam patitur viciſſitudinem temporum. O domus luminoſa & ſpecioſa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis glorię Domini mei, fabricatoris & poſſeſſoris tui. Tibi ſuſpirat peregrinatio mea, & dico ei, qui fecit te, vt poſſideat & me in te, quia fecit & me. Errauì ſicut ouis perdita: ſed in humeris paſtoris mei, ſtructoris tui, ſpero me reportari tibi. Hieruſalẽ domus Dei ęterna, nõ obliuiſcatur tui anima mea: poſt Chriſti dilectionẽ tu ſis lętitia mea: dul-

cis memoria beati nominis tui ſit releuatio mœroris & tędij mei. Tędet enim me nimis propter filios Edom, & habitatores Cedar, atque inquietas Babyloniç filias, quę in circuitu ambulant, foriſq; ſtantes in terram ſufflant, & inde ſibi puluerem in oculos excitant, ne alta cōſpicere queant. His autem relictis circa viles ſarcinulas, ſurſum gradatim pergā ad altare Dei, vbi lętificetur iuuentus mea. Ingrediar in interiora mentis meę, & tranſcendens eam, curram in latitudinem ditiſſimę patrię tuę. Tandem per te ad Deum meum aſcendam, tutuſque ſub alis eius in pace in idipſum dormiā & requieſcam. Non enim hic habemus manentem ciuitatem. Noſter autē municipatus in cœlis eſt. Expectamus Dominum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtrę configuratum corpori claritatis ſuę.

CAPVT XXVII.

ROgo te Hieruſalem ſancta per matrem claritatem, ne vnquam obliuioni tradas peregrinantem adhuc in terris Eccleſiam. Ne ceſſes orare pro parte tua, vt tuis fulta pręſidijs, copulari tibi mereatut in ſecula. Sancti Angeli,

geli, ſancti Archangeli, ſanctæ virtutes, ſanctæ poteſtates, ſancti principatus, ſanctæ dominationes, ſancti throni, ſancti Seraphin, ſancti Cherubin, ſancte Michael, ſancte Gabriel, ſancte Raphael, & tu ſancte Angele meus, cui me cõmunis conditor tradidit ad cuſtodiendum, & omnes adminiſtratorij ſpiritus, cunctique ſuperni ciues, atque omnes beatorum ſpirituũ ordines, intercedite atque orate pro me miſero & indigno ſeruo veſtro, ſimulque pro omni Eccleſia ſancta Dei, vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti: vt per veſtras orationes veſtro beato conſortio coniungamur in ſecula ſeculorum.

Angeli.

CAPVT XXVIII.

Medit. c. 14. Sancti Dei.

FOElices ſancti Dei: qui iam pertranſiſtis turbulentum pelagus huius mortalitatis, & perueniſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis, & pacis, atque iam fieri meruiſtis conſortes cœleſtium virtutum. Securi eſtis de vobis ſoliciti eſtote de nobis. Per ipſum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius contemplatione iam gaudetis, de cuius pulchritudine iam ſatiamini, de cuius immortalitate atque incommutabilitate immortales, & incõ-

muta-

mutabiles facti estis, estote memores nostri miserorũ, qui adhuc in salo hui⁹ vitæ circunstantibus percellimur vndis. Intercedite & orate pro nobis miseris, multumque negligentibus peccatoribus constanter & indesinenter, vt vestrarum vlnis orationum ad Deum nostrum portemur. Sumus namque fragiles, & nullius virtutis homunciones, ventris animalia, & carnis mancipia. Vos autem portæ fortissimæ in magnam porrectæ altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum longè inferius iacens. Nauigamus enim, sicut nostis, per hoc mare magnum & spaciosum, vbi sunt reptilia, quorum nõ est numerus: animalia pusilla cum magnis, vbi cetus magnus deuorare trãseuntes semper paratus: vbi loca periculosa, Scylla & Charibdis, & alia nonnulla, in quibus incauti & in fide dubij patiuntur naufragia. In omnibus itaque vestro indigemus auxilio. Ligno quidem ferimur, & per crucem Domini ad portum transire speramus. Fugiant partes aduersæ viso Christi signo. Orate Domini patres, & dulcissimi seniores, omnia agmina cœlestis patriæ, vt vestris meritis, vestrisque sanctis orationibus salua naue & integris mercib⁹

secu-

ſecurũ perpetuæ gloriæ portum valeamus fœliciter introire: vbi vos eſtis, vbi gaudetis, vbi cũ Deo ſine fine regnatis. Tu præcipuè, tu ante omnes & ſuper omnes regina cœli, & Domina terræ, virgo ſemper ſanctiſſima, mater Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti: tu ora pro nobis, & aſſiduè, imò inceſſanter intercede pro me peccatore famulo tuo, & pro omni Eccleſia ſancta Dei, pro remiſſione peccatorum, pro expurgatione vitiorum, pro augmento perfectioneq́; virtutum, pro pace & ſanitate fidelium populorum, pro fructibus terræ, pro ſtabilitate Eccleſiæ, pro ordine ſanctorum, & pro cunctis famulis & famulabus Dei tam viuentibus quàm defunctis: vt genti peccatrici, & populo pleno peccatis, tuis precibus tuiſque ſanctis meritis miſereatur nobis omnipotens Deus hic & in perpetuum.

CAPVT XXIX.

BEati, & verè beati, quos elegiſti, vocaſti, iuſtificaſti & magnificaſti Domine, ecce lætantur coram te. Gaudent gaudio magno, & gaudij eorum non erit finis. Felix anima, quæ ponit nidũ ſuum in petris, & de ſummis rupibus cõtemplatur eſcam. Deſpicit infima, & vilia

lia

lia sunt ei cuncta transeuntia. In montes leuat oculos, & in Solis radium dirigit intuitũ. Ad condensæ vallis obscura campestria nullo trahitur desiderio, sed suspirat & dolet, trahi pro carnis conditione se videns, ne vmbra terrę interueniat, & à veri solis lumine dirimat. Quàm amabilia tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit anima mea intrare in atria domus tuæ. Dum sumus in corpore, peregrinamur à te. Ideò duce gratia tua intro in cubile meum, & canto tibi amatoria rex meus, & Deus meus, gemens inenarrabiles gemitus in peregrinatione mea, & recordans Hierusalẽ, extento in eam sursum corde, Hierusalẽ patriam meam, Hierusalem matrem meam. Teque super eam regnatorem, illustratorem, patrem, tutorem, maritũ, castas & fortes delitias, & solidum gaudium, & omnia bona ineffabilia, simul omnia, quia vnum, summum & verum bonum: & non auertar, donec in eius pacem matris charissimæ, vbi sunt primitiæ spiritus mei, colligas totum quod sum, à dispersione & deformitate hac, & conformes atque confirmes in æternum Deus meus misericordia mea. Cõfes. 11. c. 16.

CA-

CAPVT XXX.

DVlciſſime, benigniſſime, amantiſſime, chariſſime, ſuauiſſime, pretioſiſſime, deſiderantiſſime, amabiliſſime, pulcherrime, iucundiſſime, clariſſime, ſplendidiſſime, omni melle dulcior, omni lacte & niue candidior, omni nectare ſuauior, omni margarito & auro precioſior, omnibus mundi diuitijs, cũctiſque regnorum opibus mihi charior: & quid dico? Deus meus, vita mea, vna ſpes mea, prægrandis miſericordia mea, dulcedo mea, nõ fallax, dulcedo fœlix & ſecura: quid dico, cùm talia dico? Dico quod valeo, ſed non dico, quod debeo. Vtinam poſſem talia, qualia illi hymnidici Angelorum chori. O quàm libẽtiſſimè me in tuis laudibus nocte & die totum effunderem. O quàm deuotiſſimè illa cantica cœleſtis melodiæ ad laudẽ & gloriam nominis tui in medio Eccleſiæ infatigabilis perorarẽ. Sed quia talia non poſſum, nunquid tacebo? Væ tacentibus de te Domine, qui ora mutorũ reſoluis, & linguas infantiũ facis diſertas. Quis dignè te Chriſte laudare poteſt? Loquaces etiam muti ſunt, cùm tuas laudes dicunt. Sed quid faciam ego exiguus homo, qui te valde laudare, &

nimium

nimium diligere volo? Dicam interim quod valeo, donec iubeas me venire ad te, & mirabilem domum magnificentiæ tuæ inhabitare, vbi possim dicere quod & te decet, & me oportet.

CAPVT XXXI.

ET ideò rogo piè, ne respicias tantum ad id, quod modò dico, quantū ad id, quod dicere volo. Volo enim de te dicere, sicut oportet, sicut decet, quia te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor. Omnis spiritus & cuncta creatura laudat creatorem. Laudet te homo magna portio vniuersæ creaturæ. Tu scis, occultorum cognitor, quia non solùm terra, & omnibus quæ in ea sunt, sed etiā ipso cœlo, & omnib. quæ in eo sunt, tu mihi carior & acceptabilior, tu dulcior, & amabilior es. Diligo te supra cœlum, terram, maria, & supra omnia quæ in eis sunt: Nihil terrenum, nihil carnale, nihilque transitorium quærat vel amet anima mea. Te autem solum, & domū tuam decoram & spaciosam, contemplantem te semper pulcherrimum Dominum, omni quęrā studio, totoq; diligam corde, dum spiritus hos reget artus: vt videam bona tua, quę præparasti dili-

gen-

gentibus te in terra viuentium. Amo te Deus me⁹, amo, & magis magisq; amare volo. Da mihi speciose præ filijs hominum, vt desiderem te, vt amem te, quantum volo, quantum debeo. Immensus es, & sine mensura debes amari, præsertim à nobis, quos sic amasti, sic saluasti, pro quibus tanta & talia fecisti.

CAPVT XXXII.

AMor qui semper ardes, & nunquam extingueris: dulcis Christe, bone Iesu, charitas Deus meus, accende me totũ igne tuo, amore tuo, dilectione tua, desiderio tuo, charitate tua, iucunditate & exultatione tua, delectatione & suauitate tua, voluptate & concupiscentia tua, quæ sancta est & bona, quæ casta est & munda, vt totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ vaporatus, diligam te Dominum meũ dulcissimum & pulcherrimum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex totis viribus meis, & omni intentione mea, cum multa cordis contritione, & lachrymarum fonte, cum multa reuerẽtia & tremore, habens te in corde & ore, & præ oculis meis semper & vbique, ita vt nullus in me adulterinis amoribus pateat

pateat locus. Non enim eſt charitas tua Deus in mente illa, quæ alios præter tuũ habet amores. Quæ autem participatio luci ad tenebras? Bonum & malum ſicut dulce & amarũ, inuicẽ ſibi cõtraria ſunt. Amor mundi nox eſt & caligo. Anxiꝰ eſt, & cæcus: & miſeros, quos poſſidet, grauiter torquet, & non patitur eos quietos eſſe. Amor tuus, amor verus & ſanctus, animas quas tenet, dulcedine ſimul & quiete replet illuminans eas intimæ viſionis perſpicua luce. Panis dulciſſime ſana palatum cordis mei, vt ſentiat ſuauitatem amoris tui.

Amor mundi. Amor Dei.

CAPVT XXXIII.

ROgo te per myſterium ſanctæ incarnationis & natiuitatis tuæ, infunde multitudinem dulcedinis & charitatis tuæ pectori meo, vt nihil terrenum aut carnale deſiderem, vel cogitem, ſed te ſolum amem, te ſolum cogitem, te ſolum deſiderem, te ſolum habeã in corde & in ore. Tu ſolus ſis ſtudium & exultatio mea, iucunditas & meditatio mea. Te mediter per diem, te alloquar per ſoporem in nocte. Chariſſime obſecro per paſſionem & crucem tuam, reple cor meum tua inextingui-

bili

bili dilectione, tua continua recordatione, adeò vt totus ſicut flamma vrens ardeam in tui amoris dulcedine, quē & aquæ multæ in me nunquam poſſint extinguere; nunquam poſſint corrumpere, nunquam poſſint minuere. Amantiſſime Domine, per charitatem, qua poſuiſti animam tuam pro grege tuo, ſupplex deprecor, ſcribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui melli flui nominis, nulla vnquam obliuione delendam. Scribe in tabulis cordis mei mandata & voluntatem tuam, legē & iuſtificationes tuas: vt te immenſæ dulcedinis Dominū & præcepta tua sēper & vbique habeam præ oculis meis. Quàm dulcia faucib. meis eloquia tua? Da mihi tenacem memoriam, vt nō obliuiſcar ea. Deſiderantiſſime ſuccende mentem meam igne illo, quem miſiſti in terram, & voluiſti vehemēter accendi, vt ſacrificium ſpiritus contribulati & cordis contriti obortis lachrymis quotidie offeram tibi. Suauiſſime da mihi gratiam lachrymarum, ſignum amatoris tui, viaticum & ſolatium peregrinationis meæ: vt quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſideret & ſitiat ad te Deum fontem viuum pec-

catrix

catrix anima mea. Fons vitæ, ex quo bibunt angelici spiritus, & iustorum animæ, da mihi potum delectabilem, & satia sitim cordis mei ex te, vt de ventre meo fluant aquæ viuæ.

CAPVT XXXIV.

PVlcherrime, rogo te per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui, quo sumus redempti, da mihi cordis contritionem, & lachrymarum fontem, præcipuè dum preces & orationes meas tibi offero, dum tuæ laudis psalmodiam decanto, dum mysterium nostræ redemptionis manifestum misericordiæ tuæ indicium recolo, vel profero, dum sacris altaribus, licèt indign9, assisto, cupiēs offerre illud mirabile & cœleste Sacrificiū omni reuerentia & deuotione dignū, quod tu Domine meus sacerdos immaculate instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tuæ charitatis, mortis scilicet & passionis pro salute nostra, pro quotidiana reparatione fragilitatis nostræ. Per resurrectionem, & tuam in cœlum ascensionem, supplico bonitati tuæ mellifiue Domine, doce me semper per Spiritum sanctum tuum tantum tracta-

Sacrament. Eucharistiæ.

tractare mysterium ea reuerentia & honore, ea deuotione & timore, quo oportet & decet. Magnum quippe & ineffabile constat esse sacramentum, in quo tua caro in veritate editur, & sãguis tuus in veritate bibitur. O pauendum reuerendumque mysterium, ad cuius intuendam altitudinem humanus reuerberatur intuitus. Per ipsum sacrosanctum & viuificum mysterium corporis & sanguinis tui, humili prece clementiam tuã deposco rex Christe, rex pie, da mihi gratiam lachrymarum, quam multum desiderat & à te petit anima mea: quia sine te non possum habere eam. Da mihi gratiam hanc, sicut dedisti patribus meis, quorum vestigia debeo imitari. Benedicte & amabilis Deus, tu cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, cuius velle facere est, cuius voluntas opus est, da mihi gratiam lachrymarum, & fac me hostias acceptabiles tibi offerre ad altare tuũ in spiritu humilitatis, & in animo cõtrito cũ cordis puritate, & lachrymarũ fonte, adeò vt seruitus mea tibi cõplaceat, & obsequiũ meũ rationabile fiat per gratiã tuã, & sacrificiũ saluationis nostræ per exhibitionẽ ministerij mei te miserante & donante perueniat

ad

ad salutem omnium fidelium tam vi-
uorum quàm defunctorum. Confirme-
tur mens mea inter tanta mysteria dul-
cedine præsentiæ tuæ, sentiat te sibi ad-
esse & lætetur coram te. Ignis, qui sem-
per luces, amor, qui semper ardes, dulcis
Christe, Iesu bone, lumen æternum, &
indeficiens, panis vitę, qui nos reficis, &
in te non deficis. Comederis quotidie, &
semper integer manes: resplende mihi,
accende me, illumina, & sanctifica vas
tuum, de malitia euacua, imple de gra-
tia, & plenum conserua, vt ad salutem
animæ meæ manducem cibum carnis
tuæ: quatenus manducando te, viuam
de te, vadam per te, perueniam ad te, re-
pausem in te. Qui enim manducat te,
ipse viuit propter te. Hoc autem agen-
dum, hoc certè frequentandum com-
mendasti Ecclesiæ, quousque venias in
finem seculi, quando erit sanctorum re-
quies non adhuc in sacramento, quo in
hoc tempore consociantur membra tua,
quamdiu bibitur, quod de latere tuo
manauit, sed iam in ipsa perfectione sa-
lutis æternæ, cùm tradideris regnum
Deo Patri, vt in illa perspicua contem-
platione tuæ incommutabilis veritatis
nullis mysterijs egeamus.

CAPVT XXXV.

IN hac quidem vita miserijs erroribusque plenissima haberi non potest cōtemplatiuæ perfectio vitæ. In illa autem est, vbi videri, & perfectè amari, atque dignè laudari potes. O summum perfectumque bonum, manu sancti desiderij ad te rapiatur fides mea. Habeat attonitos in te oculos mens mea. Non deficiat hic amando, vt illic valeat gaudere videndo. O summum solidumque gaudium, nullam extra te quærat lætitiam animus meus. Manducat te angelus ore pleno, & peregrinus homo manducet pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Exultate in rege vestro filiæ Hierusalem. Cernitis facie ad faciem, quem diligit anima mea. Comedite & satiamini amicæ, bibite & inebriamini charissimæ. Adiuro vos filiæ Sion, vt annuncietis dilecto meo, quia amore langueo. Dilectus meus misit manum suam per foramen, & vēter meus tremuit ad tactum eius. In lectulo meo quæro per noctes, quem diligit anima mea. Declinauerat ille, atque transierat: anima mea liquefacta est, vt locutus est: Cur fugis dilecte mi? cur fugis? Surrexi & pessulum ostij mei tibi aperui.

perui. Veni, ingredere in animam meã, & coapta eam tibi, vt habeam te velut ſignaculum ſuper cor meum. Fortis eſt vt mors dilectio. Quis nos ſeparabit à charitate tua? Aquæ multæ non poſſunt extinguere eam. O dulcedo amoris, & amor dulcedinis, comedat te venter meꝰ, & nectare tui ſaporis repleantur viſcera mea, vt eructet mens mea verbum bonum. Charitas Deus meus, mel dulce, lac niueum, cibus es grandium: fac me creſcere in te, vt ſano palato poſſis manducari à me. Aſcendiſti in cœlum cum triumpho gloriæ. ſedes ad dexteram Patris rex pulcherrime. Trahe me poſt te in odore vnguentorum tuorũ per montes & paſcua, per veſtigia ceruorum, vſque in domum genitricis meæ, & in cubiculum dilectiſſimæ ſponſæ tuæ. Ibi te apprehendam, tenebo, & non dimittã. Ibi me docebis virtus & ſapientia Patris omnem ſcientiam, ita vt nihil me lateat. Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ: candor lucis æternæ da cœleſtem menti conſcendere ſedem. Da fontem luſtrare boni, da luce repertã. In te conſpicuos animi defigere viſus: vt in præſenti quidem miſeria ſolo corpore tenear, tecum autem cogi-

tatione,& auiditate,atque omni deſide-
rio ſim ſemper:quatenus ibi ſit cor meũ,
vbi tu es,theſaurus meus deſiderabilis,
incomparabilis, multumque amabilis.
Margarita pretioſiſſima, & gemma ni-
mis decora, ſpretis omnibus te ſolam
infatigabiliter quærat anima mea. Ro-
bur ſalutis noſtræ Chriſte Deus, quem
quæro,quem amo, tu da mihi te quæ-
rendi vires,qui inuenire te feciſti, &
magis magiſque te inueniendi ſpem de-
diſti.Tu vita,qua viuo, ſpes,cui inhæ-
reo,gloria,quam adipiſci deſidero, tu
mihi cor tene,mentem rege, intellectũ
dirige,amorem erige, animum ſuſpen-
de,& in ſuperna fluenta os ſitientis te
ſpiritus trahe.

CAPVT XXXVI.

TAceat quæſo tumultus carnis, con-
ticeſcant phantaſiæ terrarum, & a-
quarum,& aëris,& poli. Taceant ſom-
nia,& imaginariæ reuelationes : omnis
lingua,omne ſignum, & quicquid trã-
ſeundo fit.Sileat ſibi & ipſa anima, &
tranſeat ſe non cogitando ſe. Tu Deus
meus,tu mihi loquere ſolus,per te,non
per ea quæ feciſti : vt ſine iſtis audiã te:
& quia tua plena valida eſt vt mors di-
lectio.Abſorbeat obſecro mentem meã
ab

ab omnibus quæ ſub cœlo ſunt, ignita & melliflua vis amoris tui: vt tibi ſoli inhæream, ſolaque tuæ ſuauitatis memoria paſcar. Remoue Domine cuncta obſtacula. Secretum quietis da corpori & animæ meæ. Deſcendat Domine, deſcendat precor, deſcendat in cor meum odor tuus ſuauiſſimus, amor tuus mellifluus, tuique ſaporis illa mira & inenarrabilis fragrantia, quę in me æternas iugiter ſuſcitet concupiſcentias, & ex pectoris mei antro producat aquę veniẽ ſalientis in vitam perpetuam, ſcilicet vt ipſo cordis palato ſentiam, guſtem & ſapiam, quàm dulcis & ſuauis es Domine.

CAPVT XXXVII.

ROgo te per omnes miſerationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis ſubuenire dignatus es, mollifica cor meum durum & lapideum, ſaxeum & ferreum, tua ſacratiſſima atque mirabili & potenti vnctione, & fac me per ignem compunctionis coram te omni hora hoſtiam viuam fieri. Fac me in tuo conſpectu cor contritum & humiliatum ſemper habere. Fac me tuo deſiderio huic mundo funditus extingui. & trãſeuntium rerum penitus obliuiſci

præ magnitudine timoris & amoris tui: adeò vt nec lugeam de temporalibus, nec gaudeam: nec metuam aliquid temporale, nec diligam, nec blandis corrũpar, nec aduersis concutiar. Opto enim, & tota mente mea peto dari mihi panẽ lachrymarum, quem manducem nocte ac die, dum dico fluctuanti animæ Quare tristis es misera? quare turbaris peregrina? Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Veniens veniet, & satiabit te de se, cùm apparuerit gloria eius. Hoc satage tantùm, vt cũ iustitia in conspectu eius appareas. Miserere mei Domine, miserere mei: suscipe preces serui, & da mihi effectum petitionis & desiderij mei. Præpara hanc mensam ante faciem famuli tui, & da mihi eam in potestate, vt quo i scunq; voluero, satier ex ea. Da mihi cordis cõtritionem, & lachrymarum fontem. Tribue pro pietate & bonitate tua, vt iste calix tuus inebrians quàm præclarus satiet sitim meam, & inhiet tibi spiritus meus, & ardeat mens mea in amore tuo, oblita vanitatis & miseriæ. Recordor Domine, recordor pie, illius sanctæ mulieris, quæ ad tabernaculum rogatura venit, quæ multis lachrymis dari sibi filium

lium petijt, de qua ſcriptura refert, quòd vultus eius poſt lachrymas & preces nō ſunt ampliùs in diuerſa mutati. Recordor, inquam, tantæ fidei, tantæque conſtantiæ, & dolore torqueor, & verecundia confundor, quia ego miſerrimus nil tale facio, qui non infima, ſed ſumma peto. Si enim ita fleuit, & in fletu perſeuerauit mulier, quæ quærebat filium, quomodo plangere, & in planctu perſiſtere debet anima, quæ quærit Deum? Plangat obſecro anima mea Deus me⁹, plangat, & à planctu non deſinat cœleſti viſitatione compuncta. Plangat anima mea Deus meus, plangat, quæ non quærit poſteritatem morituræ prolis, non perituras diuitias, non fugitiuos honores, non terrenum aliquid vel carnale. ſed te quærit Deum, te optat habere ſolum ſummum & verum bonum. Deducant oculi mei Domine diuiſiones aquarum te miſerante & donante, cui omnia poſſibilia ſunt, & nihil difficile. Si mulier illa, quæ te Domine in ſepulchro iacentem quærebat, tantis lachrymis inundauerat, tantoque mentis feruore te, quem amabat, videre deſiderauerat, vt recedentibus alijs ipſa nō recederet, & tuo nimio amore plena,

 locum

locum ſepulturæ iterum iterumque viſura adiret. Stetit, perſeuerauit, inuenit tandem quod deſiderauit. Illi enim te præ cæteris amanti, & ſtudioſius omnibus quærenti, primitus apparere dignatus es, quia virtus tanti amoris perſeuerantia fuit. Quo itaque ſtudio, quibus lachrymis, quaue ſancti deſiderij inſtãtia nocte ac die per omnes dies vitæ noſtræ te omnium Dominum iam in cœlis regnantem, & omnia ſub tuo imperio tenentem, quærere, venerari & amare debemus? Tu autem rex regum ore tuo ſancto & benedicto dixiſti: Sine me nihil poteſtis facere, & ita eſt Domine, & vera eſſe ſine dubio verba tua iam ipſa nos experientia docuit. Et iuſtũ eſt, vt ita ſit: quia ſi caducus homo ſeſe extollit de munere clementiæ tuæ, & cæteros deſpiciens pro tuis donis ac datis, ſtultus ac cæc⁹ putat ſe aliquid eſſe: quid faceret, prô dolor, ſi ſua poſſet virtute quippiam boni perficere?

CAPVT XXXVIII.

Superbia. Mitiſſime Chriſte, totius humilitatis magiſter, ſuperbis reſiſtis, & gratiam præſtas humilibus. Audiat hoc homo miſer, & timeat ſuperbire. Superbiẽtibus

tibus enim angelis non pepercisti Caput & rex superborum cum suis omnibus complicibus præsumptæ pœnas superbiæ luit, & luet in secula seculorum. Vnde ego vltimus seruorum tuorum flebilis & supplex in toto corde meo rogo pie & exorabilis Domine te per omnipotentem & pijssimam bonitatem tuam, qua iustificas impios, & viuificas mortuos, & mutas peccatores, & non sunt, vt non permittas dirissimam pestem superbiæ dominari, vel aliquatenus inesse seruo tuo, neque in membris corporis mei, neque in interioribus sensibus animæ meæ. Imploro pietatem tuam per virtutem sanctæ humilitatis & charitatis tuæ, repelle à me omnem elationem & ostentationem, omnem arrogantiã & contumaciã, omnemp rotervian & pertinaciã, omnẽ procacitatem & tumorem, contentionem & inobedientiam, calliditatẽ & simulationẽ, omnes fastus superbiæ, cunctosque appetitus inanis gloriæ, omnia simul genera tantæ pestis, tantæque malitiæ. Nõ sit Domine, neque videri possit vllum tanti mali signũ, tantæque perditionis in seruo tuo, neque in moribus meis, neque in verbis, neque in factis, neque

corã te in cogitationibus meis. Qui fundasti terram super stabilitatem suam: qui sanctos angelos tuos post casum præuaricatoris & refugæ tales effecisti, & adeò incommutabiles reddidisti, vt iam nec velint, nec possint cadere: funda me, stabili me, perfice me in vera & profunda humilitate, in vera & perfecta charitate, simulq; in cæteris bonis tuis, quæ tibi placent in veritate, cum tanta firmitate, & perpetua stabilitate, vt cor meum nec velit, nec possit vnquam extolli de tuis donis ac datis, nec anima mea valeat vllo impulsu à te separari. Omnia quæcunque voluisti, fecisti, & in cœlo sursum, & in terra deorsum. Ex toto corde meo credo, corde credo, ore confiteor, quia tu potes hoc facere, & omnia quæ peto, in me adimplere. Cũctarum fons & origo, largitor & conseruator virtutum Deus, da mihi ergo supplici tuo bona tua, quæ tibi placent in veritate, cum tanta & tam profunda humilitate, vt nullus in me pateat locus insidijs inimicorum.

CAPVT XXXIX.

Contere & prosterne sub pedib. meis præcipuè durissimum spiritum superbiæ, & cenodoxiæ, inuidiæ & blas-

phemiæ, turpitudinis & immunditiæ, crudelitatis & immisericordiæ, atq; omnimodę hypocriseos, & falsę vitę. Tu qui aduersæ dominationis vires reprimis, cui nulla virtus, nulla potestas potest resistere, da mihi virtutem & potestatem calcandi leonem & draconem, aspidem & basiliscum, & omnia venena diaboli, vt non præualeāt aduersum me famulum tuum sperantem in te. Muni me beatorum Angelorum tuorum pia & fida custodia hic & vbique, nunc & semper, vt hostes omnium bonorum confusi discedant. Præsta misericors, vt sim paruulus in oculis meis, quatenus coram te plenam inueniam gratiam. Illud holocaustum tuum, quod sæpe inquinatur in luto aquarum multarum, laua obsecro, & munda assiduo fonte lachrymarum. Per veram pœnitudinem, & lachrymarum compunctionem, talē me esse concede pro pietate tua in ipso mortis articulo, qualem me fieri per aquam regenerationis creator altissime præstitisti in ipso baptismatis fonte. Miserere Domine, & fac propter te. Suscipe preces serui tui, & faue votis meis. Da mihi gratiam istam, quam nō possum nisi per tuam habere misericor-

diam. Quis habet quicquam non tuum? Multa namque mihi deflenda sunt, & multas opus habeo lachrymas. Non taceat pupilla oculi mei: clamet ad te in fortitudine magna, in spiritu humilitatis, & in animo contrito producens verum fontem lachrymarum iugiter emanantem, ex multo amore & desiderio tuo. Tu Domine dixisti: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eũ, & manifestabo ei meipsum.

CAPVT XL.

QVapropter precor clementiam bonitatis tuæ per illa salutifera vulnera, quæ passus es in cruce pro salute nostra, ex quibus emanauit ille pretiosus & viuificus sanguis, quo sumus redempti propitiabili dignatione: rogo inquam te per hanc miram & inenarrabilem charitatem tuam, qua nos sic amasti, & ita mirabiliter saluasti, faciens tanta & talia pro captiuis & miseris tuis: obsecro & suppliciter rogo iterũ iterumque omni qua valeo virtute, vulnera hanc animam peccatricẽ, pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam i-

gneo

gneo & potētissimo telo tuę nimiæ charitatis. Viuus es sermo Dei, & efficax atque penetrabilior omni acutissimo gladio. Tu gladius bis acute cordis duritiam scinde, & vulnera hanc animam peccatricem, atq; altiùs penetra ad intima potenti virtute, & sic da capiti meo aquam immensam, oculisque meis verum lachrymarum fontem nocte ac die currentem infunde ex nimio affectu & desiderio visionis pulchritudinis tuæ, vt lugeam iugiter cunctis diebus vitæ meæ, nullam in præsenti vita recipiens consolationem, donec te in cœlesti thalamo merear videre dilectum & pulcherrimū sponsum Deum & Dominum meum, vt ibi videns gloriosam & admirabilē, omnique plenam dulcedine faciem tuam cum his, quos elegisti pulcherrimè, adorem maiestatem omnipotentiæ tuæ dulcissime: illoque tandem cœlestis exultationis ineffabili repletus iubilo, exclamem cum omnibus te diligentibus, dicens: Ecce, quod concupiui, iam video: quod speraui, iam teneo: quod desideraui, iam habeo. Illi iam in cœlis iunctus sum, quem in terris positus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus sum, toto amore in-

hæſi. Gloria Patri, qui fecit nos. Gloria Filio, qui redemit nos. Gloria Spiritui ſancto, qui ſanctificauit nos. Sit laus, ſit benedictio, ſit gratiarumq; actio, ſummæ & indiuiduæ Trinitati per infinita & indefeſſa & immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

MVlta igitur ſunt cõtemplationum genera, quibus anima tibi Chriſte deuota delectatur & proficit: ſed in nullo earum ita gaudet mens mea, ſicut in illa, quæ cunctis remotis in te ſolum Deum attollit ſimplicem puri cordis intuitum. O pax, ô requies, ô gaudium, quibus tunc temporis fruitur anima tibi intenta. Ecce dum diuinæ theoriæ mens mea ſuſpirat, & tuam Domine pro captu ſuo meditatur & loquitur gloriam, ipſa carnis ſarcina minùs grauat: cogitationum tumultus ceſſat: pondus mortalitatis & miſeriarũ more ſolito non hebetat: ſilent cuncta: tranquilla ſunt omnia: cor ardet, animus gaudet, me-

moria

moria viget, intellectus lucet, & totus spiritus ex desiderio visionis pulchritudinis tuæ accensus, in inuisibiliũ amorẽ rapi se videt. Idcircò nõ præsumptionis temeritate, sed magna tui desiderij auiditate huic defloratiunculæ ad laudẽ tuam operã dedi, vt breue & manuale verbum de Deo mecum semper haberẽ, ex cuius lectionis igne quoties tepesio, in tuum reaccendar amorem. Quoniã enim in medio laqueorũ positi sumus, facilè à cœlesti desiderio refrigescimus. Assiduè itaque indigemus munimento, vt expergefacti ad te nostrum verũ & summũ bonum, cùm deflexiumus, recurramus. Sed ignosce rogo Domine, ignosce mihi indignissimo & infœlici tecũ de te diutius colloqui seruo. Ignosce pie mihi misero. Amore enim tui nominis nimio labia mea tibi aperui, & præ dulcedine charitatis tuæ tãta verba expressi. Sed quid super hoc loquar ad Dominum meum, cùm sim cinis & puluis? Nonne omnes iustitiæ nostræ sic sunt coram te, velut pannus menstruatæ, nisi purissima iustitia tuæ fue-

fuerint iustificatæ? Astra non sunt mũda. Quis glorietur castum cor habere? Immensa tamen multitudo pietatis & bonitatis tuæ non aspernatur sermones humilium. Qui suscepisti substantiam hominu, voluntatem timentium te facis, exaudiens preces eorum. Ceterùm quia licet nobis paruulis laudes honoris tui vel balbutiendo aliquatenus decantare suscipe rogo sacrificiũ laudis de manu linguæ meæ de cordis amore. Respice sereno vultu ad hoc meæ exiguitatis, quod tibi offero, munus, & dignabili propitiatione tantillã fidei meæ cõfessionẽ accipe benigne amator hominũ: vt quod à te venit, ad te reuertatur. Exteriora .n. quæ possim offerre munera nõ habeo. En tibi reddo ea quæ sunt in me vota laudationis ex misericordiæ tuæ dono. Reddo itaque, reddo tibi creatori Deo de donis tuis gratias, & suppliciter cũ Propheta dico: Omnia opera nostra operatus es nobis. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarũ actio per infinita & indefessa, & immortalia secula seculorum, Amen.

FINIS.

EXPOSITIO MISSAE ROMANAE

CAPVT I.

QVotiens contra se diuersarum atque aduersarum partium acies & castra cōsistunt, solent turmarum principes suos quisque subditos confortatorijs sermonibus admonere, antiquas parentum victorias & facta fortia replicare, Deū semper in tribulationibus fieri adiutorem, non esse apud eum differentiam saluare, vel in multitudine, vel in paucis: vt dum bellaturi milites verba exhortantis principis audientes, nonnullas ex parentum exemplis vires recolligunt, de Deo maxima sperent, atque humiliter ad debellanda aduersariorum castra procedant, Dei se totos arbitrio committentes, vt ipso in omnibus præliante, victoriam consequantur. Buccina etiam inter ipsa bellantium certamina clangitur, quo semper animus ad spem victoriæ excitetur. Et quanto vehementior fuerit clangor, tanto fit ad certamen animus fortior. Secundùm hanc itaque

Sermo.

Buccina.

itaque militarem consuetudinem, in celebrandis quoque Missarum solennitatibus, ab ecclesiarum principibus institutum est, vt primò quidem antiphonæ ad introitum plenæ Dei laudibus & victorijs mediante sanctæ atq; indiuiduæ Trinitatis gloria decantentur, necnon

Kyrie eleison.

& Kyrie eleison, id est, Domine miserere, & Christe eleison, id est, Christe miserere, flebilibus atq; prolixioribus vocibus conclamato. Deinde, Gloria in excelsis Deo dicatur: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hinc prophetica, vel apostolica lectio, sancta & salubri admonitione plenissima recitetur: quam & prophetarum & Apostolorũ omniũ Domini, doctrina euãgelica, more tubæ, Prolixius atque altius concrepans, consequatur, interpositis sanæ cantilenæ suauitatibus, ac Dei laudibus sublimiùs modulatis. Præparatio enim est & excitatio animorum, vt animus populi à mundanis cogitationibus his omnibus paulatim auulsus, ad cœlestia cogitanda ac desideranda trahatur: quatenus eo tempore, quo à sacerdote salutatus admonetur, vt sursum habeat cor, verissimè valeat respondere: Habemus ad Dominum. Nam si tempore huius

tam

tam arduæ respõsionis animus cuiusquã curis secularibus degrauatur ac premitur, & se sursum habere cor ad Dominũ mentiens protestatur: inde incurrit pœnam, vnde poterat veniam promereri. Inde ab hoste prosternitur, vnde hostem poterat superare. Scriptum enim: Os, quod mentitur, occidit animam; &, Perdes omnes, qui loquuntur mendacium Purificandus est itaque orantium animus, & cum Dei adiutorio ad cœlestia cogitanda ac desideranda leuãdus, vt & pœnam mendacij possit euadere, & hostes suos quantò fortius orãdo bellauerit, vel proste nere, vel fugare. Sciendum enim, quod sicut vita corporis anima est, ita vita animæ Deus est: & sicut recedente anima moritur corpus, ita recedente Deo moritur anima. Si autem os, quod mentitur, occidit animam: ergo & os, quod verum dicit, viuificat animam. Ore igitur mentiente, recedente Deo moritur anima. Ore autem vera dicente, Deo accedente, viuificatur, in illis duntaxat sermonibus, qui & boni sunt, & ad ędificationem opportunitatis proferuntur, & audientibus gratiam dant. Tantũ denique merebitur cuiusq; tũc ex circumstanti-

ſtantibus anima Deo miſerante viuificari, quantum ſurſum ſe habere cor veracius ore reſponderit: & tantò amplius Dei offenſione mortificabitur, quantò id in conſpectu eius mendacius præſumpſerit reſpondere. Illud etiam ſummopere aduertendum eſt, quòd corpus humanum, cùm & oculos habeat, & aures & nares, & os, & manus, & pedes, deſertum tamen ab anima, neque oculis videre, neque audire auribus, neque naribus aliquid odorari, neque ore quicquã guſtare, neque manibus aliquid operari, neque pedibus valet vllatenus ambulare. Anima quippe manens in corpore & per oculum videt, & audit per aurem, & naribus aliquid odoratur, & loquitur per os, & manibus aliquid tangit, & pedibus ambulandi gratiam ſubminiſtrat. Cùm igitur oculus animæ, vis illa ſit, qua Deus vel intelligitur, vel videtur, auris qua voci eius humiliter obeditur, naris qua Chriſti odor percipitur, os quo ſuauitas eius guſtatur, manus qua operatur aliquis opus Dei, pes quo in eodem opere non deſiſtit: Deo qui animam viuificat, ab anima recedente, nihil horum ſine illo anima valet. Nam neque mundo corde Deũ poteſt vel intelligere, vel

vi-

videre, neque inclinare aurem suam in verba oris eius, neque odorem notitiæ ipsius in vitam percipere, nec gustare & videre quàm suauis est Dominus, nec aliquid boni operis vel meditari vel exequi, nec dilatato per charitatē corde, viā diuinorum currere mandatorum. Sicut enim corpus hominis ab anima vim accipit aliquid faciendi: sic etiam anima vim cuiusque boni semper à Deo accipit, quā deinceps corpori subministret. Vnde & sacerdos post omnia, quæ suprà memorauimus, populi oblatione suscepta, ac Deo interim breui oratiuncula commendata, in hanc protinus vocem erumpit:

DOMINVS VOBISCVM.

CAPVT II.

NEc verò vel sursum corda nostra erigere, vel dignas Deo gratias agere, vel vt nostræ voces laudibus virtutum cœlestium coniungātur, valebimus obtinere, nisi cum anima nostra Deus fuerit, vita videlicet sua. Quod etiam Dominus Iesus de semetipso ait: Ego sum via & veritas & vita. Ascensurus itaque in cœlum discipulis suis promisit dicens: Ecce ego vobiscum

sum

ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Et quodam loco in euangelio ait: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum ego in medio eorum. Salutat igitur ſacerdos populum: cùm dicit, Dominus vobiſcum: & orat, vt ſicut ipſe eſt dignatus promittere, quòd ſit cum Eccleſia ſua, in quanō ſolùm duo vel tres cōgregantur in nomine eius, verùm etiam innumerabilis hominum in ſe credentium multitudo. Hoc autem ſalutationis verbum, id eſt, Dominus vobiſcum, non humana excogitatione fictum atque compoſitū, ſed cœleſti & diuina authoritate ſuſceptum eſt. Nam & in veteri teſtamento

Iud. 6. legitur, quòd Gedeon vnus Iudicum populi Iſrael ab angelo ſalutatus audierit: Dominus tecum, virorum fortiſſime: & in nouo beatā & gloriosā ſemper Virginem Dei genitricem Mariam his

Luc. 2. verbis angelus ſcribitur ſalutaſſe: Aue gratia plena, Dominus tecum. Et iterum

Mal. 2. dicitur per Malachiam prophetam: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legē requirunt ex ore eius, quia angel' Domini exercituū eſt. Digniſſimè omnino & cōſequenter eis populū verbis ſalutat, quib. & illi cœleſtis patriæ ſpi-

ritus,

ritus, angelorum vocabulo & dignitate donati, homines, quibus aliqua nunciare miſſi ſunt, ſalutaſſe leguntur. Neque hoc nomine quilibet ſacerdos inſletur. Non enim dictum eſt, quòd omnis ſacerdos angelus Domini exercituum ſit, ſed ille videlicet ſolus, cuius & labia cuſtodiunt ſcientiam, & ex cuius ore lex Dei requiſita docetur. Studeat ergo in primis, qui hoc nomine delectatur, ſciẽtiam diuinæ legis habere per intellectũ, & cuſtodire per operationem. Studeat eandem legem Dei, quam & intelligit, & operatur, populo nunciare: & tunc demum tanto talique vocabulo dignum ſe eſſe non dubitet: vt ſcilicet angelus Domini exercituum & nominetur, & ſit.

CAPVT III.

ILlud etiam nullatenus prætermittendum puto, quod ab Epiſcopis populum ſalutantibus non ſolùm, Dominus vobiſcum, verùm etiam, Pax vobiſcum, vel, Pax vobis, ſoleat exclamari. Enimuerò neq; hoc magno myſterio vacat. Dicit namque Dominus in Euangelio de ſeipſo: Ego ſum paſtor bonus, & paulò pòſt: Sicut nouit me pater, & ego agnoſco Patrem: & animam meam pono Ioan. 10.

no

no pro ouib. meis. Nec non & post resurrectionẽ suã easdem oues suas cõmẽdans Apostolis, ait ad beatissimũ Petrũ:
Ioan.21. Pasce oues meas. In quibus pascendis vt se quoque pro eis moriendo imitaretur, adiunxit: Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas: cùm autẽ senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò non vis. Hoc autem dicebat, inquit euangelista, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Constat igitur Dominum Iesum Christum pastorem bonum rediturum ad Patrem, & relicturum mundo ad pascẽdum oues suas Petrum, & in Petro cæteros Coapostolos Petri: necnon & omnes Apostolorũ successores, id est, Episcopos loco proprio reliquisse, eos videlicet, qui charitate & ætate Petri, curam suscipiunt Petri, id est, non solùm principem pastorum Dominum Iesum plus cæteris diligentes, verùm etiam pro omnibus sibi creditis mortem subire parati. Hi ergo summi pastoris loco & vice agentes, consequenter oues sibi creditas, eiusdem summi pastoris voce salutant. Scriptum est in euan-
Ioan.20. gelio, quòd foribus clausis Dominus ad discipulos ingrediens, atque in medio

eorum

eorum consistens, hoc eos sermone salutauerit dicens: Pax vobis. In aliis quoque locis idem fecisse non ignoratur. Salutant ergo Episcopi populum voce summi pastoris, vt ostendant se loco summi pastoris oues eius non solùm pascere debere, verùm etiam pro eis mortem libentèr amplecti. Tam sancta itaq; & salubri oratione ac salutatione sacerdotis l benter accepta, ne salutationi eius videatur ingratus existere, resalutat populus sacerdotem dicendo:

ET CVM SPIRITV TVO.

CAPVT IV.

ORat autem, vt Dominus cum spiritu etiam Sacerdotis esse dignetur. Non paruam ergo resalutationis gratiã sacerdos à populo accipit. Sicut enim solus ille salutans Dominum, vt cũ omnibus esse dignetur, orauit, ita etiam ab omnibus ipse resalutatur, orantibus vt Dominus cum spiritu eius sit: scilicet vt Dominus sicut totus cum omni populo est, ita etiam cum spiritu Sacerdotis totus sit. Spiritus enim est Deus: & ideò vt cum spiritu Sacerdotis sit, à populo exoratur.

SVRSVM CORDA.
CAPVT V.

TAm beneuolè, ac reuerenter sacerdos à populo resalutatus, admonet eum, vt sursum habeat cor, quatenus accipere quod postulat à Domino mereatur. Nec verò deorsum cor habẽtes, quę postulant, merentur accipere. Quid est autem sursum habere cor, nisi quæ sursum sunt quærere, vbi Christus est in dextera Dei sedens? Quid est sursum habere cor, nisi quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram? Mortui enim estis, inquit Apostolus, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: Vitam igitur nostram, quę cum Christo in Deo abscondita est, mortificati omnibus terrenis concupiscentijs, suspirare debem⁹, vt ad illam semper corda nostra erigere valeamus. Quod illi non faciunt, qui mundum, & ea quæ in mundo sunt, diligunt. Omne enim quod in mundo est, vt Ioannes Apostolus ait, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorũ, & superbia vitæ, quæ non ex patre, sed ex mundo est. Quisquis ergo concupiscentias carnis, & concupiscẽtias oculorum in semetipso non mortificat per continentiam, sed magis per incontinẽ-

Coloss. 1.

1. Ioan. 2.

tiam

tiā viuificat, iste diligit mundum, & ea, quæ in mūdo sunt. Qui aūt diligit mūdū, sicut ait Apostolus, non est dilectio Patris in illo, & ideò debemus diligere Dominū Deū nostrū ex toto corde nostro, & ex tota mēte nostra, & ex tota virtute nostra, & proximos nostros, oēs videlicet homines, sicut nosipsos. Si .n. hoc gratia inspirante valuerimus implere, nullū in corde vel mēte nostra locū mundi dilectio poterit inuenire: sed calcatis atque mortificatis omnib. mūdanis concupiscentijs, verissimè hęc admonenti sacerdoti poterit responderi:

HABEMVS AD DOMINVM. CAPVT VI.

NEc parua nobis, si cor sursum habere curauerimus, merces promittitur. Ait enim suprà memoratus Apostolus contra eos quidem, qui mundum & ea quæ in mundo sunt diligunt: Et mundus transit, & concupiscentia eius. De illis verò, qui Deum ex toto diligere studēt corde, dixit: Qui autem fecerit voluntatem Domini, manet in æternū, sicut & ipse manet in æternum. Qui ergo cor deorsum inclinat, & mundum concupiscentiasque eius brutorum animalium more sectatur, transeunte mundo, & cō- 1. Ioan. 2.

cupiſcẽtijs eius ipſe etiam pariter pertranſibit. Non vbi fœliciter maneat, ſed vbi infœliciter ac miſerabiliter pereat in æternum. Qui autem corda ſua per dilectionem ad Deum erigunt, & vitam ſuam cum Chriſto in Deo abſconditam ſemper deſiderant, poſſuntque dicere cum Paulo Apoſtolo: Viuo autem iam non ego: viuit autem in me Chriſtus, &: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mũdo, &: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt: iſti ſine dubio voluntatem Domini faciunt. Hi ergo cum mundo & concupiſcentijs eius tranſeuntibus non trãſibunt atque peribunt, ſed manente Domino in æternum, qui voluntatem eius fecerunt, & ipſi pariter in æternum manebunt. Sed cur ſingula proſequamur, cũ conſtet nos ſemper orare debere, & nunquam deficere? Quid autem orare debeamus, ipſe Dominus & Saluator noſter edicit: Vigilate & orate, vt non intretis in tẽtationem. Quod etiam princeps Apoſtolorum beatus Petrus admonet dicens: Sobrij eſtote, & vigilate in orationibus. Ad quid? quia aduerſarius, inquit, veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Si ergo vigilandum nobis eſt, & orandum, vt non intre-

intremus in tentationem: tentatio autē per diabolum aduersarium nostrum nobis intenditur: manifestum est contra quas nobis sit hostium acies dimicandū: quas beatus Apostolus Paul⁹ oculis, vt ita dixerim, nostris proponit, cùm dicit: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mūdi rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Hi sunt illi fortissimi atque experientissimi hostes, qui nisi orationis assiduitate nequeunt debellari, monente nos eodem Apostolo, ac dicente: Sine intermissione orate. Ad hanc igitur pugnam in domum Domini sacris solennitatibus conuenitur, ipso Domino sic loquente: Domus mea, domus orationis vocabitur. Sed quoniam animus ad multa diuisus, tumultibus curarum secularium perturbatur, & non statim vt Ecclesiam ingredimur, omnium mundi huius sollicitudinum possumus obliuisci: quò purius & attentius, puriorem atque attentiorem orationem ad Dominum fundere valeamus.

GRATIAS AGAMVS DOmino Deo nostro.

CAPVT VII.

Ioan. 6. BAptista Ioannes in Euangelio dicit: Non potest homo accipere quicquã, nisi fuerit ei datum de cœlo. Ac ne putares te aliquid habere posse, quod nõn acceperis, hanc itaque sententiam Paulus implet: Quid enim habes, quod non accepisti? Et item ad discipulos Saluator ait: Sine me nihil potestis facere. Quo in se loquente Beatus Iacobus Apostolus ait: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descẽdens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Si ergo non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo, nihil habet, quod non accepit: vnde tantam dilectionem vel accipere poterit, vel habere, qua cor suum ad Deũ semper habeat, nisi datum fuerit ei de cœlo? etsi sine illo nihil possumus facere, per quem possumus mundum, & quę sunt in mundo despicere, & soli Deo ex totis mentis & corporis viribus anhelare, nisi per eum, sine quo nihil possum⁹? Aut quomodo sursum cor erigere possumus, vnde omne datum optimum, &

Iacob. 1.

omne

omne donum perfectum à patre luminũ, nisi ipso patre luminum, tantũ nobis donum suæ gratiæ conferente? Hortatur itaque sacerdos, vt qui tanta beneficia à Deo percipimus, pro acceptis beneficijs datori beneficiorum Deo ingrati non simus, sed condignas ei gratias pro acceptis tantis beneficijs exhibentes, non nobis tribuamus, quod facimus, sed illi qui operatur omnia in omnibus, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: vt dum nos recognoscimus nihil à nobis habere, totũ ad Deũ referamus, quod eo donante accepimus: & humilitatis nostræ memores in superbiam non leuemur, per quam in iudicium diaboli incidamus, vt in omnibus honorificetur Deus. per quem hanc ipsam quoque humilitatem habemus. Tam sancta igitur & salubri admonitione populus libenter accepta, sacerdoti cum magna deuotione respondet:

DIGNVM ET IVSTVM EST.

CAPVT VIII.

NIhil indigniùs, quàm largitori omnium beneficiorum Deo de bene-

neficijs ſuis quemlibet ingratum exiſtere. Nihil profectò eſt dignius, quàm ei etiam pro gratiæ ſuæ donis cum omni ſemper humilitate gratias agere. Per hoc enim non ſolùm nos memores noſtræ humilitatis efficimur, & ipſe in omnibus collaudatur: verùm etiam maiora apud illum & abundantiora beneficia & promeremur, & obtinemus. Quid eſt autem iniuſtius, quàm pro Dei beneficijs contra ipſum rebelli & ſuperba mēte tumeſcere? Denique proximis noſtris ex lege Dei iubemur malum pro malo non reddere. Si ergo iniuſtum eſt proximo malum pro malo reddere, quantò iniuſtius eſſe putemus, factori & liberatori noſtro, ~~& proximorum noſtrorum~~ Deo reddere mala ſuperbiæ pro bonis gratiæ ſuæ? Poſt hæc Sacerdos iam de populi deuotione ſecurus, reſponſionem eius veriſſima atteſtatione confirmat. Vnde & ſequens oratio, niſi fallor, conteſtata in commune vocatur. Mentem ſuam etiam ipſe totam erigit ſurſum, atque in his verbis excelſo ſupplicat Deo:

VERE DIGNVM ET IVstum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere.

CAPVT IX.

OMnes peccauerunt, inquit Apostolus, & egent gloria Dei: iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Dignum itaque proculdubiò est, vt qui omnes peccantes iustificauit gratis per gratiam suam, gratias sibi ab omnibus actas recipiat. Iustum omnino est, vt quia omnes peccauerunt, & omnes gloria Dei egent, & gratis per gratiam ipsius iustificati sunt, quando meritum habere nō potuerunt, saltem gratias agere non desistant. In tantum denique dignum & iustum est munus apud Deum actio gratiarum, vt non solùm hoc à nobis in præsentis vitæ corruptibilitate constitutis requirat, verùm etiam in futuro, vbi corruptibile hoc indutum erit incorruptione, & mortale hoc indutum erit immortalitate, & sine intermissione videbitur Deus Deorum in Sion sicuti est, attestante Propheta, qui ait: Beati, qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te.

te. Sed quoniam laudes & gratiæ Deo à nobis redditæ, non Deo, sed nobis proficiunt: ideò in hac tanta supplicatione subiungitur: Aequum & salutare. Nam æquus est secundùm naturam iustus, dictus ab æqualitate naturæ. Condidit autem Deus hominē nulla prauitate peruersum, sed omni bonitate rectum & æquum, ad imaginem scilicet ac similitudinem suam: vt non modò in illa terrena fœlicitate paradisi sobriè & piè viueret, verùm etiam in maiori quandoque & spiritali fœlicitate constitutus creatorem suum sine fine laudaret. Aequum est ergo, vt si volumus secundùm naturā nostram iusti esse, illud semper, ad quod creati sumus, facere studeamus: id est, in præsenti vita secundùm æqualitatem naturæ nostræ viuentes creatori nostro de beneficijs suis incessabiles gratias referamus: atque vt in futuro idipsum incessabiliter faciamus, ex toto semper affectu desideremus. Hoc enim in tantum nobis salutare est, vt aliter salui fieri nullatenus valeamus. Quia igitur æquū est, debemus hoc ex naturæ debito proprio creatori. Quia verò salutare est, necessarium etiam sine dubio nobis est ad æternam salutem. Quoties ergo, vt suprà dictum

dictũ est, Deo laudes & gratias agimus, ipsi quidẽ hoc & ex naturæ debito, & ex necessitate nostræ salutis exoluimus. Sed illi, qui nullo indiget, nihil proficimus. Nobis autem, si hoc negligimus, in tantum nocemus, in quantum deficimus in primi parentis nostri lapsu: qui cùm esset ad imaginem & similitudinem Dei conditus, ad æqualitatem & societatem angelorum quandoque perducendus, ad visionem & laudem conditoris proprij subleuandus, paradisi cultor, omnium & piscium maris, & volatilium cœli, & bestiarum vniuersæ terræ dominator, peccato carens, iustitia abũdans, vbi primùm per superbiam deprauatus, non solùm suo ingratus extitit creatori, verũ etiam Deo similis, imò Deus fieri concupiuit, non modò ad illam futuram sui fœlicitatem non attigit, sed etiam quam tenebat, amisit, & miserias mortalitatis & fragilitatis & calamitatis tantas inuenit, vel incidit, quantas sentiendo potiùs ac viuendo, quàm legendo, tam in se, quàm in alijs vnusquisque cognoscit. Vt ergo ab hac miserrima infœlicitate ad illam beatissimam fœlicitatem attingere valeamꝰ, dignũ corã Deo & iustũ est, æquũ nobis est, salutare est, Deo & Patri

nostro semper & vbique gratias agere. Semper, vt neque de aduersis murmuremus, neque de prosperis in superbiam erigamur. Sed & aduersa nobis ex debito peccatorum nostrorũ venire, & prospera ex diuina dignatione & misericordia prouenire cognoscentes, & de paternis flagellis Deo, vt nobis proficiant ad salutem, & de gratuita bonitate eius, ne nobis proficiat ad ruinam, semper mansueti atque humiles indesinentes
Psal. 33. gratias referam⁹: vt impleatur in nobis, quod Propheta ait: Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Tunc denique fiet, vt & vbique idem in omni loco idipsum faciamus. Neque verò in vllo mundi huius loco consistere possumus, vbi non vel prosperis recreemur, vel affligamur aduersis.

DOMINE SANCTE PAter omnipotens, æterne Deus.

CAPVT X.

CVm & Dominus sanctus, & pater omnipotens, & æternus Deus, idem sit, non ex superflua verbositate repetitur, sed ex magna eius veneratione totiens proclamatur. Siquidem sunt, vt ait Apostolus, dij multi, & Domini multi. Omnis enim qui seruum habet, etiam

Domi-

Dominus iure vocatur. Sed homo Dominus hominem seruum habens, serui semper indiget famulatu. Ille autẽ solus Dominus sanctus est, cui Propheta humiliter canit & dicit: Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum nõ eges. Homo ergo Domin⁹, serui indigens seruitute, Dominus esse potest, quia seruum habet: Deus esse nõ potest, quia indiget seruo. Deus aũt Domin⁹ nulli⁹ indigẽs seruitute, & Dominus est, sicut Psalmista ait: Omnia seruient ei, & Deus est, quia nullius indiget famulatu. Vnde etiã Dominus sanctus vocatur. Sicut enim vasa Domino cõsecrata, & panes propositionis, & sacerdotalia vestimẽta, & sacrificiorũ carnes in veteri testamento sãcta dicuntur, eò quòd à nemine hominum cõtrectari vel comedi vel indui debeant, nisi à solis, quibus ex Dei lege concessum est, vt à cæteris omnibus omnino dissiparentur: ita Dominus Deus sanctus dicitur: quia eius videlicet dominatio à dominatione humana sine vlla est cõparatione disiuncta. Qui etiam Pater omnipotens Deus dicitur: vt præter illum nullus esse Pater omnipotens cognoscatur. Namq; homines vt patres suorum esse

valeant filiorum, necessariò priùs filij sunt patrum suorum. Deus aũt Pater omnipotens dicitur, quia non solùm per filium omnia ex nihilo potuit creare, omnia cum ipso valet sine labore aliquo gubernare: verùm etiam filium sibi coæternum pater ipse tantùm, non etiam filius ex propria substãtia potuit sine imminutione vel mutabilitate aliqua generare. ipse est enim Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui & coæternũ sibi filium genuit, & ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. AEternus quoque Deus dicitur: quia sunt, sicut dicit Apostolus, dij multi: de quibus in Psalmo scriptum est: Deus deorum Dominus locutus est. Ego dixi, dij estis: &: Quoniam Deus magnus Dominus & rex magn⁹ super oẽs Deos. Sunt ergo sancti Angeli dij: sunt etiã & sancti homines dij: sed dij nomine, nõ natura, non æternitate, sed gratia. Nam æternum esse non potest, quod commutabile factum est. Si autem sancti Angeli à Deo creati non essent, nullatenus diceremus: Benedicite omnia opera Domini Domino, & statim subiũgeremus: Benedicite Angeli Domini Domino. Quod enim à Deo creatum

non

non eſt, conſequenter etiã opus Dei nõ eſt. Item cum Propheta non ſolùm virtutes, ſolem & lunã, ſtellas oẽs, & lumen cœlos cœlorum, & aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, ad laudẽ nominis Domini, ſed & angelos quoq; oẽs inuitat, additque: Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt; liquidò ſatis oſtendit, vt cætera quæ ſubiunxit, ita etiã angelos Dei eſſe creaturam atque facturã, & niſi ijdem commutabiles creati fuiſſent, nequaquam eorum pars non modica per ſuperbiam cecidiſſet, quę angelica perdita dignitate, diabolicã incurreret infœlicitatem. Iam verò de hominibus, qui creati & commutabiles ſunt, qui neſcit, non homo, ſed pecus eſt. De9 ergo qui initio caruit, fine carebit, nihil recipiens varium, nihil habens occiduũ, omnium creator, à nullo creatus, ſolus verè ac ſingulariter eſt æternus. Huic igitur Domino ſancto, Patri omnipotẽti, æterno Deo, nos per culpam primi parentis noſtri indigentes, infirmi & tẽporales effecti, nullas per noſipſos vel laudes, vel gratias agere præualemus: ſed quoniam vnigenitus filius Dei Deo Patri æqualiter ſanct9, æqualiter omnipotens, æqualiter æternus, inter nos &

illum

illum factus est mediator, & per ipsum quicquid gratiæ cœlestis habemus, accepimus: per ipsum etiam Deo patri de beneficijs suis, quæ nobis per filium cōtulit, gratias agere debemus. Sicut enim nihil à nobis habemus, sic neq; per nos de aliquo gratias agere possumus Deo. Nam cùm sit in seipso iustus & immortalis, nos autē in nobis ipsis iniusti atq; mortales: nec per iustitiam suam poterat parcere Deus iniustis, nec per mortalitatē suā vllatenus subuenire mortalibus. Dominus ergo Dei filius vt misericorditer redimeret, quos iustè si vellet puniret, mortalitatē nostrā, quā nos iniusti iustè incurrimus, iniustè gustauit iustus: & dum diabolus (cuius inuidia mors intrauit in orbē terrarū,) vnū iustū iniustè occideret, oēs iniustos, quos quasi iustè videbatur occidere, perderet. Non enim primos parentes nostros in paradiso, vt de ligno vetito comederent, terroribus compulit, sed fraudulentis promissionibus persuasit. Non vim intulit, sed consilium dedit. Ac per hoc quasi iustè hominē possidebat, cui sese homo spontè subdiderat. Deus igitur Dei filius cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualèm Deo, sed

semet-

ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominũ factꝰ, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortẽ aũt crucis. Propter quod & Deus illũ exaltauit, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominꝰ noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Eſt enim vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus: qui ſi purus DEUS eſſet, non eſſet alius, apud quem intercederet; ſi purus homo, non eſſet, qui reconciliare valeret. Iungit porrò, Deus erat in Chriſto, mundũ reconcilians ſibi. Ipſe videlicet, penes quẽ agendũ eſt: ipſe qui ait: Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudiciũ dedit Filio. Sic idem miſſus, & idem regreſſus, ſicut ipſe iudicatus, & ipſe iudicaturus. Sedet itaq; ad dexteram Patris, ſicut ait Apoſtolus, & interpellat pro nobis, vt Sacerdos videlicet noſter, cui dicitur: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: Qui in terra poſitus tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam DEO in odorem ſuaui-

uitatis, vt nos poſſemus exhibere corpora noſtra hoſtiam uiuentem, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrũ, non vitulos, non ſanguinem taurorum aut hircorum: quia ſcriptum eſt: Nõ accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: & : Nunquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinẽ hircorum potabo? Sed illud quod ſequitur: Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Iſtæ enim ſunt illæ ſpiritales hoſtiæ acceptabiles Deo, quas nos princeps Apoſtolorum Petrus, Deo per Ieſum Chriſtum dicit offerre debere. Ad quas ſpiritales hoſtias, quia etiam actio pertinet gratiarum, Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique Domino ſancto, Patri omnipotenti, æterno Deo gratias agere.

PER CHRISTVM DOMInum noſtrum.

CAPVT XI.

VErè enim ille Dominus noſter eſt, qui nos non corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſo ſanguine ſuo de ſeruitute diaboli, & vana noſtra conuerſatione redemit: de quo etiam beat⁹ Paulus ait: Et non eſtis veſtri: empti e-

nim

nim estis pretio magno. Igitur nõ sum⁹ nostri, sed sum⁹ serui ei⁹ qui nos emit pretio magno sanguinis sui. Sequitur:

PER QVEM MAIESTAtem tuam laudant Angeli, adorant dominationes tremunt potestates: cœli cœlorumq́; virtutes, ac beata Seraphin, socia exultatione concelebrant.

CAPVT XII.

ANgeli Græcè, Latinè nuntij interpretantur, ab eo, quòd Dei voluntatem hominibus nuntiant. Angelorum autem vocabulum officij nomen est, nõ naturæ. Semper enim spiritus sunt: sed tunc solummodo Angeli vocantur, cùm mittuntur. Dominationes verò quidam cœlestis patriæ Spiritus ideò vocantur, quia cæteris angelorum inferioribus agminibus dominantur. Potestates sunt, quibus virtutes aduersæ subiectæ sunt: & inde potestatum nomine nuncupantur, quia maligni spiritus eorum potestate coërcentur, ne tantum noceant, quantum cupiunt. Virtutes illi angeli dicuntur, per quos signa & miracula in mundo fiunt: propter quod & virtutes appellantur. Seraphim quoque similiter

Ex D. Greg. homil. 34. in Euang.

mul-

multitudo est angelorum, qui ex Hebræo in Latinum ardentes vel incendētes interpretantur. Idcirco autem ardentes vocantur, quia inter eos & DEū nulli alij consistunt: & ideò quantò viciniùs coram eo consistunt, tantò magis claritate diuini luminis inflammantur. Angeli igitur sancti, qui post lapsum diaboli & angelorum eius, perseuerantia ęternæ beatitudinis solidati sunt, & tantum firmitatis vigorem consecuti, vt nullo iam lapsu auersi, nulla superbia cadētes, sed firmiter in DEi amore & contēplatione manētes, nihil aliud dulce habeāt nisi eum, à quo creati sunt, qui etiam & locis & singulis hominibus præsunt: hi, inquam, laudabiles diuinæ maiestatis ministri, de quibus DOminus & Saluator noster in euangelio ait, quòd semper videāt faciem Patris: pro tanta sua dignitate non seipsos laudant, nec propriam gloriam quærunt: sed maiestatē Patris, cuius hæc omnia gratia perceperūt. Hos ergo & nos homines in quantum possumus imitantes, non extollamur pro donis gratiæ DEi, sed potius ipsi pro donis suis laudes incessabiles referamus. Si enim illi, qui tanta iam firmitate donati sunt, vt nullum omninò casum pertimescant,

mescant, se tota semper reuerentia diuinæ maiestati submittunt: quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis, qui, vt beatus Iob ait, quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet: omni se humilitate proprio sẽper debet subdere creatori, illum laudãs semper, & semper iustificans: se vituperans semper, & semper accusans? Et si illi cœlestis patriæ spiritus, qui dominationum vocabulum sortiuntur, cò quòd cæteris angelorum agminib. dominentur, non se de sua dominatione extollunt, sed maiestatem proprij creatoris reuerenter adorant: quantò magis homo alijs prælatus hominibus, nullatenus debet inflari, sed humili semper animo cogitare, quia & suus & subditorũ sibi Dominus est in cœlis? Si enim, vt Psalmista ait, vniuersa vanitas omnis homo viuens, quid superbit terra & cinis? Et si potestates, quæ à diabolo & angelis eius, quos beatus Iob appellat horribiles, metuuntur, quia earum potestate coërciti non possunt tantum nocere, quantum cupiunt: si hæ, inquam, tam fortes, tam potentes, & tam metuendæ potestates cum omni tremore diui-

diuinæ maieſtati ſe ſubdunt, & tantam ſui dignitatem ad gratiam referunt cõditoris: quantò magis homo, qui non ſolùm malignos ſpiritus, ne ab eis vincatur, verùm etiam ipſos quoque vermiculos pertimeſcit, timorem Dei ante oculos ſemper habere, illũ ſemper, etiã ſi ab aliquo timeatur, tremere ac perpaueſcere debet? Quòd autem cœlos dicitur cum cœleſtibus maieſtatem Dei patris ſocia exultatione ac laudibus celebrare; ita intelligendum eſt, quòd omnibus creaturis conſequenter creator intelligitur, & in ſingulis operib. atque effectibus Dei magnificẽtia demonſtratur. Itẽ quòd angeli laudare, dominationes adorare, tremere poteſtates dicũtur, nõ ita accipiẽdũ eſt, quaſi laudãtes angeli, maieſtatẽ Dei nec adorẽt, nec tremãt, quod faciũt dominationes & poteſtates: vel adorãtes dominationes nõ laudẽt vel tremãt, quod faciunt angeli & poteſtates: aut rurſum trementes poteſtates non laudent vel adorent, quod faciunt angeli & dominationes: ſed quicquid de ſingulis dicitur, æqualiter de omnibus ſentiendum eſt. Cùm enim ſcriptum ſit: Beati qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt

te: qui dominationes & poteſtates habitare in domo Domini credunt, Dominum eas in ſecula ſeculorum laudare non dubitent. Nã & de virtutibus æquè vt de angelis ſcriptũ eſt: Laudate eũ omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Rurſum cùm ſcriptum ſit. Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtriũ, & infernorũ: ſi omne genu cœleſtiũ in nomine Ieſu flecti credimus, non ſolùm dominationes, verùm etiam oẽs Angelorum ordines, ſicut Filium, ita & Patrem non dubitamus adorare. Quòd aũt maieſtatem Dei Patris tremere poteſtates dicuntur: non hoc ex timore ſupplicij, quod non merẽtur, nõ ex timore offẽſæ creatoris, quam incurrere iã nõ poſſunt; ſed ex reuerentia & honore diuinæ faciunt maieſtatis. Tres enim conſtat eſſe timores. Supplicij, de quo in Pſalmo dicitur: initium ſapientæ timor Domini. Hunc enim habent, qui pro commiſſis ſuis ne à Domino puniantur, incipiunt iam timere. Eſt enim timor offenſionis, quo à dilectioribus ſuis timetur Deus, ne vel in modico offendatur: de quo dicitur ad Abraham: Nunc cognoui quòd timeas Deum, & non pepercisti filio
tuo

tuo vnigenito propter me. Idem etiam alibi perfecta charitas appellatur, vt ſcriptum eſt: Perfecta charitas foras mittit timorem. Illum videlicet, quē primo loco poſuimus, de quo idem Apoſtolus ait: Qui aūt timet, non eſt perfectus in charitate: quoniam timor pœnam habet. Tertius timor eſt ex reuerentia & honore procedens, quo nūc tremere Dei maieſtatem etiam poteſtates dicuntur: de quo etiam ſcriptum eſt: Timor DOmini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi. In futura enim vita nec primus ille, nec ſecundus erit, ſed hic tantū tertius in ſeculum ſeculi permanebit. Tremūt aūt non ſolæ poteſtates, ſed etiam oēs cœleſtis patriæ ſpiritus. Nam cùm ſcriptum ſit, dicente Domino: Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui aūt contemnunt me, erunt ignobiles: manifeſtum eſt omnes cœleſtiū ordines miniſtrorum idcirco in tantum à creatore glorificari, quia ipſe quoq; ab eis omnibus ſummo tremore ac reuerentia honoratur. Denique ſi non eum honorarent, certum eſt, quòd contemnerent, ſi autem cōtemnerent, ſine dubio nō glorificarētur ab eo, ſed eſſent ignobiles, vt Diabolus & angeli eius, qui Deum

non

non honorando, contempserunt: & se honorando, in perpetuæ damnationis opprobrium, & contumeliam corruerunt. In sequentibus quoque cùm dicitur: Cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphin socia exultatione concelebrant: manifestè ostenditur, quia illę potestatum tremor, non ex timore pœnæ, sed ex reuerentiæ honore procedit. Si enim diuina maiestas ab hominibus tremitur, etiam beata Seraphin, quæ exultare dicuntur, tremere non dubitantur. Et si exultatio Seraphin socia est exultationi spirituũ cæterorum: apparet quòd omnes beatorum ordines spirituum supernorum, diuinæ maiestati & tremant cum exultatione, & exultent cum tremore. Illo inquam tremore, quo sanctè trementes, sic propheta admonet consequenter, ac dicit: Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius. Tam propriè enim ipse dicentis spiritus audientium merita sequestrauit, vt cùm omnes audirent clamantem, ille tamen sibi hæc intelligeret dici, qui ad Dei verbum non reatu conscientiæ, sed affectu reuerentiæ tremuisset. Audi ergo hominem gaudio ac desiderio tremiscentem. Seruite, inquit Dauid, Domino

in timore, & exultate ei cum tremore. Et quoniam ſupernorum illa ciuitas ex angelis & hominibus conſtat, ad quam tantum credimus genus hominum aſcendere, quantos ibi contigit electos angelos remanſiſſe, ſicut ſcriptum eſt: Statuit terminos gentium ſecundùm numerum angelorum Dei: ſupereſt vt ipſi quoque, qui ad cœleſtem patriã redeũt, ex illorum agminum officijs, ad quorũ transferendi ſunt conſortium, aliquid etiam in hac vita poſiti illuc reuertentes imitentur: vnde & protinus ſubinfertur:

CVM QVIBVS ET NO-*ſtras voces vt admitti iubeas deprecamur ſupplici confeſsione dicentes.*

CAPVT XIII.

ORat enim in his verbis ex omnium perſona ſacerdos, vt voces hominũ, angelorum ſermonibus ſupplici ſe cõfeſſione laudantium, iubeat, id eſt, dignetur cum beatis Seraphin gratanter admitti, id eſt, recipi vel aſſumi. Eſaias nãque propheta teſtatur ſe vidiſſe Dominũ ſedentẽ ſuper ſoliũ excelſum & eleuatum, & Seraphin, quorum vni ſex, & alteri totidem erant alæ duabus velantia faciem eius, & duabus velantia pedes

eius,

eius, & duabus volantia, & clamantia alter ad alterum, ac dicentia:

SANCTVS, SANCTVS, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloria tua.

CAPVT XIV.

IMitatur ergo sancta Ecclesia in terris posita partem sui quæ in cœlis est cõstituta, non solùm quòd Deum supplici confessione collaudat, verùm etiã quòd ijsdem verbis ac sensibus easdem laudes concelebrat. Consequens enim est, vt sit vna laudatio, quorum futura est vna eadem in domo Domini habitatio. Quòd autem ter sanctus in Dei laudem dicimus, trinitatem personarum in vnitate deitatis ineffabili mysterio veneramur. In eo verò quòd illum Dominum Deũ Sabaoth confitemur, vnum Deum in trinitate verbis cœlestibus prædicamus. Sabaoth autem ex Hebræo in Latinum vertitur exercituum, siue virtutũ, quod etiam in prophetis frequentissimè legitur, dicentibus: Hæc dicit Dominus De⁹ exercituum, & in Psalmo apertè ex angelorum voce dicitur: Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum. Quod autem sequitur, Pleni sunt cœli & terra gloria tua: immensitatem diui-

næ maiestatis ostendit. Nulla enim ratione, nulla æstimatione metiri valet. Mundo non capitur. Sic replet mundũ, vt ipse contineat mundum, non contineatur à mundo. Est enim mundo superior & inferior, interior & exterior. Regendo superior, portando inferior. Gubernando exterior, replendo interior. Sic est per cuncta diffusus, vt non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi. Sine labore regens, sine onere continens mundum: non tamen per spacia locorum mole quadam diffusus, nõn vt in dimidio sit dimidius, & in dimidio dimidius, atque ita per totum totus. Non sic; sed in solo cœlo totus, in sola terra totus, & in parte totus, & per cuncta totus, & nullo contentus loco, sed in seipso vbique totus. Ita Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus, vnus Deus, trinitas indiuisa. Deinde subiungitur:

OSANNA IN EXCELSIS.

CAPVT XV.

OSanna interpretatur saluifica: subaudiendo, vel populum tuum, vel totum mundum. Cui idcirco additur, in excelsis, quòd aduentus Christi non tãtum hominum salus, sed potius mundi sit, terrena iungens cum cœlestibus: vt om-

omne genu ei flectatur, coelestium, terrestrium, & infernorum. Sequitur:

BENEDICTVS QVI VEnit in nomine Domini.

CAPVT XVI.

HOc autem non dicitur, nisi soli filio Dei, Saluatore quoque idipsum in euangelio comprobante: Ego veni in nomine Patris mei, & nõ recepistis me: alius veniet in nomine suo: illum recipietis. Peractis verò omnibus, quæ suprà memorauimus, facto magno circunquaque silentio, incipit iam sacerdos infixa in Deum mente, salutarem corporis ac sanguinis Dominici hostiam consecrare, quam offert generaliter pro Ecclesia Dei sancta Catholica, & famulis famulabusque eius, atque omnibus circunstantibus, quorũ illi fides cognita est, & nota deuotio, quique ei ipsum sacrificium offerunt pro se suisque omnibus pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suę. Aduocat etiam in adiutorium obsecrationis suæ gloriosam semper virginem Mariã genitricẽ Dei & D.N. Iesu Christi, sed & BB. simul Apostolos ac martyres Dei, & omnes pariter sanctos, vt eorum meritis ac precibus in omnibus

protectionis eius muniamur auxilio. Orat præterea, vt oblationem cunctę familiæ ſuæ Dominus placatus accipiat, ac per manus ſancti angeli ſui in ſublime altare ſuum perferri iubeat, dieſque noſtros in ſua pace diſponat, atque ab æterna damnatione nos eripere, & in electorum ſuorum iubeat grege numerari. Hoc autem totum in commemorationem fit mortis Dominicæ ad tempus ab eo guſtatæ, qua nos ab æternæ mortis damnatione vnigenitus Dei filius miſericorditer liberauit: ſicut ipſe panē & calicem accipiens in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cœlum, gratias agens, ac benedicens, eaque diſcipulis ſuis dedit, vt manducarēt & biberent corpus & ſanguinem ſuum, ecce confirmans ait: Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriā facietis. Hæc namque ſingulariter victima ab æterno interitu animam ſaluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per myſterium reparat. Qui ſcilicet ſurgens à mortuis, iā nō moritur, & mors ei vltrà non dominabitur, & in ſeipſo immortaliter atq; incorruptibiliter viuēs, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur, eius caro in populi ſalutem
partitur,

partitur, eius sanguis non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pēsemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij Dei semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri? In illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse? summis ima sociari? terrena cœlestibus iungi? vnum quid ex visibilibus & inuisibilibus fieri? Vnde & à secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur, quia sub tegumēto corporalium rerum, virtutem diuinā secreta vis eorundem sacramentorum operatur. Ideoque seu per bonos, seu per malos ministros intra Dei Ecclesiā dispēsentur, tamē quia Spiritus sanct᷒ mysticè illa viuificat, qui quōdā apostolico in tēpore visibilibus apparebat operib. nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur: quia neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quam consecrationem corporis & sanguinis Dominici ideò semper in silentio arbitror celebrari, quia sanctus in his manens spiritus,

eundem ſacramentorum latenter operatur effectum: vnde & Græcè myſterium dicitur, quòd ſecretam & reconditā habeat diſpenſationem. Sed neceſſe eſt, vt cùm hæc ſacerdos agit, ſemetipſum Deo in cordis contritione mactet: quia qui paſſionis Dominicæ myſteria celebrat, debet imitari quod agit. Tunc ergo verè pro nobis hoſtia erit, cùm noſipſos hoſtiam fecerit.

PRAECEPTIS SALVTARIbus moniti & diuina inſtitutione formati audemus dicere.

CAPVT XVII.

DOminus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus in Euangelio præcepit dicens: Et cùm oratis, nolite multū loqui, ſicut Ethnici faciunt. Putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. Si ergo Ethnicus in oratione multum loquitur, qui Chriſtianus eſt, debet parum loqui: Nam ſi ille ideo fruſtratur petitione ſua, quia putat ſe in multiloquio exaudiri: debet iſte parum loqui, ne ſimilia patiatur. Deus enim non verborum, ſed cordis auditor eſt. Hæc itaque præcepta & mandata ſalutaria nobis ſunt, quibus admo-

admonemur, ne per multiloquium, orationis nostræ frustrationem mereamur: vt his paucissimis verbis, quibus ex diuina institutione atque eruditione formamur vel docemur, petitiones nostras apud Deum innotescere contenti simus. Sequitur:

Ex serm. D. Petri Chrysologi quarto de oratione Dominica.

CAPVT XVIII.

PATER NOSTER, QVI ES in cœlis.

OMnia quæ diuinitùs dicta factaque referuntur, sunt miraculo, sunt stupori, sunt pauenda mortalibus: ipsis etiã cœlestibus sunt tremenda. Sed nihil ita stupet cœlum, pauet terra, & pauescit vniuersa creatura, quàm quòd seruus Dominum Patrem vocat, iudicem suum reus, genitorem nuncupat, conditio terrena sua se voce Dei adoptat in filium. Sed audemus, quia præsumptio dicentis non est, vbi authoritas est iubentis. Ipse enim nos hoc dicere voluit, qui nos docuit sic orare: Pater noster, qui es in cœlis. Non quòd ille non sit in terra, sed vt tu per hoc germen esse te noueris cœleste; & si te Dei filium fa-

teris, viue quaſi Dei filius, vt actu, vita, & cunctis præditus virtutibus, tanto poſſis reſpondere genitori.

SANCTIFICETVR NOmen tuum.

QVià Chriſto vocatus es Chriſtianus, petis vt prærogatiua tanti nominis ſanctificetur in te, quia nomen Dei, quod per ſe & ſibi ſanctum eſt, aut ſanctificatur in nobis noſtro actu, aut noſtro actu blaſphematur in gentibus.

ADVENIAT REGNVM tuum.

IPſe dicit: Regnum Dei intra vos eſt. Si intra nos eſt, vt veniat quid oramus? Et in fide eſt; & in ſpe eſt, & in expectatione: ſed vt in re veniat, iam precamur. Veniat autem nobis, non illi qui ſemper conregnat Patri ſuo, ſemper regnat in Patre: ſed veniat nobis. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Dicimus: Veniat regnum tuum: vt ſic Deus regnet in nobis, quatenus in nobis deſinat mors regnare, deſinat regnare peccatum. Regnauit, inquit, mors ab Adam vſque ad Moyſen. Et alibi: Non regnet

gnet peccatum in vestro mortali corpore.

FIAT VOLVNTAS TVA *sicut in cœlo & in terra.*

NVnc in terra multa fiunt pro diaboli voluntate, pro seculi nequitia, pro desiderio carnis. In cœlo verò nihil fit præter Domini voluntatem. Petimus ergo, vt interempto diabolo, vt nouo seculo, vt mutato corpore, vt destructo mortis imperio, vt abolita dominatione peccati, in cœlo & in terra, in Deo & hominibus vna Dei & eadem sit voluntas.

PANEM NOSTRVM QVO*tidianum da nobis hodie.*

POst regnum cœleste terrenum panem petere non iubemur, prohibente ipso, cùm dicit: Nolite soliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis. Sed quia ipse est panis, qui de cœlo descendit, petimus & precamur, vt ipso pane quotidie vel iugiter sumus in æternitate victuri, hodie vel in præsenti vita de conuiuio altaris sancti ad virtutem corporis mentisque capiamus.

ET DIMITTE NOBIS DEbita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

SIc dicendo homo, indulgentię modũ, mensuram veniæ tu tibi dedisti, qui à Domino tantum tibi petis dimitti, quãtum dimiseris ipse conseruo. Dimitte ergo delinquenti in te totum, si vis ipse de tuis nil debere Domino delictis. In altero dimitte tibi, si vis ipse vindicem vitare sententiam

ET NE NOS INDVCAS in tentationem.

DEus, sicut scriptum est, neminem tẽtat: sed tentare dicitur, cùm tumaciter euntes ad tentationum laqueos labi relinquit. Sic Adam tentatoris insidias incurrit, dum sui præcepta *despexit cõditoris. Vnde autem, & à quo tentaretur homo, prodidit sic dicendo:

*deserit.

SED LIBERA NOS A malo.

HOc est à diabolo, qui totius mali & author & origo est. Diabolus natura cœlestis fuit: nunc est nequitia spiritalis, ætate maior seculo, nocendi vsu tritus, læden-

lædendi arte peritissimus. Vnde iam nō malus, sed *malitia dicitur, à quo est omne quod malū est. Hinc est quòd proprijs viribus liberari homo non potest, carnalibus vinculis illigatus. Petendum nobis est ergo, vt Deus nos à Diabolo liberet. Clamet homo ad Deum: Libera nos à malo, vt à tanto malo, solo Christo vincente, liberemur. Accepimus auditum fidei, formam Dominicæ orationis audiuimus. Christus breuiter orare docet: quia citò vult postulata præstare. Aut quid petentibus non dabit, qui seipsum non petentibus reddit? Aut in respondendo quam faciet moram, qui in dictandis precibus vota supplicum sic præuenit? Neq; illud nos moueat, quod quidam iactare solent: Si nouit Deus quid oremus, & antequam petamus, scit, quid indigemus, frustra iam scienti loquimur. Nos enim non sumus narratores, sed rogatores. Aliud est enim ignoranti narrare: aliud à sciente petere. In illo indicium est: hic obsequium. Ibi fideliter indicamus: hic miserabiliter obseruamus. Vnde & in signaculum orationis Dominicæ nos verè vel fideliter possumus dicere: Malum.

LIBERA NOS QVAESVmus Domine ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris.

CAPVT XIX.

OMnia mala, quibus nos à Domino petimus liberari, vel preterita sunt, vel præsentia, vel futura peccata. Nam pro cæteris malis, ne veniant, in sequẽtibus exorat, cùm dicit: Da propitius pacem in diebus nostris. Sicut autem in euangelio Saluator ait: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Orat ergo sacerdos, vt præterita nobis peccata laxando, & de præsentibus ac futuris iugem tribuendo custodiam, Dominus nos à malis omnibus liberare dignetur. Facientes enim peccatum, serui sumus peccati. Neque aliter huiusmodi seruitute possumus liberari, nisi Domini misericordia liberante. Nemo enim potest peccata dimittere, vel aliquem à tentatione seruare, præter solum Deũ: qui non solùm per se, verùm etiam per subiectos sibi famulos, quorum vult peccata dimittit: quibus dicitur in euangelio: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Notandum sanè, quòd

Deum, quem in oratione Dominica patrem vocamus, in nostra Deum appellamus, quia qui videlicet illud ex diuina authoritate præsumimus, hoc ex debito nostræ deuotionis offerimus. In illo nos Domini filios gratia, in hoc eius seruulos profitemur natura. Cui tamen indignè seruire nõpossum⁹, nisi priùs peccatis inseruire cessemus. Ait .n. Saluator in Euãgelio. Nemo potest duob. Dominis seruire. Petim⁹ igitur, vt Apostoli verbis eloquar, quo liberati à peccato, serui autem facti Deo, habeamus fructum nostrum in sanctificatione: finem verò vitam æternam. Sequitur:

ET INTERCEDENTE BE-*ata & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, & sanctis Apostolis tuis Petro & Paulo, da propitius pacem in diebus nostris.*

CAPVT XX.

CVm sancta Ecclesia persecutionis procella pulsatur, solet in fortiorib. quidem membris suis gloriosissimè triũphare, sed in infirmioribus quibusque ruinam grauissimam sustinere, &

quod

quod fatendum est, magna in vtrisque, id est, imbecillioribus & robustioribus dispendia perpeti. Nam persecutionis igne omnia populante, sicut infirmiorũ nonnulli tentati à fide recedunt, & ipsi pauentes etiam suorum corda pauere faciunt fratrum: ita & fortissimi quique licèt in semetipsis admiranda Deo & angelis & hominibus martyrij sui spectacula præbeant, in alijs tamen solo exemplo, non etiam prædicationis verbo proficere possunt. Orat ergo sacerdos in his verbis, vt sicut prosperitatis tempore à peccatorum nos Deus labe defendit, ita etiam nobis aduersa persecutionis mitiget, quatenus nec infirmi terrore vel supplicijs superati à fide recedant, nec validi quique à prædicationis & exhortationis fraternæ impediãtur officio: quod quia certum est sanctos post vitæ huius excessum cum Christo manentes, indesinenter pro manentibus in hoc mundo fratribus supplicare, petit, vt beatæ & gloriosæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ, & maximorum Apostolorum intercessionibus Petri & Pauli apud Deum valeat obtinere. Sequitur:

VT OPE MISERICORdiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.

CAPVT XXI.

ECce propter quid nos & ab omnibus liberari à Domino malis, & pacem dari temporibus noſtris oramus, ſcilicet vt liberati à peccato, & ab omni perturbatione ſecuri Domino Deo noſtro ſine timore in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris ſeruire poſſimus. Quod quia nec accipere, nec facere niſi per auxilium poſſumus Saluatoris, rectè ſubiungitur:

PER DOMINVM NOſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti per omnia ſecula ſeculorum.

CAPVT XXII.

IPſe Dominus & Saluator noſter, cui eſt cum Patre in vnitate Spiritus ſancti vna Deitas, vna viuendi æqualitas, & viuificandi poteſtas, in euangelio diſcipulis ait: Ego ſum vitis, & vos palmites eſtis. Qui manet in me, & ego in

eo, hic affert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere, & paulò ſuperiùs dixerat: Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſe, niſi manſerit in vite: ſic & qui in me non manſerit. Si quem verò ſcire delectat, quid ſit manere in eo, audiat ipſum dicentem: Sicut dilexit me Pater, & ego vos dilexi: manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego præcepta Patris ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Si quis etiam noſſe deſiderat, qualis & quanta non manentibus in eo immineat pœna, audiat eiuſdem voce prædictum: Si quis in me non manſerit, præciſus eſt ſicut palmes, & miſſus eſt foras, & aruit: & colligentes eos in ignem mittunt, & ardēt. Iam verò quid de manentibus in eo ipſe ſubiungit, audire gratius puto. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis mãſerint: quodcunque volueritis, petite, & fiet vobis. Chriſtus autem Græcè, Latinè dicitur vnctus. Ipſi enim Propheta in Pſalmo decantat: Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. De ipſo etiam ſummus Apoſtolorum Petrus in Actibus Apoſtolorum ad Corne-

Cornelium, & eos, qui tum aderant, dicit: Vos scitis, quod factum est verbum per totam Iudæam. Incipiens enim à Galilæa post baptisma, quod prædicauit Ioannes, Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus de Spiritu sancto & virtute. Quod eum Propheta oleo lætitiæ, hoc Apostolus Spiritum sanctum & virtutem Dei appellat. Iesus verò Hebraicè, Latinè Saluator interpretatur, quòd apertè angelus ad Ioseph in somnis loquens de Maria testatur, cùm ait: Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Dehinc antequam communicetur, clamat sacerdos, & dicit:

PAX DOMINI SIT SEMper vobiscum.

CAPVT XXIII.

Nihil enim sine pace placitum Deo est. Nec ille, qui dixit: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo: in corde manere potest odijs ac dissensionibus maculato. Non est enim Deus dissensionis, sed pacis. Orat ergo sacerdos,

dos, ac præmonet, vt pax Domini sit nobiscum: quatenus perceptio sacrosancti corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, non ad reatum, sed in absolutionem nobis omnium proficiat peccatorum. Quicunque enim manducauerit corpus Domini, vt ait Apostolus, & calicem eius biberit indignè: iudicium sibi manducat & bibit. Rursum Saluator in euangelio ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Igitur si non manducauerimus, neque biberimus: non habebimus vitam in nobis. Si autem indignè manducauerimus, & biberimus, iudicium nobis manducabimus & bibemus. Purgandus est itaq; animus, &, quantum in nobis est, cum omnibus hominibus est pax habenda: vt dignè sumendo corpus & sanguinem Domini, & mortem & iudicium euadamus, & vitam ac remedium per eorum perceptionem accipere mereamur.

Quod autem inter communicandum à cantoribus exclamatur:

AGNVS

AGNVS DEI QVI TOLLIS *peccata mundi, miserere nobis.*

PRopter illud fit, vt impleatur in nobis, quod beatus Ioannes Apostolus ait: *Si* dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quod si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est Deus, vt remittat nobis peccata nostra, & mũdet nos ab omni iniustitia. Quomodo autem id fiat, idem ipse Apostolus paulò superiùs sic ostendit: Si in lumine ambulemus, sicut ipse est in lumine, societatem habemus ad inuicem, & sãguis Iesu Filij eius emundat nos ab omni peccato. Itemque in sequentibus ait: Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Quòd si quis peccauerit, deprecatorem habemus ad Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est exoratio pro peccatis nostris: non autem pro nostris tantùm, sed & pro toto mundo. In quibus verbis satis apparet, quàm consequenter de Domino & Saluatore nostro beatissimus Baptista Ioannes testatur in Euangelio dicens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. De ipso quippe & Esaias propheta

pheta ait: Tanquam ouis ad immolationem ductus est: & sicut agnus coram tõdente se, sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est. Communicato post hæc clero vel populo oratio ex more recolitur, & à Diacono protinus exclamatur:

ITE MISSA EST.
CAPVT XXIV.

MIssa autem propriè tempus sacrificij est, quando catechumeni foras mittũtur, clamãte Leuita: Si quis remãsit catechumenus, exeat foras, & inde Missa, quia sacramẽtis altaris interesse nõ possunt, qui nondum regenerati noscuntur. Quibus cœlestibus ac super omnia salutaribus sacramentis vt nos, qui iam Dei gratia ex aqua & Spiritu sancto sumus renati, dignè interesse possimus: ipse qui hæc in sui commemorationem celebrari præcepit, præstare dignetur: cui est cũ Patre in vnitate Spiritus sancti gloria, & honor, virtus & potestas in secula seculorum, Amen.

FINIS.

In a Dem

In nomine Dni

Lo

In omni tribulatione
& angustia succurre nobis
piissima Virgo
MARIA.

Maria graita

Augustini Con
fessione in Libr
prim

1
[illegible]